

**IOANNIS**  
BRUCHERII TRE-  
centis Adagiorū, ad stu-  
diosæ iuuentutis vtilita-  
tem, ex Erasmicis Chi-  
liadibus excerptorū E-  
pitome.

Fac & spera. Deus facien-  
tes adiuuat.

PARISIIS  
Apud Simonē Colinaū.

1 5 2 3

D.  
S. C.

PRVDENTIS-  
SIMIS REIPVBLICAE DI-  
VI FLORENTINI MO-  
DERATORIBVS, IO-  
ANNES BRV-  
CHERIVS  
T R E-  
CENSIS SALVTEM.



Vi rerū publicarū lau-  
dati moderatores olim  
sūt habiti, eos id enixè  
curare solitos literarū  
monumētis palàm est,  
vt instituedæ iuuentu-  
ti præficeretur is, qui  
eā & moribus & disci-  
plinis bonis excoleret. Quā quidem rem pra-  
dentissimi, mihiq; semper venerandi patres  
animo reputantes, sēper egistis vt vestris eru-  
diēdis iuuenibus, & optimi & doctissimi præ-  
ceptores sint adhibiti. Horum lōgo, eidemq;  
admodū venerabili catalogo, ipse quoq; vo-  
bis adicribētibus sum adscriptus, vestris om-  
nium calculis dignus (etsi superioribus non  
æquandus) existimatus, cui hæc mandaretur

prouincia. In qua administranda auspice Optimo Maximo Deo, pro nostra virili agim<sup>9</sup>, vt & nostris, & vestris omnium votis respōdeamus: futurumq; sit, vt ea, quam de Brucherio vestro concepistis, opinione non sitis elusifi. Quod si fieret: optimo iure in me torqueretis adagia, Thesaurus carbones erant, Mōs parturiebat, deinde murē prodidit. Vt igitur promissæ diligentiae fidem facerem, rem à me Trecis prius incōceptam exequi institui; adagiorum nempe à me & excerptorū, & epitōmatorum, sub suis deniq; titulis, velut signis collocatorum, Epitomen: ad vestrorū, & omnium (quotquot sunt) studiosorum adulescentum vtilitatem, sub vestra dignitate hoc nostro epistolio vobis nuncupare, nuncupatam formulis excudendam, postremo inuulgandā curare. Ex quorū Erasmica enarratione, quæ græce sunt citata, ea latine tātum, idq; ex Erasmi translatione adscripsimus, quum epitōmādi studio, tū adagiorū obscuritatem græcarum literarum rudibus tollendi: quibus nimirum nihil satis clarum: & quorum oculis græca passim admista, quandam velut caliginem (vt nunc quoq; aiunt, qui ad id instituti nos velut stimulauere) offūdere solēt. Quāq; non video, quur ex græce citatis caligo exoriat, quum Erasmus illorum vel cæco perspicuam interpretationem subiungat. Sed de

a. ij.

his haftenus. In hac autem nostra Epitome  
probè exercitati iuuenes, ad locupletissimas  
Erasmi Chiliadas se transferāt: vbi quicquid  
ex composito nobis omiffum fuerit, hauriēt.  
Porro quantum vtilitatis ex hac paroemia e-  
rum cognitione sint consequuturi iuuenes, id  
discant ex ipsius Erasmi in sua adagia p̄no-  
tationibus: vbi quidem copiose docet ada-  
giorum cognitionem ad philosophiam, pers-  
suadendum, ornatum, ad intelligēdos deniq;  
authores conducere. Verbum igitur ea de re  
non amplius addā. Valetē semper fausti, Brus-  
cherij vestri non immemores.



# IOANNIS BRV

CHERII TRECENSIS ADAGIORUM, ad studiosæ iuuetutis vtilitatem, ex Erasmiâs Chiliadibus excerptorum Epitome.

## ADAGIA QVADRANTIA IN DIVITES.

Cræso ditior.	Vltra res Callicratis.
Crasso locupletior.	Octapedes.
Mida opulentior.	Pluto ditior.
Cinyræ opes.	Nullius indigēs deus.
Pactoli opes.	Diues dextro Hercu-
Tantali talenta. Pelopis talenta.	le.
Prædiues.	Diuitiæ non semper optimis cōtingunt.
Pecuniæ vit.	Diues aut iniquus est aut iniqui hæres.
Vestis virum facit.	Satietas ferocitatem parit.
Euparyphus ex cōmœdia.	

Superiorum adagiorum explicatio.

Cræso ditior.

Cræsi Lydorū regis opulentia vsque adeo ingēs fuit, vt Solonis dicto nobilitata fuerit, & apud Græcos in prouerbiū abierit. Apud Græcos quādoquidē per Cræsi opulentiam

a. iij.

immensa intelligitur opulentia. Et qui prædites sit: vel Cræsus, vel alter Cræsus, vel Cræso ditior nuncupatur.

Crasso locupletior.

Marcus Crassus Romanus, ob ingentes diuitias, diues cognominatus est: & ab eodem præpollentes diuitijs, Crassi, vel Crasso ditiores dicuntur. Hic negabat diuitē esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri posset. In agris suis sestertium vicies mille possedit.

Mida opulentior.

Midæ opes, pro ingentibus quoq; accipiuntur diuitijs: & Mida locupletior dicitur, qui prædites sit: Idq; propter immensas eius regis opes: qui quidem locupletissimus fuisse perhibetur.

Cinyræ opes.

Immensæ opes, Cinyræ opes dicebantur: quemadmodū & Midæ opes. Nam huius regionem opulentissimam fuisse, Naso indicat vndecimo Metamorphoseon libro.

Pactoli opes.

Pactoli quoq; opes pro summis accipiuntur opibus. Est autem Pactolus Lydiæ fluuius ex monte Tmolo profluens, aureis scatēs arenis: cuiusmodi narrantur & alij auriferi fluuij, Tagus videlicet in Iberia: Ganges in India, & Hebrus in Thracia. Plinius addit Padum in Italia: negatq; vllum esse aurū absolu-

tius, q̄ id quod in fluuijs reperitur, vtpote cursu ipso, tritūq; perpolitū. His fluuijs aureas arenas ducentibus, addit Hermum Raphael Regius, idq; in illud secundi Metamorphoseon, Quodq; suo Tagus amne &c.

Tantali talenta. Pelopis talenta.

Tantali talenta, dicuntur de immensis opibus. Tantalus Phryx ob luculētas dinitias, in fabulā hominū venit: ita vt fingatur & apud inferos simile quiddā pati, cuiusmodi solent inter cōgestas opes tenaces isti diuites, nempe egestatis mala in maxima copia. Nota est Tantali fabula. Plutarchus etiam ingētes diuitias *πλουτοῦ ταντάλειον* appellat. Consimili figura Theocritus Pelopis talenta dixit: cuius verba sic transtulit Erasmus. Non Pelopis mihi sint agriq; auriq; talenta. Nec vētos celeres anteuolasse pede. Porro talētum apud Atticos, maxima pecunię summa erat. Talenti æstimatio ære Gallico, ponitur à Guilielmo Budæo, secundo de asse libro, his verbis. Nunc talentū æstimabimus sexcentis coronatis nostris: hoc est, sexagies denis. denos enim aureos in libras constituimus. Hæc ille.

Prædiues.

Prædiuitem significabant his versibus Homericis Iliados Z, quos Erasmus ad hūc traduxit modum

Diuitis in patris sunt multa recondita testis:

a. iiii.

Æs'q; aurumq; fabrefacti quoq; copia ferri.  
Pecuniæ vir.

Quantū habet quisq; tāti fit. Quod pro-  
uerbij loco citauit Augustinus in libro de di-  
sciplina Christiana sic scribēs. Quantū habes  
bis, tātus eris. Vnde Horatius i sermonibus,  
Nil fatis est (inquit) quia tāti, quātū habeas,  
fis. Pauper siquidem nihilo æstimatur: sed est  
quasi mortuus inter viuos. Id quod elegāter  
ostendunt illi versus, quos ex comœdia qua-  
piā græca transtulit Erasmus hoc modo.  
Argentū & anima & sanguis est mortalibus.  
Hoc qui caret, nec sibi parauit sedulo:  
Viuos hic inter mortuus circumambulat.  
Vestis virum facit.

Hoc adagium significat cultum magnificum (qualis diuitibus esse solet) addere homi-  
nibus auctoritatē: ex illóq; bonā famā oriri.  
Quantū momēti cultus vestitū afferat ad cō-  
ciliandā homini formā, dignitatēmq; indicat  
Homer<sup>9</sup> Odysseæ Z, quū Nausicaā puellā fa-  
cit de Vlyssē loquentē his verbis. Ante vide-  
batur specie foedissimus esse: Nunc diuis simi-  
lis: magnus quos pascit Olympus. Nā exutis  
pānis, vestes nitidas Vlysses induerat: ac pro-  
tinus alius esse visus est.

Euparyphus ex comœdia.

Prouerbiū hoc significat hominē magnifice  
vestitū, ac magnā seruorū turbam post se



trahentē. Nā huiuscemodī fingūtur in comce  
dijs milites gloriosi. Græci enim diuites om-  
nes splendide cultos, vocant Euparyphos.

Ultra res Callicratis.

De immensis diuitijs dicebatur. Aiunt Ca-  
rystiū quēpiam fuisse nomine Callicratē, qui  
ciues reliquos opibus longe præstiterit. Vnde  
si quē magnopere locupletē dicere volebāt,  
eum vel Carystij Callicratis facultates vince-  
re dicebant.

Octapedes.

Octapedes Scythico prouerbio diceban-  
tur, qui duos possiderēt boues, & currū vnū.  
Dici adagium poterit per iocum, in hominē,  
qui sibi locuples videatur: vel in eum, cui ru-  
sticanę sunt opes. Inter opes enim rusticanas,  
 præcipue recenset Hesiodus bouē aratorem.

Pluto ditior.

In maxime diuitē quadrat. Plutus nāq; di-  
ues, inducitur ab Aristophane Comico græ-  
co, diuitiarum amittendarū metu, omnia for-  
midans, nulliq; fidēs. cuius rei meminit Eras-  
mus in adagio, Tumidus Plutus.

Nullius indigens Deus.

Hæc paroemia admonet nullum esse mor-  
taliū tam absolutū, in quo nō aliquid desyde-  
retur, vnū esse Deū vndequaq; perfectū. Dici  
potest & in diuites, aut plurimis præditos na-  
turæ pariter, ac fortunæ cōmoditatib; tanq̄



dei cuiuspiã similes, vt quibus ònia suppetãt.  
quęcũq; videtur ad perfectã ptinere felicitatẽ.

Diues dextro Hercule.

Diues dextro Hercule, siue amico Hercule (vt est apud Horatiũ) dicitur ille, qui in acumulandis opibus est bene fortunatus. Ex hoc natũ adagiũ, quòd Hercules moriturus dixerit eos opulentos futuros, qui sibi decimam bonorũ suorũ partẽ consecrassent. Proinde locupletes plerosque ita facere solitos. Aliã huius consuetudinis causam affert Erasmus in istius adagij enarratione.

Diuitiæ non semper optimis cõtingunt.

Qui dicet opes nõ semper cõtingere cordatissimis, sed pro fortunæ arbitrio, nũc huic, nũc illi cõtingere, citabit illa Homericæ Odysseæ carmina ab Erasmo traducta.

Iuppiter emetitur opes mortalibus ipse  
Sic visum vt fuerit cuiuscũq; bono ve malõve.  
Illa carmina dicũtur à Nausicaa puella ad Vlysem mendicantẽ: nec illum ob inopiam habet despectui, quæ fortunæ sit imputanda, nõ homini, si is modo fuerit alioqui cordatus.

Diues aut iniquus est, aut iniqui hæres.

Verba sunt diui Hieronymi ad Hedibiam in hunc modum scribẽtis. Vnde & illa vulgata sententiã mihi videtur esse verissima, Diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Prouerbiũ hoc in eos conuenit, qui suis opibus stultẽ se ia-

stant. Neq; enim ferè parantur ingentes opes sine fraude: & aut ipse possessor eas per fas, nefasq; cõgessit: aut certe successit ei, qui eas ea parauit via.

Satietas ferocitatem parit.

Adagiũ significat ex diuitijs superbiam oriri. Quẽadmodũ nanq; copiosiore pabulo (vt est apud Plutarchum in problematis) nõ modo boues, sed & equi, & asini insolẽtiores, ac ferociores reddũtur: ita homines diuitiarũ copia superbiores. Ea de causa diuus Augustinus dixit superbiam esse diuitiarũ morbũ: difficilẽq; esse, illũ nõ esse superbũ, qui diues sit.

IN PAUPERES.

Nec obolũ habet, vnde

de restim emat.

Nudior leberide.

Iro pauperior.

Codro pauperior.

Nudior paxillo.

Telenico pauperior.

Pistillo nudior

Paupertas sapiẽtiam

sortita est.

Paup, sed ingeniosus.

Multa docet fames.

Enarratio.

Nec obolũ quidẽ habet, vnde restim emat.

Animam debet.

Pausone mendicior.

Pedem vbi ponat, nõ habet.

Zonam perdidit.

Omnem facultatẽ indutus est.

Qui eget, i turbaveretur.

Mendico ne parentes quidem amici.

Prouerbialis est hyperbole in eos qui maxima rei familiaris inopia laborāt. Pauperri<sup>us</sup> autē sit oportet, qui tenuitatis siue paupertatis tedio, se se laqueo præfocare velit. Porro plus, quàm pauperri<sup>mus</sup> videtur, cui ne numulus quidē suppetit, vt restim emat, qua se suspendat.

Nudior Leberide.

Adagium cōuenit in hominē, cui sint valde tentues facultates. Leberis enim, serpētis exuium significat, quo nihil esse potest inanius.

Iro pauperior.

Iri paupertas in prouerbiū venit: adeo vt Irus vocetur, qui mendicus sit. Ouidius. Irus erit subito, qui modo Cræsus erat. Homerus in sua Odyssea, scribit Irū publicum fuisse mēdicū apud Ithacenses, corpore, speciēq; prægrādi, à matre dictum Arnæum, à iuuenibus Irum fuisse nominatum, q; iret nuncius, quō iussus esset. Cum hoc cōmissus Vlysses, quū haberetur & ipse pro mēdico, eijcit hominē.

Codro pauperior.

Codri etiam paupertas, prouerbio locū fecit: vsque adeo vt is Codrus vocetur, qui sit de valde pauperum numero. De quo Iuuenalis, Tota domus Codri rheda cōponitur vna.

Nudior paxillo.

Extremæ paupertatis homo dici solet nudior paxillo: quod quidem hyperbolicū pro

uerbiū esse constat, quū paxillis cortex quoq;  
detrahi solet.

Telenico pauperior.

Telenico pauperior dicitur ille, qui sit pau-  
perimus. Nam is, vsque adeo fuit notæ pau-  
pertatis, vt Seriphij, verbum ab eius nomine  
finxerint, dicantq; Τελεικῆσκι pro euacuare.

Pistillo nudior.

Homo tenuissimę facultatis, nudior pistillo  
appellari solet: quod quidem adagium cū su-  
periore conuenit, videlicet, Nudior paxillo.

Paupertas sapientiā sortita est.

Ignata est opulentia: verū inopia, multarū  
artium repertrix est. Id quod ipsa iactat apud  
Aristophanem in Pluto, artium omnium in-  
uentionem sibi vendicās. Vnde & Virgilius,  
Labor omnia vincit Improbus: & duris vrgēs  
in rebus egestas. Ouidius. Ingenium mala sæ-  
pe mouent.

Pauper, sed ingeniosus.

In hominem tenui quidem cultu, sed egre-  
gio tamen & corpore & ingenio præditū cō-  
uenit hoc dictum.

Multa docet fames.

Hoc adagio signant id, quod est verissimū,  
famem videlicet esse magistrā artium com-  
pluriū. Multa siquidē excogitat, qui famescit:  
nempe vt famem suam pascat. Hinc exijt il-  
lud Persianū, Magister artis, Ingenij q; largitor



venter. Et Ouidius (vt iam citauimus) Inge-  
nium, mala sæpe mouent.

Animam debet.

Terentius in Phormione. Quid si animam  
debet? Donatus propriū esse admonet de eo,  
qui multo ære alieno teneatur: vt plus q̄ om-  
nes facultates debeat, ac deniq; seipsum de-  
beat. Erat enim antiquitus lex, vt qui soluēdo  
non esset, is nexus addiceretur suo creditori,  
luitur<sup>9</sup> corpore, id est, opa, qđ ære nō posset.

Pausone mendicior.

Pausone mendicior dicitur ille, qui sit insi-  
gni paupertate. Pauson nanq; pictor quispiā  
fuit modicarum facultatum, quemadmodū  
apud Iuuenalem Codrus.

Pedem vbi ponat, non habet.

Proverbialis est hyperbole apud Ciceronē,  
Pedē vbi ponat non habet, pro eo, quod est,  
ne tantillum quidem agri. Conueniet autem  
in hominem insignite tenuem, atq; inopem:  
cui ne vestigium quidem pedis sit in agrorū  
possessionibus.

Zonam perdidit.

Castrense est prouerbiū in eos, qui nihil  
habent numorum. Porphyriū admonet tra-  
ctum adagium à militum consuetudine, qui  
quicquid habent, in zona secum portant.

Omnem facultatem indutus est.

De paupere dicitur, qui præter vestitū nis



hil præterea rerū possidet. Quod quidem & hodie vulgato ioco dicunt, ad hūc modum, Quum subfilio, facultates omnes meæ commouentur. Notum est & Biantis dictū, Omnia mea, mecum porto.

Qui eget, in turba versetur.

Adagium docet ibi quæstū esse, vbi sit hominum frequentia. Hodiernis etiam temporibus vulgo iactatur fabula de cæco medico, q̄ iubebat ministro, vt eò se duceret, vbi maxima esset hominum procella.

Mendico ne parentes quidē amici.

Prouerbiū signat diuitias, amicorum cōsiliatrices esse: paupertatē vero, nec illos habere amicos, quos natura coniunxit. Multi nēpe sunt, qui externos diuites, pauperibus cognatis præponant.

### MVNERVVM CORRVPTELA.

Argentaginē patitur.	Argenteis hastis pugnare.
Bos in lingua.	
Malis ferire.	Qui multa rapuerit, pauca suffragatoris b <sup>9</sup> dederit, salu <sup>9</sup> erit.
Muneribus vel dij capiuntur.	Vulpes haud corrumpitur muneribus.
Virtutem & sapientiā vincunt testudines.	Munerū corruptela.
Pecuniæ obediunt omnia.	Corrupta iudicia.

Explicatio.

Argentaginam patitur.

In eos conuenit, qui accepto munere, non audent libere, quod sentiunt, dicere. Natū est adagium ex historia, quam refert Aulus Gellius in noctibus Atticis; & Plutarchus in vita Demosthenis, Ea autē est huiusmodi. Quū aduersus Milesiorum legatos, qui auxiliij petendi causa Athenas venerant, acriter in concione dixisset Demosthenes, obfisterētq; quo minus impetraturi postulata viderentur, causa in diem posterū reiecta, Legati Demosthenem ipsum adierunt: magnāq; pecuniæ summa, ne contra se diceret, redemerunt. Postrius die, quum res denuo foret agēda, Demosthenes multa lana collo circūuoluto in concionē prodijt, fingēs sese anginam pati: eāmq; rem esse impedimento, quo minus ex more diceret. Tū ē populo quispiā, cui simulatio subolebat, exclamabat, eum non anginam, sed argentaginam pati. Est autē angina (quæ græce synanche appellatur) morbi genus, quem vulgus medicorum squinantiam vocat.

Bos in lingua.

Bos dicitur esse in illius lingua, qui pecuniæ causa tacet. Hinc translātū adagiū, quod Atheniensium numisma olim bouis obtinuit figuram. Item apud Romanos Seruius rex, ouium ac bouum effigie primus signauit æs.

Author est Plinius libro decimo octauo, capite tertio historie mundi. Itaq; qui multæ pēdendæ metu deterriti reticerent: aut qui pecunia corrupti loqui non auderent, bouem in lingua dicebantur habere.

Malis ferire.

Malis ferire dicuntur, qui muneribus assequi student, quod optant: aut qui donis prouocant ad amorem mutuū. Ducta est allegoria a fabula Atalantæ: quam Hippomenes cursu superauit, sed arte proiectis inter currendū malis aureis: in quibus sublegēdis, dum subinde remoratur, præcessit, ac vicit iuuenis.

Muneribus vel Dijs capiuntur.

Prouerbiū signat etiā ditissimos donis delectari. Ouidius. Munera, crede mihi, placant hominesq; deosq;. Flectitur iratus Iuppiter ipse datis. Hanc sententiā prius confirmauit Euripides in Medea: cuius verba sic trāstulit Erasmus.

Donis vel ipsos dicitant flecti Deos

Certe inter homines, mille dictis luteum

Præpollet aurum profus, ac præponderat.

Hinc Seneca philosophi cuiusdā apophthegma referens, ait, Omnium esse dulcissimum accipere.

Virtutem & sapientiam vincunt  
testudines.

Julius Pollux, libro nono de rerum vocabulis

b. j.

lis scribit prouerbio olim celebratum carmen ab Erasmo sic traductum, Et virtus testudinis & sapiētia cedit. Est autē velut ænigma innuens pecuniā longe plus posse, quā aut virtutem, aut sapiētiā: stultum q; diuitem facilius euadere voti compotem, q̄ sapiētē pauperem. Hinc ducta parcētia, quod antiquitus Peloponnesiorum numisma testudo dicebatur, id q; propter insculptā in eo testudinis figuram.

Pecuniæ obediunt omnia.

Hæc sentētia refertur in Hebræorum prouerbijs, id que apud Ecclesiasten capite decimo. Cui quidem sententiæ concinit Euripides in Phœnissis, Mortalibus ( inquit ) nil charius pecunia: Atque inter homines vna plurimum valet. Aristophanes in Pluto scribit, pecuniarum gratia fieri, quidquid rerum vel bonarū, vel malarum geritur. Siquidem ( vt ipse ait ) opibus vniuersa simul obediūt. Ex quo Horatius pecuniam, reginam appellat his versibus.

Scilicet vxorem cū dote, fidēmq; & amicos,  
Et genus, & formam regina pecunia donat.

Argenteis hastis pugnare.

Argenteis hastis pugnare dicuntur, qui quū negocium alio pacto confici nequeat, muneribus & largitione illud perficiūt. Nihil enim tam arduum siue difficile, quod pecunia non



perficiatur. Ortam aiunt parœmiã ab oraculo quodam Apollinis Pythij: qui Philippo regi consulenti, quo pacto posset victoria potiri, respondit ad hũc modum. Argenteis pugna telis, atq; omnia vices. Videlicet innuēs, vt quosdam largitionibus ad proditiõẽ sollicitaret: atq; ita consequuturum, quæ vellet. Vnde à Cicerone, actione in Verrem secũda, eleganter dictum est, Nihil videlicet esse tam sanctum, quod non violari: nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit.

Qui multa rapuerit, pauca  
suffragatoribus dederit,  
saluus erit.

Admonet adagium, id quod nunc factitant fures, non omnino stupidi, non nisi magnis prædis iniiciendam manum: vt supersit, quo iudicem (si forte sit opus) corrumpant, atq; exoculent. Qui autem parua furatur, deprehensi pendent, vt pote quibus nihil sit, quo vitam suam redimant.

Vulpes haud corrumpitur  
muneribus.

Adagium cõuenit in callidos, ac versutos, quos non sit facile obiecto munusculo, aut assætatiũcula, pollicitis ve fallere. Lar<sup>9</sup> enim, & alię quẽdã aues, esca capiũtur. Vulpes autem non huiusmodi re capi solet. Suidas huius adagij Cratinum citat authorem.

b. ij.



## Munerum corruptela.

In eū, qui rem auro, donisq; aggreditur festiuiter torseris illud Homericum Odyssę E, Corripuit virgā, qua mulcet lumina somno. Quorūcunq; velit soluit quoq; lumina somno. Dictū est de Mercurio sumente caduceū, Quadrat enim pulchre in munera, quod de virga Mercuriali dictum est: quibus velut expergefiunt iudices, antea ceu dormitantes, & rursus infesti placantur, vt in causa velut obdormiscant, conuiueantq;.

## Corrupta iudicia.

In eos, qui corrupte iudicāt, aut suffragiū ferunt, nō ad reipublicę commodum, sed ad priuatum commodum respicientes: siue qui per tyrannidem leges opprimunt, competet illud quoq; Homericum Iliados F. Qui per vim in populū cętu communia iura Deprauant, ac iustitiam depellere tentant, Nil veris tū vocem diuūm.

## IN AVAROS, ET RAPACES.

A mortuo tributum exigere.	Lucri bonus est odor ex re qualibet.
Exigit & à statuis farinas.	Mendici pera non impletur.
Nec ōnia, nec passim, nec ab omnibus.	Mendicorū loculi semper inanes.

Larus.	Spartā capiet, præ-
Larus hians.	terea nihil.
Voracior purpura.	Atticus moriēs, porri-
Auarus nisi quū mori-	git manum.
tur, nil recte facit.	Lucrum pudori præ-
Vorare hamum.	stat.
Polypī.	Boni pastoris, est tō-
Argiui fures.	dere pecus, non des-
Inexplebile dolūm.	glubere.
Pecuniarū cupiditas	Canis circū intestina.

## Enodatio.

A mortuo tributum exigere.

Ille dicitur à mortuo tributum exigere, qui per fas, nefasq; diuitias vndecunq; congerit. Hoc in adagio Christianos sacerdotes false taxat Erasmus, vbi refert non dari baptismū, hoc est, non licere esse Christianum, nisi numeretur: non cōprobari matrimoniū, nisi numeretur: non audiri pœnitentium commissa, nisi sperēt præmia: nec mortuis operiri terra licere, nisi à sacerdote tantulū spacij cōduxeris: & pro precij modo dari locum amplū, ac magnificū. Si plurimum numeraris, in templo proximum summū altare licebit putrescere: sin parce dederis, inter plebeios sub dio cōplueris. Multo plura in huius adagij enarratione taxat Erasmus, quę, pro instituta breuitate, omittere visum est.

b. iij.

Exigit & à statuis farinas.

In eum dicitur, qui nullius misertus vnde-  
cunque quod potest auellit, vel ab ipsis mor-  
tuorum statuis. Adagium simillimū est præ-  
cedēti, videlicet, A mortuo tributum exige-  
re, quod in auaros sacerdotes cōpetit, apud  
quos ne sepulchrum quidem gratis concedi-  
tur. Competit prouerbiū & in principes ple-  
bis expilatores: qui nulla non ex re vectigal  
exprimūt, vel ex lotio, id quod Vespasianus  
apud Suetonium fecisse legitur.

Nec omnia, nec passim, nec  
ab omnibus.

Adagium admonet in accipiendis muneris-  
bus, & verecundiam, & delectum adlubenda  
esse. Dicitur, nec omnia, nam sunt quædam,  
quæ neutiq̃ decōrū sit accipere. Dicitur, nec  
passim, est enim locus, est tempus, quo pul-  
chrum sit recusare munus oblatum. Dicitur  
deniq̃, nec ab omnibus, sunt nempe quidam,  
à quibus inhonestum sit admittere donum.

Lucri bonus est odor ex re qualibet.

Quadrat prouerbiū in eos, quib⁹ nō est cu-  
rę; vnde habeāt, modo habeāt. Vnde est illud  
Ennianū carmen, Vnde habeas curat nemo:  
sed oportet habere. Sumptum videtur ada-  
gium ex Vespasiani voce faceta quidem, sed  
pestilēti: qui quū ex lotio vectigal faceret, ho-  
mo turpiter auid⁹, sup̄erq̃ ea re à filio admo-

neretur, quod è re tam putida lucrũ faceret,  
paulopost collectam pecuniã filij naribus ad-  
mouit, rogauit q; ecquid illa puteret.

Mendici pera non impletur.

Hoc adagio significant inexplebilẽ esse mē-  
ditatem. Nam quo plura dātur his, qui ani-  
mo sunt mendico, hoc plura petunt. Deslecti  
potest vel ad improbos, qui sēper aliquid fla-  
gitant ab amicis: vel in diuites, quibus nihil  
est satis: vel in principes, quorũ rapacitatem  
nullę plebis expilationes possũt implere. Ap-  
tissime congruet in illos, qui libidini, cupidi-  
tati, ambitioni, reliquis q; id genus affectib⁹  
addicti sunt. Nam ijs illud euenit, vt quo in-  
tēperantius explent sese, hoc magis, magis q;  
sitiunt, esuriantq;.

Mendicorum loculi semper  
inanes.

Adagiũ istud cognatum est superiori: cōue-  
nit q; in homines petaces, & insatiabiles.

Larus.

Larus dicitur, qui cuiusuis rei cupiditate de-  
ceptus carpitur. Ductũ est adagiũ ab auis illi⁹  
ingenio siue natura: quã spuma marina gau-  
dere tradunt. Capitur autem ad hunc modũ.  
Obijcitur spuma, primũ longiore interuallo:  
deĩde propius, propius q;: postremo manib⁹  
gestantes exhibent: larus itaq; cibi auiditate  
captus comprehenditur.

b. iij.



ERASMI ADAGIORVM

Larus hians.

Dicitur in eum, qui prædæ, vel lucro alicui auidius inhaeret. Est enim larus (vt superiori adagio notatum est) auis auida, voraxq;.

Voracior purpura.

Conuenit in edaces: aut in eos, qui omnia in suum compendiũ vertunt. Ductũ est adagiũ, vel à tincta purpura: quæ omnia quibus admota fuerit, velut ad sese rapit, suõq; colore res vicinas ificit: vel ab animãte ipso, quod quicquid nactum fuerit retinet, ac deuorat.

Auarus, nisi quum moritur, nil restẽ facit.

Mimus est Publilianus, quo significãt eum, qui sese pecuniæ studio addixerit, nulli cõmodum esse, dum viuit. sola nãq; illius mors voluptatem, & emolumentũ hæredi affert.

Vorare hamum.

Competit in eum, qui sibi noxia carpit. id quod in auarum torqueri possit, cupientem semper pecunias, quæ sæpe eius studiosis noxiæ fuerunt: quod Satyrographi indicant illa carmina. Sed plures nimia congesta pecuniã cura strangulat: & cuncta exuperans patrimonio census.

Polypi.

Rapaces & vncis vnguibus homines, Polypi olim dicebantur. Polypus piscis est, cui rapacitatẽ, tenacitatẽmq; adscribunt: q; quic



quid brachiorum flagellis nactus fuerit, suctu attrahat, ac retineat. Plautus in Aulularia. Ego istos noui polypos: qui ubi quicquid tetigerint, tenent. Prouerbiū ad varios accōmodatur vsus, quod in suis locis declarabiſ.

Argiui fures.

Cōuenit in eos, qui sunt notæ rapacitatis. Ductum prouerbiū ab Argiuis, qui antiquitus furacitatis infamia laborabāt. Hos Latini lauerniones vocant, quod fures sub tutela Lauernæ deæ essent: in cuius luco obscuro, atq; abdito, soliti sunt furto sublata, prædāq; defodere.

Inexplebile dolium.

In auaros congruit, quorum cupiditatibus nihil est satis: verū quo magis impleantur opibus, hoc magis inanes esse videtur. Id quod testatur illud Solonis carmen, quod Plutarchus in libello de cupiditate diuitiarū citat: hoc traduxit Erasmus ad hunc modum. Nō est fixus opum finis mortalibus vllus. Adagiū potest & in alios vsus conuerti, nēpe in edaces, & in homines bibacitate inexplebili, qui quo plus biberint, hoc plus sitiant.

Pecuniarum cupiditas Spartam capiet: præterea nihil.

De ijs dicitur, qui sola pecunia possunt expugnari, alioquin inuicti. Natum prouerbiū ab oraculo, quo responsum est, tum demum

vincēdos esse Lacedæmonios, quū aurū & argentum in precio cœperint habere. Respondet apophthegmati cuiusdā, qui putauit nullam arcem tam munitam esse, quin capi posset, modo asino onusto auro pateret accessus. Respondet & Danaës fabulæ, à qua nulla custodia, auri insultum arcere potuit.

Atticus moriens porrigit  
manum.

De illis dicitur, qui in muneribus captandis, & aucupandis lucris, sunt insatiabiles. Ductum adagium ab Atheniensibus ad munera captanda, & lucra aucupanda insatiabilibus.

Lucrum pudori præstat.

Hæc sententia est bono viro indigna: quæ tamen ab auaris non raro vsurpatur, omnem pudorē exuentibus: vbi de re pecuniaria agitur. Sunt nanq; nonnulli vsque adeo auari, qui nihili faciant si vituperentur, dūmodo lucrentur, magis q; ament famæ dispendiū, q̄ rei accipere: cuiusmodi fuisse perhibetur quidam Atheniēsis nomine Timon: de quo sic scribit Horatius primo sermonū libro, satyra prima.

Quidam memoratur Athenis

Sordidus, ac diues, populi cōtemnere voces  
Sic solit<sup>9</sup>, Populus me sibilat: at mihi plaudo  
Ipse domi simul ac numos contēplor in arca.  
De illo & Lucianus meminit in illo dialogo, qui Timon inscribitur.

Boni pastoris, est tondere pecus,  
non deglubere.

Adagium quadrat in auaros principes vectigalia augentes: vbi cōmonentur bonorum principum esse, nō destruere subiectos vectigalibus. Sumptum autem ex Suetonio Tranquillo in vita Tiberij Cæsaris: qui admonitus ab amicis, vt prouincialibus aueret vectigalia, rescripsit, boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. Est vero deglubere, detrahere pellem, id est excoriare.

Canis circum intestina.

In eū dicitur, qui eas res cōspicit, quas valde cupit, quibus tamē frui nō possit: cuiusmodi est pauper, aliorū diuitias cernēs, eāsq; appetēs, quas tamen habere nō possit. Sumptū prouerbiū à canum natura, qui oberrāt circū intestina, quæ deuorent nisi fustem timerent.

IN SVI PROFVSOS, SIVE  
PRODIGOS.

Gallorū icusare vētres	Iplo horreo.
Proteruiam fecit.	Plena manu.
Relinque quippiā & Medis.	Cupidinum crumena porri folio victa est.
E dolio hauris.	Festo die si quid pro- degeris &c.
Vnā cū iplo canistro.	
Largitio nō habet fū- dum.	Glauc⁹ alter ab equis deuoratus.

Cui multum est pipe Bello parta.  
ris, etiam oleribus Drachmæ grando.  
immiscet.

Enarratio.

Gallorum incusare ventres.

Gallorum incusare vêtres, est prodigos incusare. Hic autem ventrem galli habere dicitur, qui multas absomit facultates: cuiusmodi sunt, qui patrimoniū amplum, amplasque vxorum dotes cito prodigunt. Sumptū prouerbiū à gallo, cui vêtet est vsqueadeo calidus, vt statim omnia concoquat.

Proteruiam fecit

Conuenit in eum, qui patrimoniū vniuersum luxu consumpsit. Ductum ab antiqua cōsuetudine: qua quidem religiosum erat, ne quid ex sacris epulis relinqueretur: aut si quid reliquum esset, id igni absumeretur: quemadmodū Moses tradit de agno paschali: & id genus sacrificij Romani proteruiam appellabāt.

Relinque quippiam & Medis.

Locus est prouerbialis in eos, qui quidē ex conuiuio nihil reliqui faciunt: aut qui facultates vniuersas abliguriunt. Vnde ortū sit adagium, videre est apud Plutarchum in symposiacis, Nobis quidem (inquit) Bœotis illud in ore est, Relinque quippiam & Medis: ex quo Medi, & Phocidem ipsam, & extremos Bœotix terminos incurserunt, omnia vexantes,



miscentēsq; populationibus. Subijcit autem idem Plutarchus, quod etiā hodie vulgo dicitant. Relinquito quippiā & hospitibus aduenturis. Adagium ad varios vsus trahi potest: aut per Ironiam: aut si dicas diuiti, indignis & sumptuosis hæredibus suas opes destināti relinquere, Relique quippiā & Medis, hoc est compace tu, quod dissipent ij, qui tibi male volunt. Aut cōueniet prouerbiū immodice profuso: aut intēperantiū garrulo.

E dolio hauris.

In eū conuenit, qui (quod habeat magnas facultates) sua profundere nō timeat: ac si suarum immensarū fortunarū finem non sit visurus. Rerum siquidem copia facit, vt ij quibus magnæ sint facultates, sua intemperāter profundere minus dubitent, q̄ ij quibus tennes sunt, vtpote qui in tanta rerum copia detrimentum facile non sentiant. Ductum hinc quod dolium sit vas vinarium ingens, vnde largiter haurire licet, neq; facile sentitur detrimentum, videlicet in tanta copia.

Vnā cum ipso canistro.

In eos etiam quadrat, qui rem suam intēperanter profundunt, deuorantque & abliguriunt. Sumptum ab antiquorū more: quibus mos erat, vt cœnæ canistris inferrentur.

Largitio non habet fundum.

Hoc dicto, significabant stulta liberalitate

quālibet opes exhauriri, vel effluere potius,  
Ipso horreo.

Quod prolixè, & affatim datur, id dicitur  
dari ipso horreo: quēadmodum & ipso canis-  
stro: propterea quòd ex horreo plenius depro-  
mitur, quā è chœnice. Adagium est simile illi, E  
dolio hauris.

Plena manu.

Ille dicitur dare plena manu, qui ampliter,  
copiose, prolixè, minimèq; malignè dat. Trās-  
latum est ab ijs, qui nō minutim & parce, sed  
plena manu largiuntur.

Cupidinū crumena, porri folio vineta est.

In eos cōuenit, qui per amorē immodera-  
tos faciunt sumptus, luxūq; indulgent. Amor  
nanq; (vt scribit Plutarchus) è sordido splēdi-  
dum, è parco liberalē, è tristi ciuilem, è timi-  
do audacē reddit hominē. Plutarchus sentire  
videtur prouerbium alludere ad porri naturā,  
cuius vis est calefacere, ciere vrinam, irritare  
venerem, mouere mēses, & aluū inflare: quē-  
admodū docet Dioscorides libro secundo.

Festo die si quid prodegeris, profe-  
sto egere liceat, nisi peperceris.

Plautina est sententia in Aulularia, quæ ad-  
monet, ne in sumptibus solēnibus ita profusi-  
simus, vt nō suppetat, quo feramus quotidi-  
anos. Accōmodabitur rectè i eos, qui iuue-  
nes rē prodigunt, esurituri senes: & in eos qui

intēpestiue profundunt, postea desyderaturi:

Glaucus alter ab equis deuoratus.

Accōmodatur rectē prouerbiū istud in ho-  
minē, qui in alendis equis, facultates suas ex-  
hauriat. A fabula natum adagium, qualis de  
Acteone fertur, à canibus suis deuorato.

Cui multum est piperis, etiam  
oleribus immiscet.

In eum dicitur, qui ea re profusius vti cō-  
suevit, cuius magnam copiam habeat, quum  
de pusillo sit parcius infumendum.

Bello parta.

Huic prouerbio locus erit, vbi quis imo-  
dice ifumit. Solemus enim celerius, ac teme-  
re profundere, si quid hostibus sit ereptum.  
Quod quidē puerbiū & hodie passim audi-  
mus vulgo dicitari in lurcones, & helluones.

Drachmæ grando.

De illo lucro fertur, quod tāq̄ cælitus emise-  
sum obtigit. Nam olim theatrale præmium  
erat drachma, quæ veluti grandinis in morē  
in populum spargebatur.

#### IN LIBERALES.

Bis dat, qui cito dat.	Larus in paludibus.
Ambabus manibus	Codali chænix.
haurire.	Virgo primum.
Promus magis, q̄ cō-	De alieno liberalis.
du.	Cōmunis Mercurius.

## Enodatio

Bis dat, qui cito dat.

Hæc sententiâ ex Seneca sumpta, monet nō constantè, haud grauatim opitulandum esse amicis, quum opus est: sed vltro, non expectatis precibus, officium esse deferendum: id quod liberalis facit. Idem Seneca libro de beneficijs secundo ait. Ingratum est beneficiū, quod diu inter manus dantis hæsit. Hæc sententiâ Ausonius Gallus ex græco vertit sic. Gratia que tarda est, ingrata est: gratia nãq;

Quum fieri properat, gratia grata magis. Idem eandē sententiâ vertit ad hūc modū: Si bene quid facias, facias cito. nã cito factū

Gratum erit: ingratum gratia tarda facit. Hæc eadem sententiâ hoc Mimo pulcherrimo exprimitur, Beneficiū inopi bis dat, qui dat celeriter. Notum est in eandem cum superioribus sententiâ elegans Martialis ex sexto libro carmen in Pætum. quod, quamuis ab Erasmo nō sit adscriptum, hîc inserere visum est. Legitur autem in hunc modum.

Sex sestertia si statim dedisses,

Quum dixi mihi, sume, tolle, dono:

Deberem tibi Pæte pro ducentis.

At nunc quum dederis diu moratus,

Post septem puto, vel nouem calendas:

Vis dicam tibi veriora veris:

Sex sestertia Pæte perdidisti.



Ambabus manibus haurire.

Ille dicitur ambabus manibus haurire, qui summo conatu quippiam agit. Item, qui aut affatim, aut perbenigne (quod liberalis cōsuevit) aut prodige largitur.

Promus magis, q̄ condus.

Adagium est elegantissimū: sumptū ex eleganti & prouerbiali Ausonij Galli iambico dimetro huiusmodi. Promus, q̄ condus magis. In eum conuenit, qui sit nimium liberalis, sui q; profusus: qui parta prodigere noscat: quæres re vero, aut quæsitā seruare non noscat. Ducta est metaphora à rei familiaris dispensatoribus, maximæ q; penuriæ, quos Greci vocāt ταμίας. Quorum partes sunt ad vsum familie promere, id est proferre quædā: quod qui facit, promus dicitur. alia cōdere, hoc est seponere, quod qui facit, condus nuncupatur. Iam qui tantum promit: is ad inopiam velis equis q; properat. Plautus in Truculento, parce promos appellat, sordidos ac tenaces, & qui sumptum libenter effugiunt.

Larus in paludibus.

Dicitur de ijs, qui ad dandum sint faciles: siue quos difficile non sit commouere ad dandam. Tractū ab aue, quæ larus vocatur, quæ, quoniam facile decipitur, illicitur q; prouerbio locum fecit.

Codali chœnix.

c. s.

De illorum mensuris fertur, qui ampliter, copiosèq; minimèq; maligne mesurant. Au-  
thor Suidas. Erasmus tamen ingenue fatetur  
nihil super hac re adhuc sibi repertum esse.

Virgo primum.

De ijs dici solitum, qui rem paternā pro-  
funderent. Erasmus faretur ingentie, se nesci-  
re an inde ductum, quòd virgines adhuc rus-  
des, & meretricij quæstus ignaræ, facile sui co-  
piam faciunt. Postea, quo plus auferant præ-  
mij, difficiles sese præbent. Itidem adolescen-  
tes nuper nacti facultates, priuſq; intelligant  
quid sit pecunia, largius effundunt. Et prima  
vitæ pars, quæ quidem optima, stultissime no-  
bis conteritur.

De alieno liberalis.

In eum dici consuevit, qui quidē sui tenax,  
de alieno facile largiatur. Hoc complexus est  
Homerus in sua Odyſſea: cuius verba sic ha-  
bētur traducta. Nam res largiri alienas Haud  
res vlla vetat: neq; enim piget. Hæc quidem  
verba, significant vnūquēq; minus esse parcū  
in alieno, q̄ in suo. Vnde & inter vulgares cir-  
cūfertur adagium istud, Ex alieno tergo, la-  
ta secas lora.

Communis Mercurius.

Adagium signat quæ furto parta sunt, ea  
liberali animo in mediū cōmuniter oportet  
re deponere. Quidā parcemiā hanc arbitran-

tur inde natam, quòd Mercurius furtorum author ac repertor, ostēdit primus furto parta, in medium cōmuniter deponenda. Licet ex Erasmo discere adagium istud in aliū quoq; vsum conuerti posse.

## I N F O R M O S O S.

Venere formosior.	Leporem edit.
Ipsa pulchritudinē pulchrior.	Pulchrorum etiā auctōnus pulcher est.
Nireo speciosior.	Sydere pulchrior.

## Explicatio.

## Venere formosior.

Poëtarum fabulis vulgatissimū est, Venere re esse pulchritudinis deam: à cuius nomine venustus, id est pulcher, formatur adiectiuū: & venustas, id est pulchritudo. Vnde & per puerbialem hyperbolen Venere formosior dicitur, qui sit maxime formosus. Hoc adagiū recensetur ab Erasmo in suarū Chiliadū prænotamentis: Id q; eo in loco, vbi idem docet adagia à Deorum personis duci.

## Ipsa pulchritudine pulchrior.

Qui sit pulcherrimus, per hyperbolen figurā adagiorū generi familiarē, potest dici ipsa pulchritudine pulchrior. quēadmodū qui sit deformissimus, is deformitate ipsa deformior appellatur. Hunc educēdorum à rebus ipsis adagiorum modum recēset Erasmus in

suarum Chiliadum prænотamentis.

Nireo speciosior.

In eum quadrat, qui sit pulcherrima forma. Annumeratur prouerbiū ab Erasmo in iam citatis prænотamentis: quo quidem loci docet duci adagia à personis fabulosis. Nireus autem poëtarū fabulis pulcherrimus fuisse se traditur.

Leporem edit.

Hoc torquebant prouerbiū in eum, qui forma esset conspicua. Olim enim ex vulgata opinione dicebant leporinæ pulpæ esu conciliari formam. Hinc quum Alexander Romanus imperator forma esset cōspicua, & leporinas carnes quotidie esitaret, poëta quidam græcis versibus in eum iocatus est, scribēs nō mirum videri oportere quod formosus esset imperator, quū ei quotidianus cibus esset lepus: de quo qui ederet, is septem postea diebus formosus fore vulgo crederetur.

Pulchrorū etiā autumnus pulcher est.

In eos competit, qui quum natura sint pulchri, ne post iuuentā quidem formæ pulchritudinem amittunt. Dicitur nō ineleganter in eos, qui belle portant ætatem.

Sydere pulchrior.

Sumptū est adagium à re simili. Stellæ si quidē pulchritudine pollēt. Ex hoc & qui pulcherrimus sit, plærūq; eum sydere pulchriorē



dicunt. Hic adagio ab Erasmo annumeratur in citatis prænотamentis: Id q; in eo loco ubi agit de adagijs illis, quæ rebus similibus ducantur. Huic adagioni videtur esse allusum ab Ouidio Metamorphoseon primo: qui Dapnes pulchritudinem indicare volens, scribit ad hunc modum de Apolline eam (vt ipsius amore frueretur) sequente, Videt igne micantes syderibus similes oculos &c. Et Metamorphoseon tertio de Narcissi pulchritudine scribit his verbis. Spectat humi positus geminum ceu lumina sydus.

## IN DEFORMES.

Thersitæ facies.	A furijs oriundus.
Leporem non edit.	Myconius caluus.
Pistillo caluor.	Nauiges Træzenem.
Ipsa deformitate deformior.	Perdicis crura.
Pice nigrior.	Ominabitur aliquis te conspecto.

## Elucidatio.

## Thersitæ facies.

Ille dicebatur faciem Thersitæ habere, qui esset prodigiose deformis. Sumptum proverbum ex ipsius Thersitæ facie, quem Homerus scripsit omnium qui ad Troiam venissent, turpissimum.

## Leporem non edit.

In eum torqueri solet, qui sit facie fœda, sic

c. iij.

ue deformi: quemadmodū (vt in superiori título notatum est) is leporem comedisse dicitur, qui fit decora facie. Dicebant quandoquidem ex vulgata hominū opinione esu pulpæ leporinæ, pulchritudinem conciliari.

Pistillo caluor.

Prouerbialis est hyperbole, conuenit'q; in eos, qui sint valde glabri: quæ quidem res deformem reddit hominem. Ima autem pistilli pars, calui cranium referte videtur.

Ipsa deformitate deformior.

Prouerbialis etiam hyperbole, qua turpissimus significatur. Eius generis est adagium istud, cuius est superius annotatū, illud videlicet, Ipsa pulchritudine pulchrior.

Pice nigrior.

Prouerbialis item hyperbole, qua itidē deformissimum significant. Tractum est prouerbiū à re simili. Eo modo efferūt, Melle dulcior: Niue candidior: Oleo trāquillior: Infima auricula mollior: Auro purior: Plūbo stupidiior: Stipite tardiior: Littore surdior: Spōgia bibacior: Sole clarius: Vitro fragiliior: Buxo pallidiior. Pila volubiliior: Pumice sicciior: Spina distortiior: Dolio pertuso incontinentiior: & sic de consimilibus, quæ Erasmus docet à rebus similibus trahi.

A furijs oriundus.

Illum olim dicebant à furijs oriundū, siue

profectum, qui esset specie admodum tetra, foedâq; Dicebant insuper illud à furijs esse profectum, quod noxiū & exitiale esset. A furijs inferni sumptum est.

Myconius caluus.

Illos Myconios caluos dicebant, qui essent calui, rarôq; capillitio. Id quod in homine turpe est. Tractum est adagium à Mycono insula ex Cycladibus vna: vbi vitium est gentilitium, vt homines calui nascantur fermè omnes: Vnde & Myconios caluos eos dicebant. Idem affirmat Plinius lib. xj. cap. xxxvij.

Nauiges Troezenem

In eum dicitur, qui quū sit mento imberbi, tamen appositurijs pilis barbam virilem se habere simulat. Natum inde prouerbiū, quod Troezenis portus quispiam vulgo celebratus sit, cui nomen sit Barba.

Perdicis crura.

Perdicis crura habere dicitur, qui loripes sit. Natum à caupone quopiam, nomine Perdix: qui quidem claudus erat. Hunc notauit locis aliquot Aristophanes.

Ominabitur aliquis te  
conspecto.

Torqueri in eum consuevit, qui turpis sit, foedôq; aspectu. Inde ductū, quod veteres ex primo hominis occurso sumebāt omen. quū formoso occurrebāt, felix idē sumebāt omen.

c. iij.

ERASMI ADAGIORVM

Deformi autem occurrentes, male ominabatur. Id quod à Christianæ professionis viris vt superstitiosum vitari debet.

IN INVIDIOS.

Figulus figulo inuidet, faber fabro.	Iactantiæ comes inuidia.
Inimicus & inuidus vicinorum oculus.	Fertilior seges est alie no in aruo.
Vnicū arbutū haud alit duos erithacos.	Optat ephippia bos piger : optat arate caballus.
Vna domus, non alit duos canes.	Præstat inuidiosum esse. q̄ miserabilem.
Zoili.	Turpe filere.
Edētulus, vescētium dentibus inuidet.	Expertes inuidetiæ mularum fores.

Enodatio.

Figulus figulo inuidet, faber fabro.

Adagiū signat id, quod certe est verissimū, mutuā scilicet esse inter illos inuidiā, qui eiusdem sint artificij. Sumptū est ex Hesiodo, in eo opere, cui titulus est Opera & dies. Hesiodi verba traduxit Nicolaus Valla ad hūc modū. Inuidet aut figulus figulo: vel egenus egeno, Siue faber fabro: dulcis q; poëta poëtæ. Quæ Hesiodi verba indicant verā esse sententiā, quæ vulgo etiam iactatur, illam videlicet, Inuidia inter pares.



Inimicus & inuidus, vicinorum  
oculus.

Prouerbiū signat vicinū vicino inuidere.  
Non enim ijs solemus inuidere, à quibus lō-  
go absumus interuallo, sed ijs qui prope sūt.

Vnicum arbutum, haud alit duos  
erithacos.

In eos torqueri potest, qui eodē in munere  
siue officio, non sunt inuicem cōcordes. Tra-  
ctum ab erithaci auis natura, quæ adeò soli-  
taria fertur, vt eodem in saltu, nō sit facile in-  
uenire nisi vnā. Et hæc auis à Theodoro Ga-  
za nunc siluia, nunc rubecula interpretatur.

Vna domus non alit duos canes.

Græci cuiusdam senarij sensus est, qui pro-  
uerbio iactatus est in eos, inter quos parum  
conuenit, propter idem lucrū, quod commu-  
niter expetūt. Sic idem regnū non fert duos  
tyrannos. Eadē respublica nō fert duos expia-  
tores. Idem munus, nō fert duos ambitio-  
sos, quorum vterq; conetur primas tenere.

Zoili.

Illi prouerbialiter Zoili dicuntur, qui alienas  
rū laudū sunt obrectatores: & alienorū labo-  
rum reprehenses. Ductū à Zoilo quopiam  
sophista: qui Homerū poëtam omnium poë-  
tarum principem ausus est libris aliquot in eū  
scriptis reprehendere.

Edētulus, vescētū dentibus inuidet.

In eos iactatur, qui illa alijs inuident, quibus ipsi carent: parumque probant in alijs, quæ ipsi assequi nequeant. Id quod frequentius fit in literarū studijs. Proterbiū sumptū est ex diui Hieronymi ad Magnum oratorem epistola, sic scribētis. Cui (quæso) suadeas, ne vescentium dentibus edentulus inuideat: & oculos caprearum talpa contemnat: Hoc est, ne quod ipsi non contigit, alijs inuideat.

Iactantiæ comes inuidiā.

In eos conuenit, qui aliorum inuidiam in se ipsi cōcitant, opera sua iactātes. Multis nimis rū nocuit vel sua opera, vel sua bona iactasse: qui si nō iactassent, illa nō amisissēt. Id quod Homerus dissuadet hoc versiculo, quē Erasmus latinitate donauit, ad hunc modū. Possideat tacitus, si qua adsint munera diuūm.

Fertilior seges est alieno in aruo.

Hoc habent homines naturale, vt alienam sortem magis mirentur, q̄ suam: quam suam sortem non raro contemnunt, alienam laudātes. Sic rusticus putat Iurisconsultum seipso feliciorē: cōtra, Iurisconsultus rusticum fortunatiore arbitratur. & negociator militem: ecōtrario, miles negociatore dicit fortunatiore. Hinc omnes inuidere inuicem cōstat. Huius adagionis metaphoram extulit Ouidius hoc modo, Fertilior seges est alieno seper in aruo. Vicinumq; pecus grandius vber habet.

Optat ephippia bos piger: optat arare caballus.

Eūdem cum superiore metaphora sensum habet. signat nempe neminem sua sorte contentum, sortem alienam præoptare: sic (vt in proximo est notatū adagio) miles, optat fieri mercator siue negociator: & negociator, optat fieri miles. sensus clarus est. Adagiū istud, est carmen ex Horatio sumptum.

Præstat inuidiosum esse, quàm miserabilem.

Inuidiosus dicitur, cui alij propter felicitatem inuidēt. miserabilis: cui propter infelicitatem misereri & compati solēt. Præstat autē huius esse sortis, cui alij inuideant, quàm cui misereantur. Inuidia nanq; ferè semper est comes felicitatis, & miseratio calamitatis.

Turpe filere.

In eum quadrat, qui alterius, cui inuidet, exemplo commotus, negocium idem suscipiat, quod suscepit ille, cui inuidet. veluti si quis ludimagister id suos discipulos docere paret, quod ab alio, cui inuidet, doceri animo aduertit, ne videlicet illud ignorare videatur. Ductum videtur adagium ab Aristotele, qui, quū Isocrates rhetoricam doceret, cæpit & ipse pomeridianis horis dicēdi artem docere, dicens, Turpe filere loquente Isocrate. Huc spectat prouerbiū, vt doceat esse inuis

ERASMI ADAGIORVM

diã inter pares. Id quod superiori notatũ est  
adagio, illo videlicet, Figulus figulo inuidet.

Expertes inuidentiã musarum  
fores.

De ijs dicitur, qui literaturam suam cã-  
dide, libentẽr q; impertiũt alijs, & ad docẽdũ  
prõpti, propensi q; sunt. Id quod non consue-  
uit inuidus. Aptissime etiam congruet in do-  
ciles. Id quod signat prouerbiũ illud, quod  
alibi memorabitur, Apertã musarum ianuã.

IN OBTRACTATORES  
ET MALEDICOS.

Mortui non mordẽt.	Dẽte Theonino rodi.
Mortuis non conui- tiandum.	Genuino mordere. Vigilator.
Cum laruis luctari.	Plausra conuitijs o- nusta.
Iugulare mortuos.	Dentata charta. Morsus aspidis.
Carpet citius aliquis, quã imitabitur.	Naues onustę conui- tiji.
Tuis te pingã colo- ribus.	Infixo aculeo fugere. Histricis seta.

Enarratio.

Mortui non mordent.

Adagium signat mortuos vituperatos, nõ  
vicissim vituperare: aut pro accepto vitupe-



rio, siue iniuria non posse nocere. Natum ex apophthegmate Theodori Chij, q̄ fuit Ptolemæi regis in arte rhetorica præceptor. Hic enim in cōsiliū adscitus, quum deliberaretur, vtrum Pompeius ab Ægypto repellendus esset, an contra admittendus, censuit receptum occidendū, addens hoc dictum, Mortuos non mordere.

Mortuis non conuitiandum.

Hoc dicto significat victo nō insultandum: nec in mortuum vltra cōgerenda cōuitia, q̄q̄ iure sit occisus. Hoc monet Vlysses, qui de extinctis procis loquens apud Homerum in Odyssæa, sic ait. Haud fas est super occisis iactare teipsum.

Cum laruis luctari.

Ille dicitur cum laruis luctari, qui vita defunctos maledictis infectatur: qua quidem re nihil potest esse ingenuo viro indignius: quod qui faciunt, eos Plato comparat catellis, qui lapides iactos mordent, ipsos qui lædunt, nō attingunt.

Iugulare mortuos.

Proverbiū cum superiore conuenit: dicitur q̄; ille mortuos iugulare, qui eos maledictis infectetur, qui iam extincti sunt. Tractū est à bellis, in quibus ignauum, ac ridiculum sit, prostratos atq; interfectos iugulare.

Carpet citius aliquis, q̄ imitabitur.

Sensus est senarij, qui Apollodori pictoris operibus inscribi consuevit, qui primus vniuersarum imitationem inuenit. Apte dicetur de re quapiam artis absolutæ, atque inimitabili. Porro res egregias multo procliuus est carere, quàm æmulari.

Tuis te pinguiam coloribus.

Hoc est, te talem describam, siue prædicabo qualis ipse es: si malus malum: si bonus bonum prædicabo. Trāslatum à pictoribus, qui nonnūquam hominis faciem ita vt est exprimunt, ac representant: nonnunquam alienis fucant coloribus.

Pellem caninam rodere.

Pellem caninam rodere fertur, qui hominem maledicum, & improbum cōiitijs insectatur. Sumptum est prouerbiū ex Martialis epigrammatibus, sic scribentis in quēdā obtrectatorē, Non deerunt tamen hac in vrbe, forsitan Vnus, vel duo, tresve, quatuorve Pellem rodere qui velint caninam.

Etiā in deorum cœtu.

Quidam interpretantur de maiorem in modum probis, & æquis. Quidam de vehementer maledicis. Addunt locum quempiam esse in Eleusine, vicinum Anacloro, vocatū *θεῶν πύλη* & *γῶν ἀπὸ*, id est deorum cœtum siue cōcionem: in quem non ingrediebantur, nisi bene omnino nantes. Vnde de quopiam præter modum ma-

ledico dicebant. Hic vel in Deorum concio-  
ne, male ominata loquetur.

Dente Theonino rodi.

Hic fertur dēte Theonino rodi, qui ab alio  
conuitijs laceratur. Sūptum est a poēta quo-  
dā loquacitatis rabiosæ, petulātissimæq; ma-  
ledicentiæ, qui quidem Theon vocabatur.

Genuino mordere.

Qui clanculum obtrectat, laceratq; quem-  
piam, eum genuino mordere dicitur. Dentes  
enim genuini, sunt omnium recōditissimi, ac  
propemodum operti gingiua. sero emergunt  
homini, nempe circiter annum vigesimum,  
multis & octogesimo, teste Plinio libro vnde-  
cimo naturalis historiæ, capite tricesimo. Ada-  
gium potest referri ad canes, qui postremis  
dentibus ossa duriora circumrodunt. Omnis  
autem obtrectatio, morsus dicitur.

Vitiligator.

Vitiligatores M. Cato vocabat litium auis-  
dos, & alienorum operum calūniatores. Eaq;  
vox ob nouitatem doctis in adagione abijt,  
quemadmodū est Homeromagistes, & Ver-  
giliomagistes.

Plaustra conuitijs onusta.

Illi dicuntur plaustra conuitijs onusta, qui  
altercantes multum conuitorum iactare so-  
leant, quantū plastro possit vehi. Figura est  
hyperbolica. Huc pertinet illud, Naues con-

uitijs onustæ: & Naues promissis onustæ: sed hoc vltimum dicitur de maximis & amplissimis promissis.

Dentata charta.

Referri solet de oratione, quæ alium mordeat. dentata siquidem, mordacia dicuntur. Suptum est ex Cicerone ad fratrem sic scribente. Calamo & atramento temperato, dentata etiam charta res agetur. Et Seneca dentatos sales esse non vult.

Morsus aspidis

De malo immedicabili, aut de lingua vehementer virulenta. Refertur adagium ab Apostolo Bizantio. Circunfertur græcus versiculus adagio concinens, Telum aspidis profecto mulier improba. Ælianus primo de naturis animantium libro, tradit aduersus viperarum, omniumq; serpentum morsus remediū inueniri, aspide vna excepta. præcipue si de rana gustauerit, vt ait libro proximo. Solius huius ictum omni cura potētiorē esse. Nec ab vilo vinci, præterq̄ à muliere: quæ vel aspectu, cōtactuq; solo necet, quorum alterū cum regulo, alterum cum aconito cōmune.

Naues onustæ conuitijs.

Similis est figura cū superiore, illa videlicet, Plaustra conuitijs onusta: atq; eundē sensum habet. Sumpta quoq; est ex Homero, cuius carmen latinū fecit Erasmus hoc modo,



Probrorū superest ambobus copia summa,  
 Quorum onus haud portet, centum ratis in-  
 cita remis.

Infixo aculeo fugere.

Metaphora est prouerbialis, vbi quis dicto conuitio, seu quopiam maleficio peracto, statim subducit sese: ne vel tueri cogatur, quod dixerit, aut ne mutuum recipiat. Trāslatum videtur ab apibus, aut vespis, quæ infixi aculeo, statim aufugiunt. Id enim innuit Plato in Phædone. Potest & ad Parthos referri, qui iaculo coniecto in hostē, mox equis versis se fuga proripiūt, nec audēt cominus cōgredi.

Histricis seta.

Dicterium acriter in quempiam tortū, pius  
 lus histricis, & histricis seta dici poterit. Ad-  
 gium sumptum ab animante, cui mos irrita-  
 to, pinnas aculeas (quibus illi tergū inhor-  
 ret) teli ritu eiaculari.

### IMPOSSIBILIA.

Prius lupo ouē du-	pariet.
cat vxorem.	Mare prius vitem tu-
Prius duo echini a-	lerit.
micitiam incāt, al-	Prius testudo leporē
ter è mari, alter è	præuerterit.
terra.	Citius in nauī cadēs
Prius locusta bouem	à ligno exciderit.

d.j.

Fontes ipsi siccant.	Nunq̄ efficies, vt re-
<u>Simul sorbere &amp; fla-</u>	ctè ingrediatur cā-
<u>re difficile.</u>	cri.
Sine pennis volare	Sambucam citius ca-
haud facile est.	loni aptaueris alto.
Ab asino lanam.	Lupum agno eripere
Impossibilia captas.	postulant.
Ex harena funiculum	Quid si cælum ruat?
nectis.	

## Expositio.

Prius lupus ouem ducat vxorē.  
De illis iactatur adagiū, inter quos sit dissi-  
dium insanabile, & quos reconciliari sit im-  
possibile. Inter lupos enim & oues, sūma est  
inimicitia.

Prius duo echini ineant amicitia,  
alter è mari, alter è terra.

In eos cōpetit, qui moribus, ac studijs sunt  
inter se ita discrepantes, vt sit impossibile nes-  
cessitudinem inter eos coire. Nā est echinus  
marinus: & echinus terrestris, quē alio nomi-  
ne vocant Erinaceum.

Prius locusta bouem pariet.  
Dici cōstuevit de re, quam efficere nequaq̄  
sit possibile. Locusta liquidem animal paruū,  
bouem animal magnum parere non posset.

Mare prius vitem tulerit.  
Proverbiū in eas res quadrat, quæ quidē  
sunt huiusmodi, vt nullo pacto effici queant.

Nam maris falsugo, vitibus est inimicissima.

Prius testudo leporē præuerterit.

Parœmia conuenit in rem, quæ neutiq̃ uerisimilis esse possit. Testudine nanq; nihil est tardius: vnde & testudineum incessum dicimus pro incessu tardissimo. Lepus autē, celeritate præcellit.

Citius in nauī cadens à ligno exciderit.

Prouerbialis est hyperbole. siquidē in nauī cadens, non potest non occurrere ligno, quū nauis ipsa vndiq; sit lignea.

Fontes ipsi sitiunt.

Ironia prouerbialis in eos, qui petūt ab alijs, quod ipsis affatim abundet domi. Cicero ad Quintū fratrem. Tibi quod rogas ( quoniam ipsi fontes iam sitiunt ) siquid habebō spacij scribam. Significat fratrem magis abundare uerbis, quos tamen à se petat, perinde quasi carminum indigens. Refertur potest adagiū & ad rem impossibilē. possibile enim raro est, ut fons omnino aqua careat.

Simul sorbere & stare difficile.

Hoc adagio cōmode utemur, quādo significabimus negocia quępiā id genus esse ut simul ab vno tractari, siue perfici nō possint. Veluti si quis conetur simul & mundo seruire & CHRISTO: simul & uxori studijsq; satissacere: simul & literis & voluptatib⁹ vacare. &c.

d. ij.

Sine pennis volare haud  
facile est.

Adagium istud significat nullum esse, qui aliquid efficere possit, quum ea desunt, sine quibus negotium peragi nequeat. Non enim aues absq; pennis volare possunt.

Ab asino lanam.

Ab asino lanam quæris, id est quæris id ab eo, quod ipse nulla ratione dare possit. Asinus enim, lanam non fert. Apud Aristophanē per asini lanas, res vanæ significantur, & quæ nusquam sunt.

Impossibilia captas.

In eum quadrat, qui id negocij molietur, quod quidem efficere non possit. Sumptū videtur ab aucupio, seu venatu prædaram illarum quas consequi non sit facultas.

Ex harena funiculum nectis.

Ex harena funiculum nectere, est frustra conari, quod nulla possit ratione confici. Nihil enim stultius, q̄ ex harena, quæ nullo modo cohaerescit, funem velle nectere. Eūdem cum isto adagio sensum habet & illud, Anthericū metis, id est laborem inanem ac sterilem capis. Anthericus enim herbe genus, quod meti nō possit, sed velli manibus necesse est, velut & linum.

Nunq̄ efficies, vt recte ingrediantur cancri.



Signat prouerbium nō posse illud corrigi,  
quod à natura sit datum: vnde & versiculus  
ille vulgo iactatur, Quod natura dedit, tolle-  
re nemo potest. Hoc intellexit Baptista Mā-  
tuanus illo pentametro, Vertere naturas, est  
violare Iouē. Parcemia sumpta est ex Aristo-  
phane, cuius carmina sic transtulit Erasmus.  
Ambulet vt cancer recta, haud effeceris vnq̄:  
Nec quicq̄ efficies, vbi res erit ante peracta.  
Nam cancris genuinum, oblique ingredi.

Sambucam citius caloni aptaue-  
ris alto.

Carmen est Persianum, quo vtī solēt, quo-  
ties volūt significare aliquem à disciplina ita  
alienum, vt eam percipere non possit. Nam  
sambuca organum est musicorum, caloni nō  
congruens. Calo autem dicitur militum mi-  
nister, qui vallos ac ligna gestitat.

Lupo agnum eripere postulant,  
nugas agunt.

Sumptum est ex Plauti Pænulo, cōuenit q̄  
in eos, qui frustra conātur prædam recipere,  
cui semel manus iniecit rapax aliquis. Sole  
clarius est Lupum rapacem esse, à quo non  
fit facile agnum raptum eripere.

Quid si cælum ruat?

Ironia est prouerbialis in eos quadrās, qui  
in tutissimis etiam rebus ridicule timere so-  
leāt. Sumptum ex eo, quod priscis illis, & ru-

dibus mortalibus persuasum fuit, cælum hoc videlicet (quod imminere videbant) Athlantis humeris sustineri: quod si ille se subduxisset, fore ut è sublimi in terram decideret, id quod nequaquam fieri possit.

## ASSIDVITAS.

Minutula pluua imbre**m** parit. Saxum volutum, nõ obducitur musco.

Affidua stilla saxũ excauat. Multis ictibus deijs citur quercus.

Dicendo dicere discunt. Exercitatio potest omnia.

Latũ vnguẽ, ac similes hyperbolæ prolypus contusus.

verbales. Velut vmbra sequi.

Ne altero quidẽ pede.

## Elucidatio.

*Minutula pluua imbre**m** parit.*

Hoc vtimur prouerbio, quoties significare volumus rem, quæ sit initio pusilla, per assiduitatem in maius crescete. Eã igitur ob rem in minutis vigilandum, ne paulatim incidamus in maxima incommoda. Id quod admonet prouerbialis Græcorum senarius, quem Erasmus transtulit ad hunc modum.

*Maiora perdes, parua ni seruaueris.*

*Affidua stilla saxum excauat,*

Prouerbium admonet nihil esse tam durū, quod non emolliat: nihil tam arduum, quod non efficiat assiduitas. Quam sententiā eleganter expressit Ouidius hoc disticho. Quid magis est durū saxo? quid mollius vnda? Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Dicendo dicere discunt.

Hoc est, dicendi assiduitate dicere discunt. Latius patet adagiū: Nempe ad cuiusuis rei peritiā, quam potissimū vsus, optimus rerum omnium magister, suppeditat. Proinde prouerbiales erūt omnes id genus figuræ, Fabricando fabricam discēs: Canēdo musicam: Militando militiam artem: Scribendo scribere discēs

Latū vnguem, ac similes hyperbolæ prouerbiales.

Trāuersū digitū, aut vnguē discedere, frequenter est apud Ciceronē, pro eo, quod est, q̄ minimo spatio. Festiuior erit metaphora, quoties his verbis perfectā imitationē, perfectāmq; assiduitatem, ac plenum vnde quaq; cōsensum significabimus: vt Academicarum questionum libro secūdo, Ab hac regula mihi non licet transuersum (vt aiunt) vnguem discedere. Plautus in Aulularia. Si tu hercle existhoc loco digitū transuersum, aut vnguē latum excesseris. Eundē sensum habēt, Pedē egredi, & Pūcto recedere. Metaphora partim

sumpta videtur ab ijs, qui tabulam, aut saxū, aut simile quippiam digitis latis metiuntur, quoties exquisitæ rei modus spectatur. Nam reliqua, cubitis metiri solemus: minima mensurarum, latus digitus est. Partim sumpta est à iugerum mensuris, qui stadijs, passibus, & vt minima mensura, pedibus soli spatium metiuntur. Vulgo etiam nunc dicunt, Culmū latum, simili figura, pro eo, quod est, ne tantillum quidem.

Ne altero quidem pede.

Eundem sensum cum superiore prouerbio habet & istud. Ne altero quidem pede discere, id est minimo spatio &c.

Saxum volutū, non obducitur musco.

In eum quadrat, qui non ditescit, ea scilicet de causa, quod eodē in loco cōsistere nesciat. Id totidem penē verbis etiam hodie dicunt, Planta quæ sæpe transfertur, nō coalescit.

Multis ictibus deiicitur quercus.

Hoc prouerbio significant rem factu difficilem, assidua industria tandem fieri. Id quod etiam docet carmen Hesiodiū ab Erasmo sic traductum. Si paulum paulo adijcies, faciēsque ita crebro: Mox magnum quiddam tibi conficietur, & ingēs. Istud Hesiodi carmen legitur & apud Volateranum, quo loco agit de labore, ad hunc quidem modum. Si modico iugiter modicū superaddere perges: Nempe bre-



ui magnus surget tibi tempore aceruus.

Exercitatio potest omnia.

Hæc sententia signat nihil esse tam arduū, quod diligentia, curaque non efficiatur. Vnde Virgilius ait. Labor omnia vincit Improbus; & duris vrgēs in rebus egestas. Extat & apud Græcos prouerbialis sententia, quæ sic latina legitur. Dij bona laboribus vendunt.

Bis septē plagis Polypus cōtusus.

In eū conuenit, qui multo siue assiduo malo tandem fit emendatior. Quæadmodum fit in indomitis adulescentibus, qui post multa tandem & verbera & mala cicurantur, corrigunturq;. Nam adagium à Polypi piscis natura: quem aiūt captū, diu, multumq; fundi, credi q; solere, quo fiat mitior, & ad esum accommodatior.

Velut vmbra sequi.

Hic dicitur velut vmbra sequi, qui alicui operi nusq; deest, sed adest assiduus. Nam vmbra corpus affectatur velit nolit. Plautus in Cassina. Decretū est mihi quasi vmbra, quoquò ibis, tute persequi. Vnde assecas indituiduos, vmbra vocamus.

D I L I G E N T I A E.

Ad amussim. In quadrū redigere.

Ad vnguem. Caput scabere, & cō-

similia.	Aristophanis & Cleā
Neq; quantū lusciniæ	this lucerna.
dormiunt.	Somnus absit ab ocu
Ruminare negociū.	lis.
Fixis oculis intueri.	Grues lapidem deij
Non nauigas noctu.	cientes.
Succisua opera.	Vel acum inuenisses.
Incudi reddere.	Frōs occipitio prior.
Vnum ad vnum.	Ruris fons.

Olet lucernam.

Explānatio.

Ad amūssim.

Illud opus dicitur factum ad amūssim, ex amūssim, examūssatim, amūssati, quod exqui sita diligentia, atq; exactissima cura sit factū. Et amūssitata opera, id est examinata, siue ca stigata dicuntur. Translatum à fabris lapidarijs, aut lignarijs, qui funiculo illo regulari, operis æqualitatem explorant.

Ad vnguem.

Eundem habet sensum cum superiore adagio. Sumpta autem metaphora à marmorarijs, qui superinducto vngui, cōmissuras marmorum explorāt. Horatius. Cocceius ad vnguem factus homo, id est absolutus.

In quadrum redigere.

Cicero hoc adagium vsurpat: Id'que libro de perfecto oratore. quo quidē adagio significat in ordinem aptāmq; structuram concin-

nare. Hinc opus in quadrum dicitur redactū,  
quod in suum ordinem, conuenientemq; stru-  
cturam compositū sit. Sumptū ab ijs, qui ar-  
bores, aut lapides mathematicis gnomonib<sup>9</sup>  
exæquāt, vt inter sese vndequibq; congruant.  
Caput scabere & consimilia.

Caput scabere: vngues arrodere, gestus ho-  
minis sunt cogitabundi, & de mutādo, cuius  
pœniteat, secum agitantis. Vnde trahūtur in  
vsum prouerbialē. Horatius libro primo, Sa-  
tyra decima. Sed ille, Si foret hoc nostrum fa-  
to delapsus in æuū, Detereret sibi multa,  
recideret omne, quod vltra Perfectū trahere-  
tur, & in versu faciēdo Sæpe caput scaberet,  
vius & roderet vngues, Sæpe stilū vertens,  
iterum quæ digna legi sint Scripturus. Id imi-  
tatus Persius, Nec pluteum (inquit) cedit:  
nec demorsos sapit vngues. Item alibi, Cru-  
dum Chærestatus vnguem arrodēs, ait hoc.  
In superiore taxat poëtarum in scribendo ne-  
glentiā. In altero describit adolescentem, de  
mutāda anteactæ vitæ ratione cogitantem.

Neq; quantū Luscinie dormiūt.

In eos conuenit, qui somni parcissimi sunt.  
Luscinie minimū dormire feruntur: vel pro-  
pter Ityn extinctum: vel ob timiditatē. Eras-  
mus magis arbitratur dictum, quod Luscinie  
vernīs mensibus, per omnem ferè noctē per-  
petuo cantu garriant.

## Ruminare negocium.

Ille dicitur ruminare, seu remandere negocium, qui illud sæpius animo suo voluit, etiã atq; etiã expendens. Sumpta metaphora ab animantibus, qui cibũ in os reuocatũ denuo mandunt, atq; ita demum in alterum v̄trem traiciunt. Id quod nõ accidit, nisi ijs, quibus duo sunt ventres.

## Fixis oculis intueri.

Hic dicitur aliquid fixis, seu defixis oculis intueri, qui illud attentius, diligentiusq; considerat. Sumptum ab amantibus: qui stupentibus, nec vsq; dimotis oculis inspicunt id, quo delectantur.

## Non nauigas noctu.

De eo dictum, cui nihil est certi, quod sequatur, propterea quod nocturnis tēporibus certius nauigāt nautę, propter stellarũ notas.

## Succisua opera.

Succisuius operis fieri dicitur, quod horis quibusdã quasi furtiuis agitur, vbi iam ordinarijs, ac legitimis officijs perfuncti sumus. Metaphora traducta à mercennarijs aut seruis: qui præter pactas operas, quas debēt, extra iustas illas horas nõnihil etiam operantur sibi, quod cedat in peculium. Plinius in præfatione historiæ, Et occupati officijs, succisuius tēporibus ista curamus, id est, nocturnis. Itaq; quod obiter, atque aliud agentes cura



mus, id operæ succisiuæ tribuitur.

**Incudi reddere.**

Opus aliquod dicitur incudi reddi, quò res fingitur, ac mutatur, corrigiturq;. Horatius, Et male tornatos incudi reddere versus. Con simili figura dicunt recoquere. Item Horatius. Recoctus scriba ex quinqueuiro.

**Vnum ad vnum.**

Figura est profecto prouerbialis: qua uti solent, quum exactius singula singulis cõponuntur. Potest videri translaturum à prælio, quòties res acriter geritur, singulis aduersus singulos dimicantibus.

**Olet lucernam.**

In rem meditatã conuenit, multòq; studio elucubratã. Inde prouerbiũ ductũ, quòd studiosi ad lucernã vigilantes soleant elaborare, si quid accuratius velint excudere. Iactatur olim in Demosthenem, illius enthymemata lucernam olere: quòd omnia de scripto diceret, ac præmeditatus domi. Vnde & illud de eodem celebratur elogiũ: quòd plus olei, quàm vini consumpserit. Erat enĩ abstemius & hydropotes, id est à vino abstinens, & aquæ potator: atq; extrema etiã senectã, ad lucernulam illam suam exercebatur.

**Aristophanis & Cleanthis lucerna.**

Qui summo studio, exquisitãq; cura singula p̄sitat, ad Aristophanis & Cleãthis lucernã

nā lucubrare dicitur. Sumptū ab ipsius Aristophanis & Cleanthis lucerna, propter insignem eorum studij diligentiam

Somnus absit ab oculis.

Si aliquem hortari velimus ad id agendū, quod summā requirat diligentiam (quod genus si quis capeſſat philosophiæ studiū) hoc vtemur adagio, illi videlicet suadentes, vt & omnia tum faciat, tum patiat.

Grues lapidem deiſciantes.

Dici solitum de ijs, qui summa prouidētia gerunt negocium. Id in vulgi dicitur sermōnem abiſſe, quod gruibus mos esse dicatur, vt quoniā admodū sublimes volāt, magnōq; feruntur impetu, neq; possunt deorsum aspiciere, lapillos gestent. quos si quando fatigari cōperint inter volandū: ex alto deiſciāt, quo videlicet è cadentiū strepitu percipiant, vtrū supra terrā, an supra mare volent. Quod si lapillus in mare deciderit, pergūt viam. Sin in terram, interquiescunt. Hoc commentū verū sit, an friuolum, alijs expendendum Erasmus relinquit.

Vel acum inueniſſes.

Apud Plautum est prouerbialis hyperbole, de re diligēter vestigata. Acum (credo) inueniſſes, si acum quæreret. Nam acus inuētū difficillima, quod ob exiguitatem facile fallat oculos quærentis.

Frons occipitio prior.

Hoc prouerbio rectè vtemur, quū significare rectè voluerimus melius rē effici, vbi ille præfens, ac testis adest, cuius agitur negocium. Vbi notandum est, quòd prior, hoc in loco pro potior, meliórq; accipitur. Huc pertinet cuiusdā respōsum, qui rogatus, quæ res potissimū saginaret equum, respōdit, oculus domini. Alter rogatus, quod sterco esset optimum, domini vestigia, respondit. Vtrisq; significauit domini præsentiam plurimū valere ad rem bene gerendam.

Ruris fons.

Adagium quadrat in nimium laboriosos, & perpetuo operi assidentes, cuiusmodi finxit Menedemū Terētius. Dicitur item adagium & de negotio laborioso, & cui nunq̄ exhausti satis est. Nam vocabulum fons hyperbolen habet copiae, non tantum apud Græcos, verum etiam apud Latinos,

INDILIGENTIAE.

- |                                      |                              |
|--------------------------------------|------------------------------|
| Princeps indiligens.                 | lignē: per somniū.           |
| Malus lanitor.                       | Per transennam inspicere.    |
| <u>Compressis manibus</u><br>sedere. | Vt canis è Nilo.             |
| A limine salutare.                   | Primoribus labijs degustare. |
| Per nebulam: per ca-                 |                              |

Summis naribus ol<sup>o</sup> tingere.  
 facere. Molli brachio: Leui  
 Summis labijs. brachio.  
 Extremis digitis at<sup>o</sup>

Explicatio.

Princeps indiligens.

Adagium in omnes illos quadrare potest, qui in sibi subditos parū sunt diligētes: quorum incuria subditis ipsis sit damnosa. Indiligens quandoquidem pēdagogus, puerū corrumpit. Malus p̄ceptor, viciat discipulum. Rex improbus, populū item corrumpit. &c.

Malus ianitor.

Malus ianitor, id est indiligens p̄fectus, aut custos. Natum prouerbiū à dicto Thycionis cuiusdam, qui quū videret Philippi copias, isthmicas angustias occupasse, sic ait. Malos Ianitores vos ò Corinthij Peloponnesus habet.

Compressis manibus sedere.

In ociosos, & nihil aliud quàm sua deplo<sup>o</sup> rātes fata iactatur prouerbiū. Titus Liuius libro septimo. Compressis (quod aiunt) manibus sedeas. Extat & in Hebræorū prouerbis. Paululum conseres manus. In ignauum tortum adagium. Figura sumpta à gestu sollicitorum quidem, sed inertium tamen.

A limine salutare.

Ille dicitur aliquam disciplinam à limine fa<sup>o</sup>



lutasse, qui in ea neque valde diuturnam, neque præcipuam operam impenderit, sed rudimenta tantummodo degustarit. A vulgaribus istis amicis translatum proverbium, qui quidē non admittuntur in penetralia: sed procul, atque à limine salutant: deinde discedūt.

Per nebulam: Per caliginem:

Per somnium.

Quarum rerum ambiguum quandam, ac tenuem, penèque euanidam memoriam, aut intelligentiam obtinemus, eas res per nebulam recordari: per somnium meminisse: per caliginem videre prouerbio dicimur. Vt sunt ea, quæ puelli vidimus, ea senes quasi per somnium recordamur, vix tenuibus quibusdam simulachris rerum inhærentibus animo nostro: qualis est fermè vulgarium infomniorū memoria. Porro quod per mediam nebulam intuemur: eius cōfusam dūtaxat imaginem, ac velut vmbra incertam aspiciamus. Cuiusmodi sunt, quæ per caliginē cernuntur in tenebris. Hinc igitur ducta metaphora.

Per transfennam inspicere.

Per transfennam inspicere, prouerbiali figura dictum est, pro eo, quod est, non propius, neque singillatim: sed procul, & summarim inspicere. Translatū à negociatoribus, qui mercibus cancellos obijciunt. Quidam etiam vitrum pellucidum opponunt, vt prætereuntis

bus procul, modo cōtemplari liceat. Nec explicant eas, nisi licitatori idoneo.

Vt canis è Nilo.

Qui leuiter, ac velut obiter artem quampiã, aut authorẽ degustant: ij ceu canis è Nilo degustare dicuntur. Sumptum ex apophthegmate quodã, cuius meminit Macrobius Saturnalium libro primo. Id est huiusmodi. Post fugam Murinensem: quærentibus, quid ageret Antonius, quidã familiaris eius respõdit, Quod canis in Ægypto, bibit & fugit. Nã in illis regionibus cõstat raptu crocodilorum canes exterritos bibere, & fugere. Solin⁹ scribit eos non nisi curxetes lambitare, ne deprehendantur.

Præmoribus labijs degustare.

Qui breuiter quippiam attingit, dicitur illud præmoribus labijs degustare. Vnde ille dicitur logicã, aut theologiam, aut aliam quãpiam disciplinam præmoribus labijs degustasse, qui in eã paruam impenderit operam. Dicitur ab ijs, qui cibum, aut potum tenuiter degustant.

Summis naribus olfacere.

Summis naribus olfacere, solet accipi pro eo, quod est leui experimẽto, coniecturãque qualicunq; deprehẽdere. Extat apud Lucianum in Ioue redarguto.

Summis labijs,

Qui aliquid simulat verbis, non autem ex animo facit, dicitur illud agere summis labijs. Veluti si quis improbus, probum se simulet, dicitur probum summis labijs agere: & presces summis tantum labijs fundere, qui nō ex animo orat.

Extremis digitis attingere.

Cum duobus adagijs superioribus istud eundem habet sensum. Qui siquidē aliquid expertus quidem est, sed parum, dicitur illud extremis digitis attingisse. Veluti qui docendi labores tulerit quidem, sed parum, dicitur illos attingisse extremis digitis.

Molli brachio: Leui brachio.

Quum aliquid indiligenter factum significare volumus, id molli, seu leui brachio factū dicimus. Cicero epistolarum ad Atticum libro quarto. Consules, qui illud leui brachio egissent, rem ad senatum detulerunt.

### S O M N O L E N T I A.

Endymionis somnū

mis.

dormis.

Non decet principē

Ultra Epimenidem

solidā dormire no-

dormis

ctem.

Salem vehens dor-

Enarratio.

Endymionis somnum dormis.

c. ij.

ERASMI ADAGIORVM

In eos quadrat, qui aut sese multo sōno sagināt: aut qui ferè semper ociosi sunt, nec vllis se negocijs exercent: sed mollē, feriatāmq; agūt vitam. Natum à notissima Endymionis fabula. Is erat puer pulcherrimus, quē Luna adamabat. Cui quidem illa à patre Ioue precibus impetrauit, vt quicquid ille optasset, id impetraret. Optauit autē Endymion, vt perpetuum dormiret somnū immortalis manēs, & senis expers.

Ultra Epimenidem dormis.

In eos etiā torquetur, qui sint semper ociosi. Sumptū ex historia de Epimenide theologo Cretensi, qui fessus ambulando in specū quendā subierat, vbi obdormijt: nec experretus est eo somno ante exactos ānos quadraginta septem.

Salem vehens dormis.

In eum quadrat, qui in re periculosa socorditer, atq; indiligenter agit. Natum ab euētū. Negociator quidā nauem onustam sale vehens: nautis dormitātibus influxu aquae marinae sentina vehemēter adaucta, & salem vniuersum soluit, ac corrupit, & nauē ipsam demersit.

Non decet principem solidam dormire noctem.

Hoc sumptū est ex Homeri carmine secūdi Iliados libri, quod traduxit Erasmi ad hūc



modum. Haud dignū duce id est, noctē dormire per omnem. Admonet parcētia vigilantiam, ac sollicitudinē maxime cōuenire principibus, vt qui tantā negociorū sarcinam sustineant humeris. Vnde Virgilius Æneā suū, alijs dormientibus, aut voluptati indulgentibus, facit aut vigilantē: aut certe excitat, fingitq; cogitabūdū, sobriū, & de futuris agitātem animo. At pius Æneas (inquit Virgilius) per noctem plurima voluens. Et rursus ait, Ænea potes hoc sub casu ducere somnos.

## O C C U P A T I O, O C I V M.

Ne ad aures quidem	Vincula tyrrhena.
scalpēdas ocium est.	Quum licet fugere,
<u>Nullum ocium seruis.</u>	ne quærere litem.
Festū multas habens	Ignauis semper seriarū
molestias.	sunt.

## Enodatio.

Ne ad aures quidem scalpendas ocium est.

Prouerbialis est hyperbole hoc in adagio, quo ne minimum quidem ocij superesse significamus. Ille siquidē maxime occupatus dicēdus est, qui vsque adeo sit occupatus, vt ob negociorum multitudinem tantillum vacui temporis habere non possit, quod ad scalpendas aures sufficiat.

Nullum ocium seruis.

In eos dicetur, quibus propter obnoxiam ministerijs sordidioribus conditionem, nō va-  
cat honestis disciplinis operā dare. Scitē etiā  
accommodari poterit in improbos, quorum  
naturā ita vitijs occupatur, vt non possint e-  
gregias artes perdiscere. Nihil enim seruitute  
occupatus. Nulla autem seruitus grauior, q̄  
si quis vitijs seruiat. Maxime quū is plurimis  
seruiat vitijs inter se diuersis, & ob id diuersa  
imperantibus. Etenim si quando segnities ius-  
bet dormire, etiam in medios dies: e contrario  
auaritia prima luce surgere iubet &c. *Sum-  
ptum est prouerbiū à seruatorū cōditione, quib-  
us domini nullum omnino concedunt ocium.*

Festum multas habens molestias.

In eos quadrat, qui aliquo profecturi ma-  
gnas componunt sarcinas. Natū ab ijs, qui se-  
sta solent adire: quibus quidem mos est multā  
supellectilem vnā secum conuehere, vasa vi-  
delicet, vestes, sacra, panes, atq; id genus alia  
multa, ne quid desit, quod ad solennitatē per-  
tineat. Pulchrius in eos conueniet, qui nihil  
agunt, q̄ quis exiguū, nisi magno molimine, lon-  
ga cunctatione, miro apparatu: Ita vt sæpenu-  
mero, tum se, tum reliquos omnes defatigent  
apparando, priuſq̄ quicq̄ incipiant.

Vincula tyrrhena.

Odiosa negocia, &amp; quæ non sine tædio ali-

quis subiret, Vincula tyrrhena dicebantur. Ortum prouerbium à vinculis, quibus Tyrreni captiuos vinciebant, grauib; nēpe, & molestis.

Quū licet fugere, ne quære litem.

Prouerbium admonet non esse litigandū, si quo modo effugere liceat. Id quod ab ijs verissimū prædicatur, qui sint litis mala experti. Natū vero adagiū ab Alcibiadis apophthegmate, qui quū à Sicilia ab Atheniēsis<sup>9</sup> citaretur, vt criminibus responderet, sese abdedit, negans litigandum esse, si quo modo liceret effugere. Quū vero alij subijcerent, Non igitur cōfidis patrię de te iudicaturę, Immò (inquit) ne matri quidem crediderim.

Ignauis semper ferię sunt.

Qui vacāt ocio, feriari dicuntur: & ociosi, feriari: & ociū, ferię. quę metaphorię tanq̃ in prouerbium receptę sunt. Theocritus in Bucolicis ait, Semper ferię inertibus. Nā ferijs etiā ethnici à prophanis negocijs abstinebāt. Qui fugitant laborē, optant dies festos, quo liceat ociari, ventriq; & voluptatibus indulgere. Siquidem antiquitus in hoc dabātur agricolis feriati dies aliquot, vt lusu reficerēt lassitudinem. Aptè igitur prouerbium accōmodabitur in eos, qui nūq̃ nō causantur aliquid, quo sint in ocio. Veluti quibus insuaues sunt literę, nunc excusant valetudinē: nunc occu-

c. iij.

pationes rei domesticæ: nonnunq̄ obstat rigor hyemís: aliás æstatis feruor: interdū autumní periculofum cælum. Demum auocat à libris, veris amœnitas, mox fugítura. Pransi, negát esse rem habendam cum libris, anteq̄ concoxerit stomachus. Impransís obftrepít fames, quo minus libeat. Luci dicunt ignauium esse, domi defidere. Caterum ad lucernam vigilare, oculis inimicū. Si superat res domestica, quorsum opus (inquiunt) literis? Si deest, negant pauperē posse philosophari. Iuuenis negat, æui florem curis senilibus absumendum. Prouectior ait, valerudini parcendum.

## O D I V M.

Odiū Vatinianum.	Ira omniū tardíffime
Odiū agreste.	fenescit.
Odiū nouercaie.	Fratrum inter se iræ
Oderint dū metuant.	sunt acerbíffimæ.
Empedoclis simultas	Archidamicū bellū.
Odit cane peius, & an	Ne via quidē eadē cū
gue.	illo vult congregi.
Cui ista arridēt, meis	Principū fauor neces
non gaudeat.	farius.

## Declaratio.

Odiū Vatinianum.

Capitale ac vehemēter acerbū odiū, Vatinianum appellarūt. Ortum adagiū à V<sup>at</sup>



tinio, in quem acerrime M. Tullius inuectus est: & in tantum populi Romani odium, iam detectis illius flagitijs, peruenit, vt in prouerbium cesserit odium Vatinianum. Catullus, Munere isto, odissem te odio Vatiniano.

Odium agreste.

Atrox odium, à veteribus agreste appellabatur: propterea quòd rustici plerūq; misanthropi, id est hominum osores sint: & acerbius, atq; implacabilius oderunt.

Odium nouercale.

Consimili figura nouercale odiū pro acerbio, siue atroci capitur. Ea nempe de causa, quòd nouercis omnibus innatum sit fatale quoddā & irreconciliabile in priuignos odiū.

Oderint dum metuant.

Tyranni vox est ab omnibus scriptoribus usurpata: quæ quidem in principes tyrannos quadrat: & in huiusmodi diuites, qui si odio ab alijs habeantur, nullo modo id curāt, dummodo in priuatum commodum omnia referre possint. Qui quidem & illud Horatianum iam citatum carmen in ore frequenter habēt, Popul<sup>9</sup> me sibilat, at mihi plaudo Ipse domi, simulac nummos contēplor in arca. Item illud Iuuenalis, Tunicam mihi malo lupini: Qz si me toto laudet vicinia pago. Adagiū poterit & per iocum usurpari. veluti si quis doctior, de indoctis, & occultis inimicis,

qui ob metū nihil loqui audeant dicat, Odes-  
runt dum metuunt.

Empedoclis similtas.

Pertinax, & irrecōciliabilis similtas, Empe-  
doclis similtas vocari cōcepta est: Idq; ab eo,  
quod Empedocles ipse ijs fuisse morib; per-  
hibeatur, vt assiduam cum aliquibus similtas  
tatem susciperet, eamq; pertinacissime exer-  
ceret. Potest etiam in eum quadrare, qui leui  
de causa fit inimicus.

Odit cane peius, & angue.

In eū conuenit, qui aliquid vehementi odio  
prosequatur. Vt hic lucri amore captus, lite-  
ras (quas amauit aliquando) nūc (quod aiūt)  
vitat cane peius, & angue.

Cui ista arridēt, meis nō gaudeat.

Dictum istud sumptum est ex Aristophanis  
nebulis: quod quidem prouerbij speciem ha-  
bet. Hoc licebit vti, quum ingēs interesse dis-  
crimen significabimus inter nostras, & aliorū  
rationes.

Ira omnium tardissime fenescit.

Prouerbiū significat offensas esse citas, ve-  
rum reconciliationes esse tardas. Vulgo nāq;  
homines iniurię acceptę diu meminisse solēt:  
benefactorum autem q̄ facillime obliuisci. V-  
trunq; Cicero complexus est his verbis, Cui  
placet, obliuiscitur: cui dolet, meminit.

Fratrū inter se iræ sunt acerbissimæ.

Illud odium significatur esse atrocissimū, quod inter fratres incidere solet. Id quod probant exempla Cayn & Abel: Romuli & Remi: Iacob & Esau. Illi quandoquidem, qui supra modum amāt, eos supra modū oderunt, quos valde amarunt si ab illis offendantur. Huc respexit Euripides, qui ī Iphigenia Aulidenfi sic scribit, Res dira verbis inuicem altercarier: Dicitisq; fratres dimicare mutuis: Siquando lis inciderit, aut contentio.

Archidamicum bellum.

De bello saevo, crudeliq; dicebatur, Epitheto sumpto ab Archidamo duce Lacedaemoniorū, qui maximis copijs impressionem fecerit in Atticam, eāmq; diuexarit. Grauissimā autem noxam infixit Acarnensibus, succisis omnibus arboribus. Proinde quum funditus tollūtur omnia, bellū Archidamicū dicebatur.

Ne via quidem eadem cum illo  
vult congregi.

In eum competit, qui aliū tanto prosequitur odio, vt si forte fortuna fuerit obuius, in aliam deflectat viam. Huic congruit prouerbialis versiculus græcus ad hunc modum ductus. Viro scelesto, nec viæ fueris comes.

Principum fauor necessarius.

Vbi quis inuitis principibus, conatur extricare se, è malo quopiam, aut lite à qua non possit explicari, nisi adiutus illorum fauore,

conueniet illud Homericū ex Odyſſea. Iacta-  
bat ſeſe ſpacioſi ex æquoris altis Emerſurum  
vndis, inuito numine diuūm.

## I R A.

In fermento iacere. Mordere labrum.  
Mordere frenum. Tacite ſtomachari.

## Expoſitio.

In fermento iacere.

Iracundia turgidus, dicitur in fermento iacere. Sūpta translatio à fermento, quod quidam habet & acorem, & tumorem. Vnde & in diuinis literis fermentum, malitiæ, rancorisq; ſignificationem habet.

Mordere frenum.

Adagium poteſt ſignificare irato, ſiue iniquo animo ſeruitutem ferre. Papinius tamen in Epithalamio Stellæ & Violatillæ in diuerſum uſurpauit ſenſum: nēpe pro eo, quod eſt ſeruitutem accipere, & frenum recipere.

Mordere labrum.

Qui ſtomachatur, indignaturq; labrū mordere dicitur. Sūptum eſt prouerbiū ab indignantium geſtu, labrum mordere ſolitorum.

Tacite ſtomachari.

In eum ſolet torqueri, qui ſecum indignatur. In quem etiam quadrat illud Homericū, Illi cor magis, atq; magis ſuccenditur ira. De



Neptuno dictum indigne ferēte, quōd Vlysses emersus ē tempestate videretur.

FIDES ET GRAVITAS.

Folium Sibyllæ.	Rhadamātheum iudicium.
Ex tripode dicta.	Oculis magis habēda fides, q̄ auribus.
Ex iouis tabulis testis.	Domesticus testis.
Atticus testis.	Dictum ac factum.
Attica fides.	Venereum iusiurādū.
Iouem lapidē iurare.	Iouis suffragium.
Viri iureiurādo, pueri talis fallendū.	Mīneruæ suffragium.
Rhadamāti iusiurādū	Explicatio.

Folium Sibyllæ.

Dici consuevit de ijs, quæ vehementer vera, atq; indubitata videri volumus, dignaq; quibus fides habeatur. Ductum adagium à Cumana Sibylla: cuius oracula cum primis celebrantur. Huic mos erat (vt testatur Marcus Varro) in palmarū folijs oracula scribere. cuius quidē rei meminī Virgilius Æneidos tertio, & sexto.

Ex tripode dicta.

Dici etiā solitum de ijs, quæ verissima, atq; certa fide videri volumus. Translatum à tripode vel Delphico, vel Pythio. Nā hæc duo oracula quondam summam fidem apud

mortales obtinuerūt. De quorum utroq; plura est videre apud Erasmum in istius adagij enarratione.

*Ex Iouis tabulis testis.*

Apud Græcos ille dicebatur ex Iouis tabulis testis, qui certus, & indubitabilis testis esset. Allusum est (ni fallitur, ut ait, Erasmus) ad diphtheram, in qua Iuppiter omnia mortalium acta describere fingitur à poëtis.

*Atticus testis.*

Atticus testis legitur in collectaneis Diogeniani, pro probatissimo, atq; incorruptissimo teste, cui igitur magna fides haberi debeat. Per ironiam etiam vanus testis dici potest, Atticus testis.

*Attica fides.*

Apud eundem Attica fides legitur pro illorū fide, qui sūt minime vani, minimēq; periuri. Inde natū, quòd apud Atticos templū esset fidei deæ constructum: cuius meminit etiam Plautus in Aulularia.

*Iouem lapidem iurare.*

Iouem lapidem iurare dicuntur, qui sancte & religiose deierant. Sumptum à prisco feriendi fœderis ritu, quod à patre patrato manu tenente lapidem cōceptis verbis peragebatur. Authores Titus Liuius, & Macrobius. Vtebantur & Arabes lapide in feriēdis fœderibus, ut est author Herodotus libro tertio.

Viri iureiurando, pueri talis fallendi.

Docet viris nulla re citius imponi posse, quàm iureiurando, quòd nemo tam improbus esse credatur, qui id velit violare. Laconis cuiusdam est apophthegma.

Rhadamanthi iusiurandum.

Rhadamãthi iusiurandum dicebatur, quòd verissimum quidem esset, cæterum nullũ deũ ascisceret. quale fuisse Socratis perhibetur, soliti per canem & anserem iurare, ne quem deum citaret: siue quòd non crederet illos esse deos: siue quòd non arbitraretur esse viri boni, deos negotiorum suorum testes accersere. Hoc autem iusiurandi genus ad Rhadamanthum referebant.

Rhadamantheum iudicium.

De incorrupte iudicantibus dici solet. Rhadamãchus enim manium iudex, neque muneribus, neque gratia deflectitur, quominus seuerè & grauius iudicet. Accommodari poterit ad mortis necessitatem, maximis pariter, ac minimis ex æquo cõmunem, Iuxta illud Æschyli apud Aristophanem in Ranis. Vna è deis mors nulla captat munera.

Oculis magis habẽda fides, quàm auribus.

Sentẽtia per se clara est. quæ nanque cernuntur sunt certiora, quàm quæ audiuntur: illis igitur maior fides adhibẽda. Vnde & vulgo, si quis fabulam narret parũ verissimilem, rogare cõ-

sueuimus, num ea conspexerit. Quod si neget, verum audisse modo ridetur.

Domesticus testis.

Ille dicitur domesticus testis, qui seipsum laudat, quasi domi testem habeat. Cui testium generi, quod minima fides haberi solet. nemini namque in propria creditur causa. Sunt qui dicant hoc adagium conuenire in eos, qui prius mentiti, postea verum confitentur, velut adacti conscientia, quae pectoris testis est: ideo recte domesticus testis vocari potest.

Dictum ac factum.

Prouerbialis figura, qua nihil in negotio procurando praetermissum significamus. Terentius, Dictum, ac factum reddidi. Donatus in Andria, indicat esse prouerbiu celeritatis.

Venerem iusiurandum non punitur.

Sensus est, Amantium iusiurandum irritu esse, neque ad deos quicquam pertinere, tanquam ioco sum. Hinc Ouidius libro de arte amandi primo. Iuppiter ex alto periuria ridet amantum. Deflecti potest adagium ad quodvis promissum, cuius fides praestanda non videatur. quae le est, si quis pollicitus sit meretrici, id quod postea non praestat.

Iouis suffragium.

Iouis suffragiu dicebatur sacrum & inuolatum. Vnde sententiam eius, cuius sit velut



Irrefragabilis authoritas, Iouis suffragium rectè dixeris. Aut per ironiam torquebitur adagium in eum, qui arrogatius de re quapiam pronunciat, suamq; opinionem pro lege, atq; oraculo postulat accipi. Aiunt enim locum, in quo Neptunus & Minerva iudiciũ peregerunt, vtrius nomine auspicijsq; ciuitas Atheniensium institueretur, Iouis suffragium appellatum fuisse.

Minervæ suffragium.

De exacto iudicio dicebatur. Sed lepidius fiet, si per ironiam efferatur in stupidum, & nullius iudicij hominem, Sus indicauit.

## P E R F I D I A.

Punica fides.	sciunt.
Duplices viros.	Lingua iurauit.
Duo parietes de eadẽ dealbare fidelia.	Alteram manu fert lapidem, altera panem ostentat.
Duabus sedere sellis.	
Locrense pactum.	Semper affert Libya mali quippiam.
Thraces fœdera ne	

Enarratio.

Punica fides

Ille dicitur punice fidei homo, qui perfidus sit. Ductũ prouerbiũ à Pœnorũ moribus, qui quidem fœdisfragi sunt semper habiti,

Duplices viros.

f. j.

Ioco prouerbiali duplices viros vocabant, qui essent lubrica, & insyncera fide: quos vulgo bilingues appellant: quorum aliud lingua loquitur, aliud mens cogitat. In eum, qui sit eiusmodi est Zenodoti epigrāma ab Erasmo latinum factum, ad hūc modū. Equidem virum odi duplicem: sermonibus Probis amicū: cæterum hostem moribus.

Duos parietes de eadem dealbare fidelia.

Qui eadem exre duplicem velit inire gratiam, siue duobus diuersorum morum dominis seruire, ille dicitur duos parietes de eadē dealbare fidelia. Tractum videtur ab his, qui parietibus opus albarium superinducunt.

Duabus sedere sellis.

Qui incertarū sit partium, & ancipiti fide, & ambabus partibus satisfacere velit, ille dicitur duabus sedere sellis. Ex hoc ductū est, quod quum Laberius Mimus in senatum à Cæsare lectus, à Cicerone ad confessum non reciperetur, dicente, Reciperem te, nisi anguste sederemus, nimis mordaciter respondit. Atqui solebas duabus sellis sedere.

Locrense pactum.

In foedifragos conuenit, quales quondā habitū sūt Locrēses, quod foedere prodito, quod cum Peloponnesijs inierant, ad Heraclidarū partes defecerint.

Thraces fœdera nesciunt.

Quadrat in crudeles & perfidos. Natum adagium à Thracibus, natura immanibus, & perfidis. Id quod satis constat exemplo Polymestoris Thracum regis: qui hospitij iure violato, Polidorum Priami amici filium (cuius curam susceperat) interemit.

Lingua iuravit

Hic lingua iurare dicitur, qui ore tantum promittit, idque cum iuramento: quum in animo diuersum habeat. In quæ conuenit illud Euripideum, Iurata lingua est: animus iniuratus est.

Altera manu fert lapidem: altera panem ostentat.

In perfidos vertitur coram blandientes, clam obtractantes: qui palam amicos simulant, clandestum autem inimici sunt. Ductum ab ijs, qui canes, ostensio pane, pelliciunt: deinde accedentes saxo lædunt. Euclio Plautinus in Aulularia, Nunc petit cum pollicetur, aurum inhiat ut deuoret. Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.

Sæper affert Lybia mali quippiam.

Conuenit in fœdisfragos, ac pactorum nauatores: quo nomine Normanorum gens apud Gallos notatur. Tractum adagium à Libyæ gentis moribus, ingenioque. Siquidem ut est venenorum ferax regio, ita gentis pestilens ingenium.

f. ij.

## ERASMI ADAGIORVM

## FRAVS AB AMICO.

Vallus vitem deceptit.  
Canis mendico auxilians.

Explicatio.

Vallus vitem deceptit.

Isto vtimur prouerbio, vbi quispiam ab eo fallitur, aut læditur, à quo pendeat, & cuius fidei nitebatur. Traductum à vallis, quibus alligatæ fulciuntur vites. Fit autem interdū, vt illi radicibus actis, ramis ac frondibus suis vitem strāgulent. Aristophanes in Vespis. Itā ne circumuenit ipse vineam palus suam?

Canis mendico auxilians.

Vbi quis nobis aduersatur, & diuersis studeat partibus is, cuius auxilio nitebamur, vocare solemus illum, Canem mendico auxiliantem. Nam canes infesti sunt mendicis, velut ὁμοτέχνοισι, id est eiusdem artis, nisi si quando frusto panis corrumpantur.

IN VERSVTOS, SIVE  
CALLIDOS.

Libyca fera.	verū Echinus vnū
Dædali opera.	magnum.
Megaricum machinamentum.	Magnus versator in re pusilla.
Multa nouit vulpes;	Multa noris oportet,



quibus deū fallas. queo?  
 Cantharo astutior. Sisyphi artes.  
 Simia nō capitur la: Vlyſſeū commētum.

Elucidatio.

Libyca fera.

Dicebatur olim in hominem vastrum, callidum, versipellem, varijs moribus, ancipitiq; ingenio. Inde natum, quod in Libya variæ ferarum species sæpenumero misceantur, atq; ita noua quædã hinc monstra spectaculo produci soleant Romam, à prouincię præsidibus deportata.

Dædali opera.

Illæ opera, quę nouo artificio fabricata sūt, & admirando, solent appellari Dædali opera. Hinc natum, quod quum veteres plastæ formas animalium cæcas fingerent, & immobiles, Dædalus insolito artificio, primus & oculos induxit, & neruis quibusdam abditis effecit, vt huc, atq; illuc mouerentur. Idq; ad eò scitè, vt spectantibus viuere atq; ingredi uiderentur. Vnde ferunt quædam Dædali signa vinciri pedibus, ne scilicet aufugiant.

Megaricum machinamentum.

Quum res dolo & astu agitur, non autē sincera fide, Megaricum machinamentum vocatur. Olim nempe Megareses vituperabatur, tanq̃ fraudulentis, ac ficti: quod aliud lo-

qui solerent: aliud sentire.

Multa nouit vulpes: verum Echinus  
vnum magnum.

Conuenit in astutos, & varijs refertos doctis. Vel potius vbi significabimus quosdam vnica astutia plus efficere quàm alios diuersis technis, siue dolis. Nā vulpes multijugis doctis se tuetur aduersus venatores, & tamē haud raro capitur. Echinus (quem Erasmus opinatur Erinaciū esse) vnica duntaxat arte tutus est aduersus canum morsus. Siquidem spinis suis semet inuoluit in pilæ speciē, vt nulla ex parte morſu prehendi possit.

Magnus versator in re pusilla.

De illo cōsuevit dici, qui arte parum honesta sibi diuitias parat. Natum ab Eudamidæ apophthegmate, qui percunctanti de cantore quopiam, cutaris esset, respondit, magnū versatorem esse in re pusilla.

Multa noris oportet, quibus  
deum fallas.

Vsurpatur adagiū, quum quis eū decipere conatur, quem sit difficile fallere propter singularem astutiam. Erasmus docet adagiū ab oraculo natum.

Cantharo astutior.

In versutum & impostorem competit. Tractum à quopiam, qui Cantharus vocabatur: quē ob maleficia & imposturas, ac proditio-

nes capitaliter puniuerē.

Simia non capitur laqueo.

In eum torqueri solet, qui sit callidus tergiversator. Id quod olim dictum est in Heraclidē, qui per imprudentiam perperā citaratur ex Dionysio, quod erat apud Sophocle. Deinde de tergiversanti, nec imperitiam agnoscenti scripsit quispiam, Simiam haud capi laqueo.

Sisyphi artes.

Vasra, versutiq; cōsilia, Sisyphi artes olim dicebātur. Ductum adagium à Sisypho, quo in terris nō esse astutiores scribit Homerus. A quo quidē genus duxit Vlysses: quem Homerus quoq; vbiq; vasrum, & callidum facit.

Vlysseum commentum.

Inuentum callidum, astutum & vasrum, Vlysseum commentum olim dicebatur. Sumptum prouerbiū ab Vlysse, quem (vt superiorī prouerbio declaratū est) Homerus vbiq; versutum facit.

### R I S U S.

Risus Ionicus.	ἀκραιόγελως.
Risus Megaricus.	Risus syncrustus.
Risus Chius.	Stultior Melitide.
Risus Sardonicus.	Emori risu.
Aiacis risus.	

Expositio.

Risus Ionicus.

f. iij.

In molles & voluptuarios dicitur. Nā Ionum mollities, perinde vt Sybaritarū fastus, abiit in prouerbiū: quòd alteri Græcorum, alteri Barbarorum essent luxuriosissimi. Valerius Maximus libro rerū memorabilium secūdo prodidit Ionas primos vnguenti, coronarumq; in conuiuio dandarum, & secundæ mensæ cōsuetudinem haud parua luxuriæ irritamenta repperisse. Thurinus Maximus in dissertatione, cui titul<sup>9</sup>, Quis sit Philosophiæ finis, Crotoniates (inquit) oleastrū adamat: Spartiates armaturam: venationes Cretensis: luxum Sybarites: Ion choros.

## Risus Megaricus.

In eos dicendum, qui parum tempestiue iocantur, quiq; (quod verat Quintilianus) malunt aliquoties amicum, q̄ dictum perdere. Aut quorum artes iam in cōtemptum abierunt, successione maiorum artificum obscurate. Neq; male quadrabit in senes, qui etate aliena, lusus quosdam indecoros, ac voluptates iuueniles turpiter cōsectantur. Nam Ionica comoedia viguit ad tempus. Deinde in contemptum venit, irrita ab Atheniensibus. De risu intēpestiuo celebratur & hic senarius ex Græcis ascitus, Non in loco ridere, pergraue est malum.

## Risus Chius.

Risus Chius dicitur etiam de molli, lasciu



uóq; lusu. Quandoquidē & Chiorum mores  
taxauit vetus comœdia.

Rifus Sardonius.

Rifus fictus, aut amarulētus, aut infans,  
folet rifus Sardonius vocari: & Sardonice ri-  
dere, est fictè ridere. Eustathius Homeri in-  
terpres admonet eū ridere rifum Sardoniū,  
qui diductis modo labris rideat: cæterum in-  
tus, aut ira, aut molestia discruciatus. Sensus  
& origo prouerbij huius, variè traditur ab au-  
thoribus: Ideoq; lectorem ad Erasmi Chilia-  
das remitto.

Aiacis rifus.

In eos, qui temere ac vœcorditer ridēt, tor-  
quetur adagium. Id quod apposite dicetur  
in homines mortiferis voluptatibus gauden-  
tes, breui perituros, aut qui malefactis gau-  
dent, mox pœnas daturi. Natum ex historia  
Aiacis: qui ad eò grauius tulisse legitur Vlyf-  
sem prælatum sibi in capessenda successione  
armorum Achillis, vt præ dolore in insaniam  
versus sit. itaq; gladio districto, in gregē pec-  
corum insiliit, existimans sese Græcorum co-  
pias cædere. Tum duos quosdam maximos  
sues, à trabe suspēsos flagris cæcidit, arbitrās  
hos esse Agamemnonem, atq; Vlyfsem: quo-  
rū alteri, vt iudici: alteri vt victori potissimū  
erat iratus. His igitur suis plurimo cū rifu  
insultauit, addens conuitia quæcunq; sugge-

rebat splendida bilis. Deinde posteaq̄ resipuisse, partim pudore, partim metu sibi mortem consciuit. Nec intempestiuiter torquebitur in eos, quibus risus oboritur nulla de causa: quem vulgo dicunt, aut insanix, aut stultitix argumentum esse. Id quod attestatur & senarius ille prouerbialis. Ridet fatu⁹, vt nulla risus causa sit.

ἀκρεόγελως.

Prouerbiali, nouēq; cōposito verbo ἀκρεόγελως dicebatur, qui esset nugator, quiq; rebus ineptis oblectaretur. Nam ἀκρεόγελως perinde sonat, quasi dicas temere ridentem; qđ vitij, vel stultitix signū est, vel dementix.

Risus syncruius.

Risus effusior, siue solutior à Græcis γέλωας συνκρούσιος vocatur: quòd videlicet hominem quatiat; quem eundem quidā existimant esse. Putant autem, & id non immerito, hunc risum graui viro vehementer indecorum esse, propterea quòd videatur ab animo impotente proficisci.

Stultior Melitide.

Melitides vnus est ex felicissimis illis fatu⁹is, quos Homerus suo carmine nobilitauit. Hic iam euersa Troia venisse legitur, auxiliū laturus Priamo, vt meminit Eustathius in decimi Odyssæ libri enarratione.

Emori risu.

Prouerbiales hyperbolæ sunt & illæ, Emo-  
ri risu: Diffluere risu: pro vehementer ridere  
accipiuntur.

## D E R I S I O.

E sublimi me derides In eo ipso stas lapide, &  
ἰσκιμαλίχθαι. quo prece predicat  
 Naso suspendere. Longipedē rectus de-  
 Postica sanna. rideat.

## Declaratio.

E sublimi me derides.

De eo dicitur, qui cum fastu ridet quem-  
 piam, ac despectim. Trāslatum ab ijs, qui ex  
 edito loco verba faciūt. Vnde & despiciere di-  
 ctum à Latinis pro cōtēnere: quòd quisquis  
 in eminenti loco est, is veluti tutior negligit  
 eum, qui stat in humiliore loco.

ἰσκιμαλίχθαι.

Hoc gestu cōtumeliā, despectumq; supre-  
 mū significabant. Est enim Græcis ἰσκιμαλί-  
σαι medium digitū ostēdere contractis cæres-  
 ris, ignominie causa, aut strepitu digitorū si-  
 gnificare contemptū. Vnde & apud Iuuenas-  
 lem, Mandaret laqueū, mediūmq; ostenderet  
 vnguem. Elegantius huiusmodi vox græca,  
 magisq; prouerbialiter ad fortunam, ad eru-  
 ditionem, aut aliud quippiā (quod planè cō-  
 temnitur) detorquebitur.

Naso suspendere.

Naso suspendere, est vafre, ac subdole irridere. Plinius libro vndecimo, capite trigesimo septimo docet à suæ ætatis hominibus nasum subdolæ irrisioni fuisse dicatum. Persius de Horatio, qui vafre, tectè que rideat, Callidus exterso populum suspendere naso. Vnde nasuti vocantur, qui doctè norint alios irridere. Martialis, Non cuique datum est habere nasum.

Postica fanna.

Persius posticam sannam, prouerbialiter appellat clanculariam irrisionem. Sumptum à gestu ridetium aliquem à tergo. Posticæ (inquit) occurrite sannæ.

In eo ipso stas lapide, in quo præco prædicat.

Chrysalus seruus in Bacchidibus Plauti, senem irridens, quem argento defraudabat, O stulte (inquit) nescis nunc vendi te. Atqui in eo adstas lapide, vbi præco prædicat. Quas drabit, vbi quis præsens, videns, audiensque, tamen deluditur. Nam vendi etiã hodie vulgo dicuntur, quibus fit impostura. Natũ à lapide quodã editiore, quem Romæ fuisse cõplurium auctorum testimonio cõstat, vnde præcones in auctonibus res venales nunciabant. Vnde M. Tullius vilissimos homunculos de lapide emptos appellat.

Loripedem rectus detideat.



Versus est apud Iuuenalem certè prouerbialis. Loripedem rectus derideat, Æthiopē alb⁹. Quo licebit vti, quoties aliquis id alijs opprobrat mali, cui sit ipse obnoxius; aut aliena castigat vitia, à quibus ipse non sit immunis, perinde quasi, Claudus claudus claudicationis vitium per contumeliam obijciat. Oportet eum q̄ maxime vacare culpa, qui in alium paratus est dicere: & stultissimū est in alisi iacere, quod in ipsum possit retorqueri.

## IN INCONSTANTES.

Venti campus	Mutabilior metra E-
Panagæa Diana.	rifichthonis.
Aliud stans, aliud sedens.	Mulieris animus.
Chameleonte mutabilior.	Euripus homo.
Proteo mutabilior.	Cnips in loco
	Cothurno versatilior.
	Repariazare.
	Explicatio.

Venti campus.

Hominem instabilem, leuem & inconstan-  
tem, venti campum nuncupabant. Nā in pla-  
nicie, vēti liberius huc atq; illuc solent diua-  
gari, nullo coërciti obstaculo.

Panagæa Diana.

Panagæa Diana dicebatur olim peregrina-  
tionū impensius amans, errabundus, instabi-

lis, nulla certa sede consistens. Siquidē Diana vagari dicitur apud poetas, & per nemora, montesq; oberrare. Quin domicilium etiam subinde mutat, nūc apud superos agēs, nunc apud inferos. Ne specie quidē semper eadē, sed nunc pleno orbe, nunc mutila, nūc nulla.

Aliud stans, aliud sedens.

Prouerbiali nimirū figura dictum est illud Salustianū in Ciceronē. Aliud stans, aliud sedens loquitur. Quo quidem licebit uti, quū summam incōstātiā animi significabimus, quasi tantillum momētum, atq; interuallum commutet hominis sententiā.

Chameleonte mutabilior.

In hominem inconstantem quadrat. Ductūq; à Chameleontis natura: cui (vt Aristoteles libro de naturis animantiū secūdo scribit) mutatur color quū inflatur, fitq; is nunc niger, non absimilis crocodilorum: nunc pallidus, cuiusmodi lacertarum: nunc rursus nigris variegatis maculis, qualis est pardorum. Accidit autē huiusmodi mutatio coloris per omne corpus, siquidem & oculi, & cauda in eundem cum reliquo corpore abeunt colorē. Motus huius animantis admodum segnis, qualis est fermē testudinū: pallescit moriens. Exanimato color idem durat. Hæc ille.

Proteo mutabilior.

In yasrum dicebatur, & versipellem: quā nō

ineptè torqueri possit in inconstantē: qui modo hanc, modo illam habeat voluntatem, siue sententiam. Ductum à Protei notissima fabula, qui se subinde in alias, atq; alias formas transfigurabat, vt poëtæ finxerunt: cuius rei meminit Naso, Metamorphoseon octauo.

Mutabilior metra Erisichthonis:

In eum congruit, qui secum non constat: sed subinde aliam, atq; aliam personā sumit. Hinc sumptum prouerbiū, quòd Erisichthon quidam Thessalus absumptis facultatibus, ad extremam deuenit inopiam: cui erat filia puella præstanti forma, nomine Metra. Quam vbi prostituisset, adulescentes qui cōmeabant ad illam, varia munera deferebant: alius equos: alius boues: alius verueces. Nā id temporis nondum auri, argenti, gemmarumve erat vsus. Porro Thessali dicebāt per iocum Metram Erisichthonis verti in ea omnia, quæ illi ab amatoribus filix donabantur.

Mulieris animus.

In imbelles, & incōstantes quadrat. Ductū à mulieris natura inconstantis. Vnde est Ennianum illud, Vos etenim iuuenes, animos geritis muliebres: Illaq; virgo viri. Et Terentius. Nosti mulierum ingenium: nolunt vbi velis; vbi nolis cupiunt vtrò.

Furipus homo.

In incōstantē, ac moribus inæqualibus ho

minem vsurpatur. Ducta metaphora à maris Euripí prodigiosa quadã reciprocandi celeritate: quod quidẽ mare à Plinio, libro secũdo commemoratur septies die, ac nocte reciprocare, tam rapida conuersione, vt (quẽadmodũ author est Pomponius Mela) ventos, ac etiam plena ventis nauigia secum portet. Quadrabit adagiũ & in fortunæ vices: quæ res mortalium, velut æstu quodã sursum, ac deorsum iactat: quæ Euripum idẽ inconstãtia sua vincere dici debet, quum illa nihil sit instabilius. Græci etiam Euripiston hominem incerta fide vocant.

Cnips in loco.

In eos dictum, qui subinde sedem mutãt: & aliunde aliõ demigrant. Cui vitio sese obnoxium fuisse confitetur Horatius. Est autẽ *Cnips*, seu *senips* (nam vtrũq; reperitur) vermiculus innascens materijs, qui eroso ligno, semper locum mutare nititur.

Cothurno versatilior.

Dictum est in hominem parum constantem, lubricaq; fide: qui ve incertæ & ancipitis esset factionis. Ducta est metaphora ab illo genere calciamenti, quo mos erat vti Tragœdiarum actoribus, quod quidem quadrangulũ erat: & vtrilibet cõueniens pedĩ, quodq; vel dextro, vel sinistro pedĩ poterat accommodari.



## Repariazare

De ijs dicebatur, qui in instituto nō permanerent, sed illius ipsos cito pœniteret: qui q: à conuentis discederent. Natū ab historia, quæ est huiusmodi. Paris quum aliquādo à Thebanis bello premerentur, petierunt vt à bello desisterent, se ciuitatem in potestatem tradituros. Hac lege quū desitissent Thebani, & Paris interea spes auxiliij fuisset alicūde ostēsa, pactum irritarūt: bellūmq; cum Thebanis integrarunt. Inde fictum prouerbiale verbum Repariazare, pro pacta irritare.

B E N E F I C I V M C O R  
R V P T V M .

Perdidisti vinum in Capra Scyria.  
fusa aqua. Panis lapidosus.

Enarratio.

Perdidisti vinum infusa aqua.

Verba sunt Polyphemi ex Tragedia Aristij, cui titulus Cyclops. Sic enim increpat Vlyssē vinum aqua temperantem. Dicitur in eos, qui initio quædam rectè faciūt, deinde quis leui de causa, benefacta malefactis subuertunt. Antiquitus merum bibebāt non sine noxa: donec Staphilius Sirrheni filius ostendisset vinū aqua diluere. Nam huius est hoc inuentum teste Plinio, libro septimo. Vinum

g. j.

sapientum iudicio, aqua redditur melius, ac salubrius. Vnde Plato admonet, vt Bacchum temulentum deum, Nymphis sobrijs deabus temperemus. Idem docet Meleagri Epigramma sic ab Erasmo traductum.

Bacchus vt è flāmis puer exiliisset, in vndis  
Tinxerūt Nymphæ sordidū adhuc cinere.  
Hinc iunctus Nymphis, est Bacchus gratus,  
at ignem

Ardentem capies, hunc nisi miscueris.

Capra Scyria.

Conuenit in eos, qui beneficium maleficio corrumpunt: aut qui virtutes adiunctis vitijs contaminant atq; obscurant: qui ve rectè instituta non rectè finiunt. Veluti capra Scyria mulctrum, quod lacte impleuerat, ipsa rursus euertit: atq; hoc modo beneficium, quod dederat, eadem perdidit. Alij putāt dici in eos, vnde plurimū emolumentum capitur, propter ea quod eius regionis capræ maximam lactis vim reddere dicantur.

Panis lapidosus.

Adagiū istud refertur à Seneca libro de beneficijs secundo. Sic enim Fabius Verrucosus appellabat beneficiū, ab homine duro asperè datum (quem esurienti necessarium sit accipere) durū & acerbum esse. Ita quidam cōtatione, toruitate vultus, asperitate orationis, ostentatione molesta, corrumpunt beneficiū,

vt nemo sit accepturus, qui possit eo carere.

## OBLIVIO.

Obluionis campus.	Odi memorem com
Proprij nominis obli	potorem.
uisci.	Viuorú oportet me
Malorum obliuio.	minisse.
Ne malorum memi	Ventis tradere.
neris.	Imis ceris eradere.

## Enodatio.

## Obluionis campus.

Erasmus docet hoc adagiũ dici, vel de ve hementer obliuiosis: vel de rebus commentijs ac friuolis, quæ nusq̃ sunt: qualia putantur esse ea, quæ de inferis tradita sunt ab antiquis poëtis.

## Proprij nominis obliuisci.

Hyperbolicũ est hoc adagiũ, cõuenitq̃ in hominem valde obliuiosum: quo quidem adagio vsus est Ouidius, Nominis (inquit) ante mei venient obliuia nobis. Plinius libro historiae mundi septimo, inter ademptæ memoriæ exempla commemorat & Coruinum Messalam Oratorem, qui nominis etiam proprij oblitus fuerit. Memoria nempe pars est animi, quæ præter omnia detrimẽtum sentit, aut senectute, aut morbo (vt commemorat Volaterranus) vt Orbilio grãmatico, ac Her

mogeni sophistæ cōtigit: & Volaterrani ætate Georgio Trapezuntio, qui omnes literarū obliuio fuerit.

Malorum obliuio.

Qui deprecabitur omen aliquod parū faustum: aut qui iubebit obliterari memoriā malorum, nō intempestiuiter vsurpabit illud ex Iliados libro quarto traductum, Hæc omnia reddant irrita diuī.

Ne malorum memineris.

Prouerbiū admonet, non esse refricandam commemoratione præteritorum malorū memoriā. Hinc natū ferunt, quòd quū Thrasybulus ciuitatem Atheniensium triginta tyrannorum sæuitiā liberasset, plæbiscitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mētio fieret. Quam malorū obliuionem Athenienses Amnestiam vocant. Author Valerius Maximus libro quarto rerum memorabilium, citulo De animi moderatione.

Odi memorem compotorem.

Prouerbiū videtur rectè admonere amnestiam, hoc est obliuionem omniū, quæ in conuiuijs, vel fiunt, vel dicuntur. Id enim esse testatum, & maiorū fabulis, qui Baccho simul & ferulam, & obliuionem consecrarint, nimirum hoc inuuentes, nō oportere meminisse, si quid in conuiuijs peccatum sit: aut certe leuem admodum, ac puerilem reprehensionē



sufficere. Nam ferula pueros cædi solitos Iuuenalis indicat, Et nos (inquit) ergo manum ferulæ subduximus. &c.

Viuorum oportet meminisse.

Vetus est adagiū, in eos quadrans, qui plurimum de vita defunctis loquuntur. Id quod vulgo putant ominosum, mortuos in ore habere, eosq; velut citatos in sermonem adducere. Vnde & Marcus Varro libro de lingua latina, tertio, putat lethum ἀπὸ τῆς λήθης, id est ab obliuione dictum: quasi in obliuionē abire conueniat, qui vita excesserit.

Ventis tradere.

Ventis tradere accipitur pro eo, quod est obliuisci, atq; ex animo eijcere. Seruius pro uerbalem figuram esse admonet. Virgilius Aeneidos decimo, Nec ferre videt sua gaudia ventos. Horatius in Odis. Tristitiam, & metus, Tradā proteruis in mare Creticum ventis.

Imis ceris eradere.

Pro eo vsurpatur, quod est penitus delere, sic vt nullum omnino memoriæ pristinae vestigium extet. Sumptum ab ijs qui in ceratis scriptitant tabulis. His mos est ita nonnunq; versum stilum per summum æquor ceræ ducere, vt qualiacunq; tamen prioris scripturæ remaneant vestigia: aliquoties funditus delent.

## MEMORIA.

Iucundi acti labores. Aurem vellere.  
 Quæ dolent, ea molestū est cōtingere. Tanq̄ meum nomen,  
 Vbi quis dolet, ibidē & tanq̄ meos digi-  
 & manum habet. tos teneo.

## Explicatio.

## Iucundi acti labores.

Prouerbium sumptum est ex ipsa hominū natura. Est enim hoc omnibus insitum, vt iucūda cuiq; sit anteaactorū malorū, aut periculorū secura recordatio, cōmemoratiōq;: præsertim insignium fatalium, & quæ cum turpitudine non sint coniuncta: veluti bellorum, naufragiorū, atq; id genus discriminum. Vnde dictū est ab Horatio, Gaudēt vbi vertice raso Garrula securi narrare pericula nautæ. Et Seneca in Tragædijs. Quod fuit durū pati: meminisse dulce est. Circūfertur & græcus trimeriter proverbialis, quem latine sic extulit Erasmus. Vt est iucundum præclaris viris meminisse laborum.

Quæ dolēt, ea molestū est cōtingere.

Adagium admonet, ne alijs obijciamus, ea quæ dolorem afferunt: veluti generis turpitudinem: formæ vitiū. Vnusquisq; nāq; inuitus audit sua incōmoda, ea maxime, quæ sint cū aliqua infamia cōiuncta. Vnde Amphius in Amphelurgo apud Stobæū ait, In quibus homo est

non admodū felix locis, Minime suaue est ad-  
mouere ad hos manū. Proinde ciuilitatis est,  
nemini suū refricare vuln<sup>9</sup>: nec hulus tāgere.

Vbi quis dolet, ibidē & manū habet.

Paroemia signat illum, mentem siue animū  
adhibere illi corporis partī quæ doleat. Nata  
paroemia est à naturali hominum cōsuetudi-  
ne: qua fit, vt ei corporis partī, quæ dolet, fre-  
quenter manus admoueamus.

Aurem vellere.

Aurē vellere à veteribus dicebatur pro ad-  
monere, siue memorē facere. Figura sumpta  
est à prisco ritu, quo in ius ducturū quempiā,  
aurem vellicabāt: attestantes eū, quem quasi  
testem meminisse volebāt. Siquidem vt frōs  
antiquitus erat sacra genio (veluti scribit ī Ma-  
ronis Pollionē Serui<sup>9</sup>) vt digiti memoriæ, ge-  
nia misericordiæ, ita auris memoriæ deæ.

Tanq̄ meum nomen, & tanq̄ meos  
digitos teneo.

His prouerbialibus figuris nō inelegāter vs-  
temur, siquādo prōptā, certāq; memoriā si-  
gnificare voluerimus. Martialis, Totis dieb<sup>9</sup>  
Afer hæc mihi narras: Et teneo melius ista, q̄  
meū nomē. Iuuenalis, Tanq̄ vngues, digitosq;  
suos. Nihil enim magis meminimus, q̄ pro-  
prij nominis. Vnde & vita defūctos olim suo  
nomine inclamabāt. Et proprij nominis obli-  
tū dicimus prodigiōsæ obliuiscētīæ hominē.

g. iij.

ERASMI ADAGIORVM  
TOTVM, VT NIHIL RE-  
LIQVI.

Omnia chnaumata: pulis.

Cum puluisculo. Vnà cum templis &

Vnà cum ipsis manipulis.

Elucidatio.

Omnia chnaumata.

Omnia chnaumata dicebāt olim, quoties omne negocium significabant. Chnaumata enim Græci placētatum, atq; id genus ciborum fragmina vocāt. Latini quoq; reliquias belli, & reliquias Danaum dicūt simili figura.

Cum puluisculo.

Vel cum puluisculo dicimus, quoties omnia sic tollūtur, vt nihil fiat reliqui, ne puluis quidem. Metaphora mutuo sumpta videtur ab ijs, qui frumētum ab area conuertunt, nō sine puluere. Simili figura dixit Iuuenalis cū erugine, pro eo, quod est, itegrè, & nulla parte diminutum. Eodē pertinet Euāgelicum illud, quo iubentur etiam puluerem excutere Apostoli, id est, ne minimū quidem ab eis auferre secum.

Vnà cum ipsis manipulis.

Isto vtī licet adagio, quū omnia funditus pereunt, hoc est, quum ne gluma quidem sit reliquū. Prouerbiū à rusticis natū videtur.

Vnà cum templis & aris.



Plutarchus locis aliquot in Sympofiacis significat antiquitus fuiſſe morem, vt quoties vni cuipiã deo res diuina fieret, omnibus ſimul vota fieret, videlicet ne Calydonij ſuis Tragœdia renouaretur. Inuocantes autẽ deos, addebant hæc verba, ceu ſolœnia, Vnã cũ phanis & aris, quæ prouerbio dici ſolita ſunt, quum nihil omnino prætermiſſum volebant ſignificare. Quemadmodũ & hodie vulgo dicunt, Vnã cũ veſtibus & calciamentis. & De migrarunt vnã cum ſarcinis & impedimētis.

## G A R R U L I T A S.

Turture loquacior.	Battologia.
Caute loquacior.	Nō eſt eiufdẽ, & multa, & opportuna dicere.
Litore loquacior.	
Cicada vocalior.	Quicquid in buccam venerit.
Os infrene.	Quicquid in linguã venerit.
Archyte crepítaculũ.	
Arabicus tibicen.	Citra vinum temulẽtia.
Hirundinum muſca.	
Tanq̃ ſuber.	Lingua quò vadis?
Meliacum nauigiũ.	
Saburratus.	

## Expoſitio.

Turture loquacior. Turture loquacior ſolet dici, qui garrulus, & impendio loquaculus ſit. Sumpta meta

phora à turturis natura: que nō ore tantum, sed etiam postica corporis parte clamare fertur. Ælianus libro duodecimo, capite decimo meminit huius prouerbij, deq; aue ytraque corporis parte loquaci. Theocrit<sup>9</sup> in Syracusanis, mulieres quasdam loquaculas, turtures vocat.

**Caute loquacior.**

Homo qui sit imodice garrulus, per prouerbialem hyperbolen, caute loquacior dicitur. Sumpta metaphora à scopulis, qui quoniam assiduīs fluctibus tunduntur, multo resonant fragore.

**Litore loquacior.**

Consimili, cum superiore, figura dicitur Litore loquacior, qui rabula, & obstreperus sit. Sumpta metaphora à litore scopulis & rupibus aspero, quod assiduīs fluctibus pulsatum, fragorem emittit.

**Cicada vocalior.**

Quadrat in hominē valde garrulum. Conuenire etiam potest in hominem admodum musicū; propterea quod hoc insectum rote dūtaxat viuens, cantu potissimū delectetur.

**Os infrene.**

Os petulans, & maledicum, os infrene nūcupatur. Sumpta metaphora ab equis nullo freno coercitis. Huiusmodi etiam os dicitur à Plutarcho os ignitoris egens: & ab Aristot<sup>9</sup>

phane nuncupatur os sine foribus.

Archytæ crepitaculum.

Homo vehementer garrulus, & obstreperus, Archytæ crepitaculum dicebatur. Archytas Tarëtinus Philosophus crepitaculi genus æreum excogitauit: quod pueris lusitâtibus daretur, ne quid interim ex vasis domesticis contingerent.

Arabicus tibicen.

In eos dici solitū, qui à semel cœptis nunquam desistunt. Quod vitium Horatius cantoribus peculiare esse scripsit: vt iussi cātare, nunquam adduci queāt, vt incipiāt: si iniussi cœperit, nunquam desināt. Adagiū hinc natum existimāt, quod olim tibijs canendi artem nō discabant ingenui, tanquam sordidā: sed hanc sola m̄cipia exercebāt, quæ plerūque ex Arabia producebātur.

Hirundinum musea.

Aristophanes in Ranis scribit, Sunt ista folia & stulta blateramina, Musea hirundinum, artis ac subuersio. Interpres admonet prouerbiū esse in impendio loquaces, & obstreperos. Hirūdines enim, inepto garritu, plus tædij auditoribus adferre, quàm voluptatis cōsueuerunt. Est enim hæc avis minime canora, sed molesto quodam stridore. Vnde apud Pythagoricos loquacitatis symbolū esse meruit, quum vetant ne quis hirundinē sub eodem habeat tecto. Aptè dicetur in poëtas in

doctos, oratores loquaces magis, q̄ eloquens  
tes: aut in cœtum hominũ ineptè loquaciũ.

Tanq̄ suber.

De ijs iactatur, qui non norunt dissimula-  
re, aut qui nesciunt mergi aduersis fortunæ  
procellis. Tractum à natura ligni, quod non  
solum ipsum nõ mergitur, verũ etiam alliga-  
tum alijs ne fidant, suffinet. Vnde retibus as-  
suetur, & natantibus subditur.

Meliacum nauigium.

Dictum apparet in futilem, & rimarũ ple-  
num, hac atq; illac perfluentem. Hanc parca-  
miam ad historiã quãpiam referunt: quæ sic  
habet. Aristoteles quidam Meliacus deducẽ-  
dæ colonix præfectus, quum multi detrectan-  
tes nauigationẽ, varia causarentur: & alij di-  
cerent vxores suas aduersa valetudine tene-  
ri, alij naues suas perstillare, atq; his præte-  
xtibus domi manerẽt: ille indignatus, impre-  
catus est illis, vt nunq̄ haberent naues inte-  
gras, & semper sub vxorũ imperio viuerent.  
Vnde quadraturũ videtur, vbi quis causas fin-  
git, quo suffugiat officium.

Saburratus.

Plautus in Cistellaria nouè quidẽ, sed ad-  
modum eleganter dixit Saburratus pro onus-  
tus cibo. Súpta metaphora à nauibus, quas  
onerant harenis, aut argilla, ne iactentur, va-  
cillẽtq; in fluctibus. Plauti verba sunt hæc,



Idē mihi, magnæ quod est parti, vitiū mulierū quę nunc quæstū facimus. Quæ vbi saburrata sumus, largiloquæ extēplo sum⁹. Venuſtius fiet, si longius detorqueat, veluti si quis aures saburratas dicat, alicuius multiloquio.

Battologia.

Battologia à Græcis multiloquiū vocatur à Batto quopiam inepto poëta: qui hymnos quosdam conscripsit prolixos, in quibus eadem crebrius iterabantur. Ediuerso Laconismus breuiloquentiam signat.

Non est eiusdem, & multa, & oportuna dicere.

Senarius est, prouerbij vice celebratus, qui quidem admonet vitandam esse multiloquentiam: quod ferè labi necesse sit, quisquis multū loqui conetur. Extat & in Hebræorū prouerbij, in multiloquio non abesse peccatū.

Quicquid in buccam venerit.

Nos dicimus illos garrere quicquid in buccam venit, quos libere, ac tuto loqui significamus, & incircūspecte, atq; quicquid forte fortuna in animum inciderit. Quēadmodum apud fidos amiculos facere solemus, apud quos impune quidvis nugamur, atq; effutimus. Cicero ad Atticum libro duodecimo. Quid quū coram sumus, & garrimus quicquid in buccam venit. Rectè torquebitur & in eos, qui temere, atq; inconsiderate loquuntur.

ERASMI ADAGIORVM

tur, perinde quasi sermo illis non pectore nascatur, sed in faucibus.

Quicquid in linguam venerit.

Eundem habet sensum cū superiore. Plauto libro de republica octauo dictum hoc citat ex Æschylo Tragico poëta.

Citra vinum temulentia.

Theophrastus (vt testatur in Symposiacis Plutarchus) tonstrinas ebrietatē absq; vino vocabat. Propterea quod illic desidentes, sermonibus ita temulenti redderentur, vt nō aliter effutirent quicquid esset in animo, q̄ inter pocula solent ebrij, voces interdū per temulentiam effutientes per iugulū (vt ait Plinius) redituras.

Lingua quo vadis? &c.

Lingua quo vadis? Erectā ciuitatem, eandem denuo subuersura. Refertur à Suida, Zenodoto, Diogeniano. Docet linguam plurimum vtilitatis afferre mortalibus, & eandem rursus plurimam afferre perniciem. Tamen si membrū corporis sit perq̄ exiguum. Proinde diuus Iacobus Apostolus eā clauo nauis ad similem facit, quæ quum pars sit minima, tamen totam nauem, aut seruat, aut euertit.

BREVILOQVENTIA.

Grata breuitas.

Laconismus.

Pauciloquus, sed eru Vno falce complecti.  
ditus. Minore finire pome-  
Tribus verbis, rio, & his similia.  
Numero dicis.

## Expositio.

## Grata breuitas.

Isto vtimur prouerbio, quū significare vo-  
lumus, epistolas, ac libros ipsa breuitate red-  
di commēdatiores, præsertim apud fastidios-  
sos & occupatos lectores. Sunt in delicijs &  
pumliones, non ob aliud, quàm insignē cor-  
poris paruitatem: & nōnulla ob id ipsum gra-  
ta sunt, quod minuta sint, vt sunt gemmæ  
quædam, ac sculpturæ.

## Lacōnismus.

Lacōnismus veluti prouerbio breuiloquē-  
tiam signat: siue quòd Lacedæmonij factis  
magis, quàm eloquentia præcelluerunt: siue  
quòd in apophthegmatis præcipue value-  
runt. Horum autem præcipua gratia, vt pau-  
cissimis verbis plurimum sententiæ comple-  
ctantur.

## Pauciloquus, sed eruditus.

Qui pauca quidē, sed tamē auditu digna  
loquitur, Pauciloquus, sed eruditus, vocari  
consuevit.

## Tribus verbis.

Trib<sup>9</sup> verbis pro paucissimis dicere, pro

terbiale est. Diuus Hieronymus in dialogo Luciferiani, & Orthodoxi, Tribus (vt aiunt) verbis rem istam grandem dissoluisti. Consimili figura, sexcenta dicimus pro multis.

Numero dicis.

Plautus in Cassina, Numero dicis, dixit, pro eo, quod est, facile & compendio. Festus exponit pro cito, ac celeriter, citans tum alios multos authores, tum hūc Plauti locū:

Vno fasce complecti.

Vno fasce cōplecti legitur apud Plinium, pro eo, quod est, eadem opera, & coniūctim agere, non separatim. Veluti si quis paucis verbis multa comprehēdat. Plinius enim inquit. Verebatur ne nos dies, ne nox, ne latera deficerent, si tot crimina, tot reos vno velut fasce complecteremur. Translatum est ab ijs, qui res multas simul colligant, quo commodius gestari queant.

Minore finire pomerio, & his similia.

Prouerbij rationem sapiūt huiusmodi ferè mè metaphoræ, Finire pomerio, Præstituere metam: Circumscribere cācellis, & siquæ sunt similes. Varro in libris de re rustica, Eo meli⁹ fecisse quosdam, qui minore pomerio finierunt, exclusis partibus, quæ non pertinent ad hanc rem. Idem eiusdem operis libro primo, Ars sit, an quid aliud, & à quibus carceribus



decurrat ad metas.

CLAMOSVS.

Septem conuiuium, Apertis tibijs,  
 nouem conuicium. Cyclobori vox.  
 Clamosior lauro arde. Sarpedonium litus.  
 dente. Stentore clamosior.  
 Claudiana tonitrua. Columnas rumpere.  
 Dodonæum æs.

Enodatio.

Septem conuiuium, nouem  
 conuicium.

Elegans sententia, qua significatum est, in conuiuium paucos esse adhibendos: alioqui fore tumultuosum, atq; insuaue. Extabât antiquitus leges, quæ præscriberet, simul & moderatum conuiuiarum numerum, & sumptus modicos. M. Terentius Varro apud Gellium, censet conuiuas intra gratiarum, & musarum numerum oportere consistere: ne aut plures sint nouem, aut pauciores tribus. Sed hoc adagium vetat ad musarum vsq; numerum peruenire. Notabis lector conuicium hoc in pro uerbio poni pro clamore, quasi conuocium.

Clamosior lauro ardente.

Quadrat in hominē valde clamosum. Sūptū à lauri natura, quæ adhuc virens in ignē coniecta, maximos crepitus edit. Vnde & in maleficijs amatorijs incendi consuevit, tanq̃

h. j.

amantium querimonias representans.

Claudiana tonitrua.

Quadrabit adagiū (si modo, inquit Erasmus, videbitur in adagiorū gregem recipiendum) in homines immodice clamorosos, & odiose obstreperos. Festus Pompeius innuere videtur Claudiana tonitrua in vulgi sermonē abisse, scribens ideò vocata Claudiana tonitrua, quòd Claudius Pulcher instituerit, vt ludis post scenam factis, lapidum coniectus ita fieret, vt veri tonitrus similitudinem imitaretur. Nam antea leues admodū, & paruos sonitus fieri solitos, cū clauī & lapides in labrū æneum conijcerentur.

Dodonæum æs.

In hominē clamorosum, & improbæ, atq; importunæ loquacitatis dici cōsuevit. Hinc dictum: q̄ in Dodona (vt ait Zenodotus) duas fuisse sublimes colūnas, in altera positā peluim æreā, in altera pensile pueri simulachrū, flagellum æreum manu tollētis. Quoties autē ventus vehementius flauerit, fieri, vt scutica impulsā crebrius lebetē feriat, it' q̄ percussus tinnitum reddat, ad multū etiam temporis resonantem. Erasmus citat diuersas adagiū interpretationes quas ex instituto omittere visum est.

Apertis tibijs.

Apertis tibijs, id est clariore voce. Transla

tum à tibicinibus, qui quædam obturatis tibi-  
 arū foraminibus, quasi q; preffiore sono ca-  
 nūt: quædā apertis tibijs, acriore sonitu. Ve-  
 nustior erit metaphora, si quis dicatur aper-  
 tis tibijs inuehi in quempiā, id est nō clancu-  
 lū obrectare: sed palām insectari, lacerareq;  
 cōiitijs. Aut apertis tibijs laudes cuiuspiam  
 celebrare, id est, palām & magnifice.

Cyclobori vox.

De clamosis & vehementer obstreperis di-  
 cebatur, aut quibus vox esset vitiosa & raus-  
 ca. Ductum à Cycloboro, qui fluvius quidā  
 est Atticæ ingenti strepitu defluens.

Sarpedonum litus.

De re turbulēta rectè dixeris: siue de vehe-  
 menter clamosis & obstreperis. Est enim hu-  
 iusmodi litus quoddā Thraciæ Neptuno sa-  
 crum, quod assiduis fluctibus tunditur. Est &  
 aliud eiusdem nominis in Cilicia. Rursum a-  
 liud iuxta Oceanum, Vbi Gorgonibus sedes  
 esse ferunt.

Stentore clamosior.

Qui clamosissimus sit, per hyperbolem fi-  
 guram prouerbialē, Stentore clamosior di-  
 citur. Iuuenalis. Vt Stentora vincere possit.  
 Sumptum à Stentoris fabula: cuius meminīt  
 Homerus in Iliade. Ipsius autē Homeri ver-  
 ba vertit Erasmus ad hunc modum.

Stentoris in specie validi: cui ferrea vox: qui

h. ij.

Quinquaginta alios æquās clamore, sonóq;  
Columnas rumpere.

Ælianus prodidit in Samo quondam fuisse animalia vasta magnitudine (Neades vocantur) quorum voce terra rüperetur. Vnde pro uerbiū natum in clamorosos & improbe loquaces, vt postes & colūnas rüpere dicantur.

## RIXOSVS.

Rhodij sacrificium.	Canina facundia.
Infana laurus adest.	Ptolemaica lis.
Lindij sacrum.	Ultra hyperbolum.
Litē mouebit, si vel asinus canem mors morderit.	Ne allia comedas & fabas. Syrbernae chorus.

## Expositio.

## Rhodij sacrificium.

Rhodij sacrificium, subaudi, faciūt. Dicitur ubi res iurgijs & verbis male ominatis peragitur. Idem est cum eo, quod paulopost sequitur, Lindij sacrum. Nam Lindus ciuitas in Rhodo est (teste Stephano) à qua deductū videri possit Lōdinum apud Britānos, quam urbem Stephanus Lindonium vocat, citatq; Marcianum authorem. Siquidem vtraq; insula est, Rhodus & Britannia, ac vetus eius gentis lingua, quæ nunc yualica dicitur, satis



indicat eā, aut profectam à Græcis, aut certe mistam fuisse. Ne mores quidem admodum dissident à græcanicis.

*Insana laurus adest.*

Quadrat in hominem rixarum authorem, ut sunt nonnulli, qui quocunq; se vertunt, iurgia suscitant. Vnde sumptum sit adagium, ex Plinio cognoscere licet: qui libro decimo sexto, capite decimo septimo sic scribit. In eodē tractu portus Amici est Bebryce rege interfecto clarus. Eius tumulus à supremo die lauro tegitur, quam insanam vocāt: quoniam si quid ex ea decerptū inferatur manibus, iurgia fiant donec abijciatur. Hæc ille.

*Lindij sacrum.*

Lindij sacrum, subaudi, faciunt. dicebatur in eos, qui inauspicato rem diuinā faciebant. Sumptum ab historia, cuius meminit etiā Lactantius in institutionibus Christianæ religionis libro primo, vbi legere licet, quem admodum Hercules olim agricolæ cuidam Lindio duos boues per vim eripuit: & mactatis illis, conuiuium sibi parauit. Senex autem Herculi comedēti, quum multa in eum maledicta congereret, voluptati pariter, & risui fuit: ita vt Herculem dixisse ferant, nullum vnq; conuiuium sibi iucundius accidisse: Lactantij verba huc adscribere longū, ideòq; præter institutum foret.

h. iij.

Litem mouebit, si vel asinus  
canem momorderit.

Senarius est prouerbialis Græcis celebra-  
tus, in eos quadrans, qui de re quantumvis  
exigua litem suscitant. Natū videtur ab euen-  
tu quopiā. Extat autem apud iureconsultos  
actio ex lege, si quadrupes damnum dederit.

Canina facundia.

In eos iacitur, qui tantum ad maledicendū  
eloquentiæ studium exercent. A rixa canum,  
& oblatratu sumpto epitheto. Siquidem rix-  
tera, quæ in rixando prima est, canina voca-  
tur. Salustius apud Nonium Marcellū, in dis-  
tione Rabula. Canina (vt ait Appius) facū-  
dia exercebatur. Diuus etiam Hieronymus  
obtretractores suos, subinde canes appellat.

Ptolemaica lis.

Diogenianus indicat dici solitum in litium  
auidos. Hinc sumptū, quod anus quæpiā fuerit,  
nomine Ptolemais, quæ quoad vixit, lites ag-  
gitabat: nec vnq̄ à causis agēdis erat feriata.

Ultra Hyperbolum.

Ille dicitur vincere Hyperbolum, qui simi-  
li cum illo laborat morbo. Erat enim quispiā  
nomine Hyperbolus mirum in modum ap-  
petens litium.

Ne allia comedas & fabas.

Prouerbiali videtur ænigmate dictum, pro-  
co, quod est, ne bellis, neve in iudicijs adsis.

Nam in bellum inferebantur allia, commeatus militaris. In iudicijs fabas esitabāt, ne obdormiscerent.

Syrbenæ chorus.

De choreis incompositis, ac tumultuosis olim dictitatum. Nam *συρβην* quidam vocem existimāt, qua subulci erga sues vtantur: vnde & *συρβην* pro tumultu abutuntur. Ducta videtur metaphora à dissono illo porcorum gannitu. Non intempestiue dicetur in homines inter se discordes, & querulos: aut vbi offendet aures imperitorum cantorum Symphonia discors.

#### TACITURNITAS LAUDATA.

Silentij tutum præmium. Alia committēda, alia cælanda.

Mulierem ornat silentium. Quod scis nescis. In sinu gaudere.

Explanatio.

Silentij tutum præmium.

Aristides in defensione Periclis ex Cio quospiam poëta citat, Silendo nemo peccat: loquendo per sæpe. Iam olim in prouerbio est nobilis illa Simonidis sententia, quæ celebratur & apud Latinos prouerbij loco, Nā nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Mulierem ornat silentium.

Sophocles in Aiace flagellifero inquit, De  
h. iiii.

cus addit vsq; foeminis silentiū. Sēntētia pro-  
 uerbialis est & illa: Mulier animal natura lo-  
 quax: nulla re magis cohonestatur, q̄ filētio:  
 maxime apud vīros, quū de rebus serijs agit.

Alia cōmittenda, alia cælanda.

Monet non temere quidvis apud quēvis  
 effutiendū at nec familiaribus arcana omnia  
 proferenda sunt: verum alia cōmunicare con-  
 uenit cum amicis, aut vxoribus: alia cælare.  
 Vnde Homerus in Odyſſea. Dicendum est a-  
 liud: contrā est aliud reticendum.

Quod scis nescis.

Terentius in Eunucho, Tu pol si sapiſ, qđ  
 scis nescias. Idem in seipſum excruciatē. Nes-  
 scias, quod scis, si sapiſ. Donat⁹ admonet esse  
 prouerbiū. Sumptū à dialecticorum ludis,  
 in quibus huiusmodi quidam scyri proponi  
 solent. Facio, & non facio. Sum amicus, & nō  
 sum amicus. Audio, & non audio &c. Præsen-  
 ti autem prouerbio certam in tacendo fidem  
 significamus: dū quis quod scit, perinde cōti-  
 net, ac dissimulat, quasi nesciat.

In sinu gaudere.

In sinu gaudere dicitur, qui tacitam apud  
 se voluptatē sentit, neq; (quod vulgo faciūt)  
 foras profert gaudiij signa. Tibullus, Qui sa-  
 pit, in tacito gaudeat ille sinu. Propertius,  
 In tacito cohibe gaudia clausa sinu. Ea autē  
 loquendi figura videtur ab Homero sumpta



mutuo, id'q; ex Odyssæ. xxiij. libro. In tacito  
lōgena sinu preme gaudia nutrix. Perinde dī  
ctum est in sinu, quasi dicas in pectore tuo,  
non in labijs, aut fronte; quibus partibus vul  
gus consuevit prodere, quid in animi pene  
tralibus occultat.

TACITURNITAS IL  
LAU DATA.

Bacchæ more.	scapha.
Magis mutus, quàm	Mut <sup>9</sup> Hipparchion.
pisces.	Acanthia cicada.
Rana Seriphia.	Reddidit Harpocræ
Caput sine lingua.	tem.
Muta persona.	Statua taciturnior.
Muti magistri.	Taciturnior Pytha <sup>9</sup>
Ne gry quidem.	goreis.
Mutus magis, quàm	
	Enodatio.

Bacchæ more.

De tetricis, ac taciturnis dictitari solitum,  
eo quòd essent huiusmodi Menades illæ, Bac  
chico afflatæ furore. Author Diogenianus.  
At Iuuenalis retulit ad vitam intemperantē,  
sic scribens. Qui Curios simulāt, & Baccha<sup>9</sup>  
nalia viuunt.

Magis mutus, q̄ pisces.

Prouerbialis est metaphora, in yehemen<sup>9</sup>

ter infantes, atq; infacundos quadrans. Conueniet & in hominē imodice taciturnitatis. Pisces enim nullā edunt vocē, exceptis per paucis, inter quos canis marinus. Vnde Plutarchus in Sympotiacis existimat Pythagoricos à piscibus abstinuisse: quòd hos, quasi suæ disciplinæ domesticos agnosceret, ppter silentium, quod inter animantiū genera piscibus est propriū. Nam cæterorū sua quibusq; vox est. Aues permultæ canoræ sunt: quædā & humanū sermonem referūt. Atq; aded terrestrium quoq; Manticora apud Ægyptios, si Plinio credim⁹. solis piscibus nulla vox. Causam adfert Aristoteles, quòd his neq; pulmo sit, neq; arteria, neq; guttur. Etiam si sunt nōnulli, qui sonitū quendā ac stridorem edunt: quorum de numero sunt, Delphinus, Lyra, Chromis, Voca, Pecten. Verum eum sonum non naturalibus organis vocis edī putat: sed vel attritu branchiarum, vel ab interioribus, quæ sunt circa ventrem.

#### Rana Seriphia.

In homines mutos, & canendi, dicendiq; prorsus imperitos dicebatur. Inde natum, qd Seriphie rane in Scyrū deportatæ, non edebant vocem. Proditumque est in Seripho insula ranas multas haberi. Cuius rei meminit Plinius libro octauo, capite quinquagesimo octauo.

## Caput sine lingua.

Laberianus trimeter est, Caput sine lingua, pedaria est sententia. In eos competit, qui in consultationibus, aut disceptationibus, ipsi quidem nihil habent quod dicant: verum aliorum annuunt sententijs. Nam pedarij senatores dicebantur ij, qui in senatu quidem sedebant: verum sententiam non rogabantur: sed in aliorum sententias pedibus discedebant.

## Muta persona.

Quadrat in eos, qui in confesso deliberantium, aut disputantium, aut etiam in conuiuijs, cæteris loquentibus soli tacent. Traductum apparet à lege Comædiarum, in quibus non temere plures tribus personæ solent induci in eadem scena. Quia si quando quarta accesserit: aut muta profus est, aut perpauca loquitur.

## Muti magistri.

Per mutos magistros libri intelliguntur, qui loquuntur quidem nobis (vt apud Platonem ait Socrates) sed dubitantibus non satis respondent. Pulchre etiam literas, mutos vocamus præceptores: propterea quod sic mutorum non voce, sed nutibus, signisque loqui. Itidem & libri notulis quibusdam, & significantibus figuris nobiscum fabulantur. Quæadmodum enim voces sensorum animi, velut idola quæpiam sunt (vt ait Aristoteles) sic literarum figuræ, vocum simulachra quædam rectè dicuntur.

Ne gry quidem loquitur.

Ne gry quidē loquitur, hyperbole est pro-  
uerbialis apud Græcos, pro eo, quod est, ne  
tantulum quidem. Nam gry, minimū quiddā  
significat, aut sordes vnguitum, rem videlicet  
vilissimam, aut vocem suillam, quam edere  
solent ij, qui grauantur sermone respondere:  
aut numisma minutissimum.

Mutus magis, q̄ scapha.

De ijs dici consuevit, qui propter humili-  
tatem conditionis apud præstantiores nō au-  
dent hiscere. Natū hīnc aiunt, quod olim ine-  
quilini, & hospites aliene Reip, in ludis popu-  
laribus, in pompa incedebant, nauim gestan-  
tes. vnde quoties hospitem, nō ciuem signi-  
ficabāt, σκαφη ἢ σκαφηφόρος, id est scaphan,  
vel scaphæ portatorem appellare consueue-  
runt. Vnde vulgo sic imitabantur, Reddā ti-  
bī os occlusus scapha. Etenī ijs, qui in aliena  
Rep. viuūt, multa sūt mussitanda. Nā quēad-  
modū non conuenit in aliena ciuitate esse cu-  
riosum: ita nec tutū est liberioris esse linguæ.

Mutus Hypparchion.

Huic adagio locus erit, vbi quis repente  
obmutescet, quū maxime vox illius expecta-  
bitur. Id quod non raro cōsuevit quibusdam  
in cœtu dicturis euenire, vt subito velut atto-  
nitis vox faucibus hæreat. Quod aiunt acci-  
disse Theophrasto hominī i circulis alioquin



eloquētīssimo. Natum adagium ab Hipparchionis historia. Narrāt autē olim apud Græcos, duos præcipuos fuisse Citharædos, Hipparchionem, & Rufinū. Quū autem in solēnibus ludis (quī decimo quoq; anno apud Iulio-politas agebantur) essent inter se decertaturi, contigit, vt Hipparchion theatri strepitu turbatus obticuerit: eaq; res in vulgi iocū abiit. Author Zenodotus.

**Acanthia cicada.**

In indoctos, atq; infantes, aut musices ignaros torqueri prouerbio solitū. Author est Stephanus Bizātius iuxta oppidum Acanthum cicadas alibi vocales, mutas esse: atque hinc ortum adagium.

**Reddidit Harpocratem.**

Catullus in epigrammatis prouerbiali specie dixit, Reddidit Harpocratē, pro eo, quod est, imposuit silentiū. Harpocrates deus ita apud veteres fingebatur, vt digito admoto ori, silentium indiceret. Qualis & apud Romanos dea Angerona.

**Statua taciturnior.**

His etiam temporibus in prouerbio est, Statua taciturnior, In hominem vehemēter infantem, ac tacitum. Vsus est hac hyperbole Horatius in epistola ad Iulium Florū. Statua taciturnius exit, Plærunq; & risu populū quatit. Itidem Iuuenalis diuitem queni-

ERASMI ADAGIORVM

piam, sed infantē & indoctū Mercurij statuē  
similem facit, Truncóq; simillimus Hermæ.

Taciturnior Pythagoreis.

De vehementer taciturnis vsurpari solet.  
Sumptum est adagium à schola Pythagorę,  
in qua quinquenne silentium indicebatur au-  
ditoribus.

FACVNDIA.

Attica musa.	culi.
Lepos Atticus: Elo-	Nestorea eloquentia.
quentia Attica.	Nihil ex agro dicis.
Cyanea cantio.	Nunc ipsa viuit sapie-
Tunc canent cygni,	tia.
quū tacebunt gra-	Nūc ip̄a floret musa.
	Expositio.

Attica musa.

Attica musa pro venusta, lepidáq; oratio-  
ne capi solet. Nam inter dicēdi genera lauda-  
tur in primis Atticū. Diogenes Laërtius scri-  
bit id cognominis vulgo tributum fuisse Xe-  
nophōti, vt Attica musa vocaretur, propter  
admirabilem quandā hominis in dicendove-  
nustatē. Vnde & Atticam eloquentiā, & Atti-  
cum lepōrem appellant. Poterit & venustissi-  
me accōmodari adagium per ironiam ad ho-  
minē inelegantē, & ab omnibus literis, & gra-  
tius alienissimū, si videlicet Attica musa vo-

cetur. Nā Amusi vocantur ōnes huiusmodi.

Lepos Atticus: Eloquētia Attica,

Inter reliquos Græciæ populos (vt superiori notatū est adagio) lepos quidā, & festiuitas quasi vernacula, ac peculiaris adest Atticis: aded vt in prouerbium abierit Atticus lopus: & Attica eloquentia, pro summa.

Cyanea cantio.

In eos conuenit, qui supremo vitæ tempore facunde differūt: aut extrema senectū sua uiloquētius scribunt. Id quod ferme solet accidere scriptoribus, vt postrema quæq; minime sint acerba, immò maxime mellita esse cōsueuerint, uidelicet per ætatē maturescēte eloquentia. Sumptum prouerbium à Cygnorum natura, qui instante morte mirādos quosdā cantus edere omniū literis celebrantur. Id quod & compertum omnibus est.

Tunc canēt Cygni, quū tacebūt graculi.

Hoc est, Tum loquentur eruditi, quū garulis non erit loquendi locus. Signat prouerbium non esse locū dicendi eruditis inter garulos, & obstreperos.

Nestorea eloquentia.

:Nestoris Pylionum ducis faciūdia, etiam in prouerbiū abiit: per quā significamus senile suauiloquentiā, Nā huic Homerus vt tria secula, ita mellitam quandā faciūdiā affingit.

Nihil ex agro dicis.

Nihil ex agro dicis, id est, nihil humile, neque triuiale dicis. Quod enim parum elegans, parum expoliturum est, id ex agro profectum dicitur. Contra, quod festiuum, quod lepidum, id urbanum, ac ciuile vocant.

Nunc ipsa viuít sapientia.

Applaudentis, & adgratulantis est sermo, si quid aliquando videtur scite, & arte dictum, factum uel. Festiuus erit, si per ironiam effe-  
ratur.

Nunc ipsa floret musa.

Superiori simillimum est adagiũ: ubi quid erudite, facunde, venuste dictum, aut scriptũ videbitur: quasi musis bene fortunãtibus. Et hoc venustius fiet per ironiam.

## INFACVNDIA.

Βατῆαριζαρ.

Canere ad myrtum.

Ialemo frigidior.

Peius Babys tibia ca-  
nit.

Eucleatio.

Βατῆαριζαρ.

Βατῆαριζαρ dicebant vulgo, qui balbutirẽt, quibusue hæsitans esset, & impedita lingua, quod Græci τραυλιζαρ appellant. Et βατῆαρισμὸς nugacitatem vocant, vocem à Barto-  
quopiam Thebano mutuati, cui vox fuerit exilis, linguãq; parum articulata. Dicunt &



Battologiam, multiloquētiā, à Batto quorū  
piam poēta, cui mos erat in poēmaris eadem  
subinde inculcare. Huius rei paulo superius  
facta est mentio. Idēq; in titulo, Garrulitas.

Canere ad myrtum.

Ad myrtum canere prouerbio iuebatur,  
imperitus literarum, & infacundus: qui non  
posset loqui apud eruditos. Hinc sūpta me-  
taphora, quòd apud veteres mos esset, vt in  
conuiujs singuli suam cantionem canerent,  
quòd si quis citharā accipere recusasset, vt  
pote mulices ignarus, is per iocum accepto  
ramo laureo seu myrteo, cogebatur ad eum  
canere.

Ialemo frigidior.

De cantione, oratione, argumēto, ioco aut  
eiusmodi re quapiā supramodū frigida rectè  
dicetur. Quidam aiunt Ialemon, lugentis vo-  
cem fuisse. Nam *ἰαλιμίζου* Græci dicunt pro  
complorare. Alij dicunt Ialemum Calliopes  
fuisse filium infelicem, nulliusq; precij homi-  
nem; præsertim in cantu supra modum frigi-  
dum. Vnde Ialemi cantilenam pro frigida, ac  
miserabili acceptam dicunt.

Peius Babys tibia canit.

Hoc adagium iaci consueuit in eos, quorū  
exercitatio semper vergit in peius. Quod ge-  
nus sunt oratores quidā, qui quo diutius di-  
cunt, hoc dicunt indoctius. Refertur autem

i. j.

ad huiusmodi fabulam. Ferunt Babym fratrem  
fuisse Marsiæ, qui nõ veritus est ipsum Apol-  
linẽ ad canendi certamen euocare. A quo quũ  
esset victus, ab eodem supinus de pinu suspẽ-  
sus, excoriatus est. Deinde quũ Apollo para-  
ret Babym quoq; perdere, intercessit Pallas,  
admonens hunc vsque adeò infelicitè, & in-  
docte tibijs canere, vt omnino negligendus  
esse videretur, inquit, Deterius Babys tibijs  
canit. Quibus verbis commotus Apollo, Ba-  
bym adeò contempsit, vt eum ne supplicio  
quidem dignum existimaret, sed suæ potius  
inscitie iudicaret relinquendum.

## INGRATITVDO.

Ale luporũ catulos.	Nemo benemerito
Aries nutritionis	bouem immolauit,
mercedẽ persoluit.	præter Pyrrhiam.
Qui canẽ alit exte- rum, huic præter li- nũ nihil fit reliquũ.	Simul & miserũ est, & interijt gratia.
Pro beneficẽtia Aga- memnonẽ vlti sunt	In senẽ ne quod collo- caris beneficium.
Achini.	Hostis non hostis.
Pro perca scorpium.	Docui te urinandi ar- tem, &c.

## Explicatio.

Ale luporum catulos.

Ale luporũ catulos: ale canes, qui te deuorant.

rent, prouerbiū est ex Theocrito in Odæpo-  
 tis sumptū, quod (interprete teste) in eos cō-  
 uenit, qui lædūtur ab ijs, de quibus bene me-  
 riti sint. Nam plærunq; solet id vsu venire il-  
 lis, qui catulos luporum enutriant. De canis-  
 bus autem sumptum est ex Acteonis fabula,  
 à suis ipsius canibus dilacerati. Cæterum le-  
 gimus & leones & dracones nutricijs suis gra-  
 tiam officij retulisse. Verum nulla est fera tā  
 ingrata, quæ sit cum hominis ingratitudine  
 conferenda.

Aries nutritionis mercedem  
 persoluit.

Quadrat, vbi quis pro benefactis malefici-  
 ciū reponit. Allegoria sūpta est ab eo, quod  
 aries cornibus impetat alueū, aut vas, in quo  
 pabulum apponitur, ipsosq; quorū opera nu-  
 tritus est, aut etiam nutritur, cornibus inces-  
 sit. Vnde & arietis ministeriū pro officio col-  
 locato in ingratiū, qui beneficiū iniuria pēset.

Qui canem alit externum, huic  
 præter linum nihil sit reliqui.

Id est, qui beneficiū collocat in ingratum,  
 perdit operam. Nam canis alienus relicto fus-  
 ne quo alligatur, pristinum dominū repetit.

Pro beneficentia Agamemnonem  
 vlti sunt Achiui.

Hoc dicebatur in ingratos, qui pro summo  
 beneficio, summum remetiūtur maleficiū.

i. ij.

Agamemnon enim, tot exhaustis laboribus in expugnanda Troia pro dignitate Græciæ, domum reuersus, velle inexplicabili inuolutus, interfectus est à Clytemnestra, auxiliante Ægisto adultero.

Pro perca scorpionum.

Istius prouerbij vsus est, vbi quis optima captans, pessima capit. Potest & in eum competere, qui beneficio accepto maleficiū reddidit. Nam perca est piscis maxime laudatus. Scorpium lethalis est. Quamquā est & piscis huius nominis, cōtempti saporis, de quo magis sentire videtur adagium.

Nemo benemerito bouem immolauit præter Pyrrhiam.

Accommodabitur rectè prouerbiū in vulgatā mortalium ingratitude, aded, vt vix vnū reperias, qui meminerit officij. Non absudit hinc exemplum euāgelicum: quo è decem lepra, CHRISTI beneficio liberatis, vnus dūtaxat reuersus est, qui gratias egerit. Vnde autem præsens natum sit adagiū, enarrat Plutarchus in quæstionibus Græcanicis ad hūc modum. Nauis quedam piratica apulit ad insulam Ithacensem, in qua forte fortuna senex quidam erat, vnā cum cadis fictilibus plenis pice. Pyrrhias quidam Ithacensis (vt opinor) negociator, senē dato precio redemit à piratis: non ob id, quod eo sibi fo-



ret opus: sed partim, quòd misertum esset senilis fortunæ, partim hominis oratione persuasus. Emit autem vnà cum sene cados illos picarios, id'q; authore sene. Deinde profectis piratis, quo Pyrrhiæ gratiam referret senex, quòd nō ob lucrì cupiditatē, sed ob beneuolentiam sese liberū fecisset, indicauit in cadis multā pecuniæ vim picì admixtā abditā esse. Qua reperta, quum Pyrrhiàs de repente diues esset redditus, quum magnifice collaudauit senis erga se gratitudinem, tum eidem bouem immolauit officij præmium. Atq; hinc re iam peruulgata, prouerbiū natum hoc, quo etiam veteres utebantur, siquando quis extitisset homo insignite gratus: qui beneficium acceptum ampliter repensaret.

Simul & misertum est, & interijte gratia.

Senarius est prouerbialis apud Zenodotū, dici solitus in ingratū: qui simul atq; leuatus est malis, desinit meminisse beneficiorū eius, cuius opera restitutus est. Iuxta illud, Si dolet, meminit: si placet, obliuiscitur. Quū e contrario prouerbiū admoneat, Memineris accepti: dati obliuiscere. At nūc ita est vulgi ingenium, vt fragilis sit beneficiorū memoria, iniuriarum tenax.

In senem ne quod collocaris beneficium.

ERASMI ADAGIORVM

Hodie quoq; vulgo dici solet, Neq; in senē:  
neq; in puerum collocādum esse beneficium:  
propterea quōd alter non refert: alter nō me-  
minit. Extat & apud Diogenianum prouer-  
biū. Ipsius autem verba vertit Erasmus hoc  
modo. Nequid beneficij colloces, neq; in se-  
nes, neq; in mulierem, neq; in puerum, neq; in  
canem cuiuspiā, neq; in garrulum remigem:  
propterea quōd perire videatur, quicquid in  
eiusmodi genus hominum insumitur.

Hostis non hostis.

Ille dicitur citra bellum hostis, qui nulla sa-  
cessitus iniuria, tamē quæ sunt hostium facit.  
Conueniet etiā in illos, qui priusq̄ exostula-  
uerint de iniuria cū amico, iā ledunt inimice.

Docui te vrinandi artem.

Docui te vrinandi artem, & tu me vis de-  
mergere. In eos quadrat, qui benefacta male-  
factis retaliant, & beneficium acceptū in eius  
ipsius vertunt perniciem, à quo acceperunt.  
In hūc quadrare potest adagium, qui præce-  
ptorem carminibus laceffit, à quo componē-  
dorum carminum rationem didicit.

GRATITVDO.

Αντιπικλαργυρ.

Pro bonis glori.

Sylofontis chlamys.

Benefactorū memo-

Lingua seorsum incis-  
ditur.

ria.

## Explicatio.

Αντιπαραγωγῶν.

Αντιπαραγωγῶν apud Græcos est mutuâ officij vicem rependere, maxime nutricandi, fouendiq; eos, à quibus aliquândo fueris enutritus, aut institutus. Veluti si liberi parêtes ætate fessos vicissim alant, foueantq;: aut si discipulus præceptorē inuicē erudiat. Adagiū sūptum est à Ciconiæ natura: quæ græce dicitur Pelargus. Ea inter aues vna pietatis symbolū obtinet. Extat enim lex pietatis magistra, quæ edicit, vt liberi parentes alant, aut vinciātur. Ad quod respexisse videtur Homerus Iliados quarto, quum ait. Nec nutricandi officium genitoribus vnq; Perfoluit charis: breue at illi cōtigit æuum. Hanc itaq; legem (quam plæriq; etiam mortales negligunt) sola Ciconia inter omnia animantium genera exprimit. Siquidem reliqua tantisper amant, agnoscuntq; parentes, dum egent illorum ad nutritionem opera. Vnde Ciconia parentes senecta defectos vicissim alit: & volandi impotentes humeris gestat.

Sylfontis chlamys.

Dici solitum in eos, qui se cultu, vestituq; factitant ac venditant. Videtur non absurde dici posse & in eos, quibus munus exiguum in tempore, magno cum sœnore redijt. Natū

i. iij.

ex historia, quæ sic habet. Syloson quidam  
 quū sensisset Darium Hystapis filium, quum  
 adhuc priuatus ageret, chlamide quadā sua  
 admodum bella impensius fuisse delectatū,  
 eam vltro dono misit. Cuius tam tempesti-  
 uæ liberalitatis memor Darius, quū iam re-  
 bus esset præfectus, totam & urbem & insulā  
 Samiorū Sylosoni in manus tradidit, vnius  
 vestis munus tam opulēto regno cōpēsans.

Lingua seorsum inciditur.

*Callistratus* (vt citat *iterpres*) tradit olim  
 in sacrificijs linguam exectā præconibus da-  
 ri solitam. Nam alioqui sunt, qui dicāt ex vi-  
 ctimis *Mercurio deberi linguā*. Isto igitur p-  
 uerbio rectè vtemur, quum præmij nonnihil  
 deberi significabimus illi, qui in conficiendo  
 negotio pro sua virili in partem fuit adiūmē-  
 to: aut euāgelion dandum læta nunciāti. Sic  
 enim vocat *Homerus* mercedulam, quæ da-  
 ri consuevit, lætum adferentibus nunciūm.

Pro bonis glori.

Dici consuevit, vbi quis beneficium, quod  
 in alium contulisset, cumulate, cumq; fœno-  
 re reciperet.

Benefactorum memoria.

Vbi quid boni cōtingit alicui, propter ves-  
 terum benefactorū memoriā, quadrabit il-  
 lud ex *Odyssæ*. χ. Officio fungi multo, ac des-  
 linquere præstat.



SIMVLATIO.

Salem & fabam.	mulum.
Plures Thriobolos, paucos est cernere vates.	Megarensum lachrymae.
Multi Thyrsigeri, pauci Bacchi.	<u>Non omnibus dormio.</u>
Multi qui boues simulent, pauci aratores.	Lepus dormiens.
Non omnes qui habent citharam sunt citharædi.	Grocodili lachrymae.
Asinus apud Cumas.	Paries dealbatus.
Flere ad nouercæ tuæ.	Sileni Alcibiadis,
	Aurum subaratum.
	Benetulus trucida tor.
	Simia simia est, etiã si aurea gestet insignia.

Expositio.

Salem & fabam.

Salem & fabam, subaudi proposuerunt, aut si quod aliud ad sententiã magis appositum verbum. Diogenianus admonet dici solitum de ijs, qui fingerent se scire quippiam, quod nescirent: atq; hinc esse natum prouerbiũ, quod olim mos fuerit, vt diuini salem & fabam proponerent.

Plures Thriobolos, paucos est cernere vates.

Carmen est ex greco versum, Græcis pro-

uerbio celebratū, quo significatum est cōplu-  
ribus mortalibus adesse virtutis insignia, aut  
etiam famam, qui tamen vera virtute vacēt.  
Vt non omnes Theologi, qui pileum theolo-  
gicum gerūt, qui ve hoc nomine sunt dona-  
ti. Non omnes poētē, qui se eo titulo circum-  
ferūt. Non omnes monachi, qui cucullo one-  
rātur &c. Philochorus apud Zenodotum au-  
thor est, olim tres nymphas Apollinis nutri-  
ces Parnasum incoluisse, quæ Thriæ dicerentur.  
Vnde postea receptum sit, vt calculi, sor-  
tēsque diuinorum, Thriæ vocarentur. Vnde  
Thrioboli, qui Thrias in vniā diuinā iaciūt.

*Multi Thyrsigert, pauci Bacchi.*

Sensus est carminis exametri græci: quod  
sic ab Erasmo traductum est. Plureis Thyrsi-  
geros, paucos est cernere Bacchos. Simile  
est superiori, & Græcis prouerbio in eundem  
sensem est celebratum. Translatum autem à  
cerimonijs Bacchanalium, quibus Thyrsos,  
id est hastas quasdam viteas quatiebant af-  
fati furore.

*Multi qui boues stimulent, pau-  
ci aratores.*

Consimilem cum superioribus habet sensu  
tentiā hic versus, Qui tauros stimulēt multi:  
sed rarus arator. Signat nēpe multos, id præ-  
se ferre, quod nō sint. Tractū hinc adagiū, quod  
(quēadmodū hodie) antiquit⁹ bobus arabāt.

Non omnes qui habent citharā  
 ram, sunt citharædi.

Ista metaphora sumpta ex secūdo Varro-  
 nis de re rustica libro, signat etiā multos vir-  
 tutis famam habere, & insignia, qui ea tamē  
 vacent. Non enim is est verus rex, cui cōtigit  
 amplū imperiū, sed qui ministrare sciat. Nec  
 verus doctor, qui frequens sortitus sit audis-  
 torium, sed qui docendi officio rectē funga-  
 tur &c. Huc pertinere videtur, quod lepide  
 scripsit Seneca, quēdam videlicet personam  
 malle, q̄ faciem. Faciem vocat, vbi quis talis  
 videtur, qualis est: personā, quum præ se fert  
 aliquis, quod non est.

Asinus apud Cumanos.

Competit in eos, qui quū sint inepti, ridi-  
 culiq; tamen apud ignotos ipsa nouitate ha-  
 bētur in precio. Aut in eos, quibus honos ali-  
 quis præter meritū additus à fortuna, tumo-  
 rem & insolentiam (ita vt ferè fit) cōciliat. Id  
 quod eleganter notat Demosthenes Olyn-  
 thiacarum orationum prima. Eius verba sic  
 vertit Erasmus. Felicitas enim, & rerum suc-  
 cessus, qui cōtigerit immerenti, stultis vesa-  
 niæ causam præbere solet. Sumptū adagium  
 à fabula de asino fugitiuo, qui apud Cuma-  
 nos populos stupidos, se gessit pro leone.

Flere ad noueræ tumulum.

Qui simulat gestu dolorē, quum re gaus-

deat, is ad nouercæ tumulū flere dicitur. Priuignus nanq; moleste ferre nouercæ mortem nō solet: nihilosecius tamen officij causā, nō nunq; ad tumulū illachrymat. Idem de diuitis hæredibus nō incōcinne dicitur: In quos extat Publīanus ille Mimus elegantissimus. Hæredis fletus sub persona risus est.

Megarensium lachrymæ.

Fictæ, nec ex vero dolore profectæ, vel vī adactæ lachrymæ, vocabātur Megarensiū lachrymæ. Diogenianus ad huiusmodi refert historiam. Bacchius quidā Corinthius, Clytij Megarensium regis filiam vxorē duxerat. Ea defuncta Clytius complures virgines, & adolescētes Corinthum misit, qui in funeralibus pompis puellam deplorarēt, lachrymis vtiq; fictis: vt qui conducti plorāt in funere, dicunt, & faciunt propè plura dolentibus ex animo. Contrā Iuuenalis, Ploratur lachrymis amissa pecunia veris. Suidas adagij aliā adfert causam. Apud Megarenses enim permul tam alij copiam esse. Huius acrimonia multis exprimi lachrymas vel inuitis. Proinde apud Aristophanem, qui lachrymatur, alij olfacere per iocum dicitur. Igitur si ad simulatū dolorem accōmodes prouerbiū, astute fuerit illi, Flere ad nouercæ tumulum.

Non omnibus dormio.

Non omnibus dormire dicuntur, qui non



omnibus inferuunt : neq; per omnia gerunt morem. Translatum putat à maritis quibusdā nimis obsequētibus: qui vxores suas adulteris sciētes produnt: somnū interim inter pocula simulantes: vt adultero, quod libet, liceat. Quod genus obsequij notat Iuuenalis his verbis. Doctus spectare lacunar: Doctus & ad calicem vigilantī stertere naso.

Lepus dormiens.

Quadrat in eum, qui quod nō facit, id facere sese adsimulat: aut quod facit, id se facere dissimulat. Qualem quidā arbitrantur fuisse Vlyssis somnū, quū à Phæacibus in Ithacā insulā exponeretur, authore Plutarcho. Nam leporem patētibus genis dormire, quū alij permulti tradunt authores, tum Plinius libro vndecimo, capite trigesimo septimo. Id quod etiā hominibus nonnullis ait accidere. Adagiū nō ineptè in timidos cōverti potest.

Crocodili lachrymæ.

In eos cōuenit, qui sese simulant grauius angī incōmodo cuiuspiā, cui perniciē attulerunt ipsi: cui ve magnū aliquod malū moliantur. Sunt enī qui scribant Crocodilum cōspēcto procul homine, lachrymas emittere: atq; eundem mox deuorare.

Paries dealbatus.

Paulus apostolus in actis apostolicis, iudicem quendā fictū & fucatū, parietē dealbatū

appellat: quòd longe alius esset intus, q̄ cultu, habitu q; externo præ se ferret. CHRISTVS itē in euangelicis literis sanctimonie *simulatores sepulchra dealbata* vocat: quæ quum foris niteant, intus sunt cadauerū ossibus referta.

Sileni Alcibiadis.

Isto adagio vti licebit, vel de re, quæ quū in speciē, & prima (quod aiūt) fronte vilis, ac ridicula videatur: tamen interius, ac propius contēplanti, sit admirabilis. Vel de homine, qui habitu, vultu q; lōge minus præ se ferat, q̄ in animo claudat. Aiūt enī Silenos imaginūculas quaspiam fuisse sectiles, & ita factas, vt diduci & explicari possent: quæ clausæ ridiculam ac mōstrosam tibicinis speciē habebant: apertæ subito numen ostendebant, vt artem sculptoris gratiosā iocosus faceret error. Plura de hui⁹ adagij origine refert Erasmus: quæ omittere visum est.

Aurum subæratum.

Subæratum aurū, dicitur homo nequaquam sincerus: sed aliud præ se ferens, aliud intus occulens. Sumptū à numismatis adulteratis.

Benevolus trucidator.

Cōuenit in hos, qui quum summā adferant perniciē, tamen beneuolētie speciē admiscēt. Tractū aiunt ab Oreste, qui t. ucidata matre Clytemnestra, parētale cōuiuū, velut i illius

honorē exhibuit. Ab alijs tractū prouerbium tradūt, quos in huius adagij enarratiōe Eras mus commemorat.

Simia simia est, etiam si aurea gestet insignia.

Signat ornamenta fortunæ nō mutare ho minis naturā. Natum à simijs illis Ægyptijs saltationem humanam imitantibus. Simillimum illi: Simia in purpura.

DISSIMULATIO.

Tussis pro crepitu.	Vulpi esurienti somnus obrepit.
Connuere.	Melle litus gladius.
Hæsitātia cātoris tussis.	Alterā manu fert lapidem: alterā panem ostentat.
Accissare.	Æsopicus graculus.
Audiens non audit.	
Mercurius infans.	
Simia fucata.	

Explanatio.

Tussis pro crepitu.

Dici solitum, quoties aliquis perplexus a liud pro alio simularet. Veluti si quis in adul tere domo deprehensus, fingeret se quippiā mercatum venisse. Trāslatum ab ijs, qui cre pitum clara tussi dissimulant: quod genus ho mines etiam hoc tempore non raro, magno cum risu deprehenduntur.

Connuere.

Prouerbiali metaphora conuiuere dicuntur, qui prudentes culpam, quam intelligunt, indulgentia tamen, ac studio dissimulant, quasi quæ non vident id, quod vident: quemadmodum vulgo loquuntur. Vt parentes ad leuiores quædam liberorum vitia conuiuent. Et natura ad quædam adolescentiæ vitia quasi conuiuet. Et maritis ad quædam vxorum errata conuiuent. Et corrupti iudices in causa conuiuent. Hallucinamur imprudentes. Cæcutimus nolentes. Conuiuemus data opera. Est autem conuiuere subinde claudere oculos, quemadmodum faciunt ij, qui propter imbecillitatem visus non ferunt lumen solis, atque ifacile falluntur.

Hæsitantia cantoris tussis.

Adagium istud (Suida teste) neotericum est & videtur dictum, quoties non suppetit quod dicamus: Idque velut aliud agentes dissimulamus: velut apud Platonem Aristophanes, ne diceret in conuiuio, singultum fingit. Sumptum apparet à cantoribus, qui quum herent in cantione, tussim simulant: vt hac videatur interrupta cantilena, non incitia. Adagium consine illi est, quod paulo superius notatum est, Tussis pro crepitu.

Accissare.

Accissare Græco prouerbio dicebatur, qui quum maxime cuperet accipere quippiam, tamen



se accipere dissimulabāt: q̄ mos hodie quoq; multis durat. Ex hoc ductum adagiū, quod de Accone muliere literis est traditum: illam videlicet fuisse notæ stultitię, quæ solita sit ad speculum cum imagine sua, perinde atq; cum alia muliere confabulari: vt hinc vulgo, quæ stultius, aut ineptius aliquid agerēt, accissare dicerentur: & Accus nomine compellarentur. Apparet illud etiam moribus huius mulieris adfuisse, vt recusaret, quæ tamen cupiebat. Vnde & Accissimus, ficta huiusmodi recusatio dicatur.

**Audiens non audit.**

In eos cōuenit, qui siquid parum placet, id scire dissimulant: veluti quum negāt sibi redēditas literas, quibus cōmonefiant officij sui: quod tamen malint effugere, q̄ præstare.

**Mercurius infans.**

Ironia prouerbialis, vbi quis dissimulat se peritū eius artis, cuius est peritissimus. Mercurius enim eloquentiæ disciplinarūq; parens est.

**Simia fucata.**

In anum, siue vetulam deformem conuenit: quæ tamen fucata, & meretricijs culta lenocinijs, senectam ac formæ vitia dissimulat. Potest & ad rem adagiū accommodari: veluti si quis turpem causam, orationis phalaris adornet, vt honesta videatur.

k. j.

Vulpi esurienti somnus obrepit.

Adagij huiusmodi vsus sit, vbi quis inopia cibi dormit. Nam nonnullis pauperibus somnus loco pastus est: testante versiculo græco, cuius sensus sic habet, Somnus domat famē, malorum pessimum. Pauperem autem vulpē appellat, quòd callida sit inopia, & multarum repertrix artiū. Aptè etiam torquetur pro uerbūm in illos, qui dissimulant, conuēntq; ad quædam, vt per occasionē aliquid cōmodi ferant. Siquidē vulpes, urgente fame, somnū adssimulat, vt allectas aues capiat, deuorētq;.

Melle litus gladius.

In perniciosam adulationē dici solitū, & in insidiosum blandiloquiū. Hieronymus quandam Augustini epistolam melle litū gladiam appellat, propterea quòd pariter & reprehensionem haberet, quasi gladiū, quo inuulgaret: & blandimenta, quibus reprehensionis asperitatem dissimularet.

Alteram manu fert lapidem: alteram panem ostentat.

Qui coram blandiuntur, clam obtrectantes: palam amicos agunt, clanculum nocent: aut qui hic profunt, illuc lædunt: falsam beneficii spem ostentant, vt nacti occasionem funditus perdant, ij dicuntur alteram manu portare lapidem, alteram panem ostentare. Translatum ab ijs, qui canes ostentato pane pelliciunt: dein-

de accedentibus saxum illidunt.

Æsopicus graculus.

Æsopicus graculus dicitur, qui aliena sibi usurpat, aliorumq; bonis sese veditat. Extat Apologus inter alios, qui Æsopi nomine circumferuntur: ex quo sumptum est prouerbiū istud.

L I B E R T A S.

De plastro loqui.	Libera Corcyra, caca
Byzeni libertas.	vbi libet.
<u>Quod in animo so-</u> <u>bris: id est in lingua</u>	Liberi poetæ, & pic-
<u>ebrij.</u>	ctores.
Audi quæ ex animo	Ter.
dicuntur.	Subiugus homo.
	Non possū nō dicere.

Explicatio.

De plastro loqui.

De plastro loqui dicuntur, qui palam ac libere conuitantur. Tractum à libertate veteris comædiæ: quæ eousq; progressa dicitur, ut non solum ciuium primates, verū etiam deos nominatim taxaret. Id quod apparet ex Aristophane: qui in Pluto Iouē, Mercuriū, Aesculapium, reliquosq; deos omneis contumeliose tractat. Bacchum item in Ranis, non admodum honorifice. Eiusmodi autem fabulæ apud priscos illos in plastris agebantur, à iuuenibus, ore fece collito, ne possent agnosci:

k. ij.

qui magna licentia in obuium quenq; dicteria iaciebant.

Byzeni libertas.

Byzeni libertas pro magna loquendi libertate capitur: vbi videlicet quis audacius, liberiorq; loquitur. Ductum à Byzeno quodam Neptuni filio: cui mos fuerit mira in dicendo libertate vti.

Quod in animo sobrius, id est in lingua ebrius.

Prouerbialis est sētētia: qua significāt ebriū libere loqui, quicquid in buccam venerit: sobriū autē tacēda tacere. Vnde est illud Herodoticiū, Subfidente vīno, supernatant verba.

Audi quæ ex animo dicuntur.

Illa dicuntur ex animo dici, quæ libere & audacter dicuntur, citraq; aliquam dissimulationem, quæ quidem audienda sunt: non autem adulatorū & simulatiū verba, quorum oratio in faucibus nascitur, non in corde. Contrariū est huic, A summis labris, pro eo, quod est, nō ex animo. Seneca in epistolis ad Lucilium, Non à summis labris ista veniunt

Libera Corcyra: caca vbi libet.

Isto vti solent prouerbio, quum significant libertatem quidvis agendi. Citatur ab Eustathio in Dionysiu. Sed magis (vt docet Erasmus) quadrabit, vbi significabimus impunitatem esse maleficis.



## Liberi poëtae, &amp; pictores.

Lucianus in Demosthenis Encomio scribit poëticum genus liberum esse. Sentit autem præsens prouerbium, liberum esse poëtis & pictoribus impune quicquid velint fingere. Ad quod allusit Horatius. Pictorib<sup>9</sup> (inquit) atq; poëtis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Est autem plurimum cognationis inter poëticen & picturam. Hinc Simonides (vt testatur Plutarchus) picturam tacitam poësim appellauit: poësim autē, loquentem picturam. Proinde Horatius. Vt pictura poësis erit.

## Ter.

Græci additione numeri rem applicāt, maxime ternionis: fortassis quòd is apud præcos & absolutissimus, & sacer habebatur: vt quicquid ter dictum, aut factum esset, id ratū & efficax haberetur. Vnde in magorum mysterijs adhiberi solitus est. Est etiam illud nūc vulgo familiare, vt si quid asseuerēt liberius, vehementius ve, id ter repetant. Ex quo etiā adagium ortum videri possit.

## Subiugus homo.

Qui non libere, siue arbitrato suo, sed alieno iussu quippiam facit, subiugus homo per figuram prouerbialem nūcupatur. Traductū prouerbium à iumentis iugalibus.

Non possum non dicere.

k. iij.

ERASMI ADAGIORVM

Vbi quis negat se reticere posse, quod habet in animo, festiuiter accommodabit illud ex Odyssæa. ̄. Dicam equidem quiddam iactantius: vrget enim me Vinū amens. Eodem in loco quātū possit vinū, elegāter ostēdit Vlyses his verbis, Quod quantumcūq; grauem atq; pudentem Incitat ad cantū, ac tenerum ridere, chorosq; Ducere compellit: nonnunq̄ quod tacuisse Præsiterit, referato effutit pectore dictum.

VERITAS.

Obsequium amicos :

veritas odiū parit

Et fama fuit: & eras.

Aperto pectore.

Veritatis simplex ora

tio.

Ad cribrum dicta.

In viro veritas.

Ficus ficus: ligonem

ligonem vocat.

Elucidatio.

Obsequiū amicos: veritas odiū parit.

Senarius est prouerbialis apud Terentium in Andria, non admonēs quid oporteat fieri, sed ostendens quid vulgo fiat. Vulgaris enim amicitia constat obsequijs. Nam inuicem conuiuere ad familiarium vitia, hæc res & iūgit, iunctos & seruat amicos. At inter veros amicos nil est veritate iucundius, modo absit asperitas agrestis, & incōcinna, grauisq;. Porro qui vulgo plurimis amicus esse studet, moribus alienis obsecūdet: caueatq; iuxta Persiū,

Aurículas teneras mordaci radere vero. De qua re satis multa differuimus in illa nostra oratione, quã Parrhisijs, id'q; in publico auditorio in sermones Horatianos habuimus.

Et fama fuit: & eras.

Hemistichion est prouerbiale, quo in aliquem verè vtimur, quoties eius facta respondent hominum opinioni. Suidas meminit è poëta quopiam. Est enim fragmentum carminis heroici, ab Erasmo versum ad huc modum: Et dicebaris, erasq;.

Aperto pectore.

Aperto pectore dicimus, pro eo, quod est vehementer ex animo, citraq; fucū, quasi renudatis animi penetralibz. M. Tullius in libro de amicitia, In qua nisi (vt dicitur) apertū pectus videas, tuum'q; ostēdas, nihil fidum. Allusum est ad Momii dictum, qui fenestras in hominū pectore desiderasse fingitur: quo liceret inspicere, quid nam in specubus illis reconditum esset.

Veritatis simplex oratio.

Prouerbiū istud vsurpabitur, vel in Rhetores, ac poëtas, qui mēdacia verborū lenocinijs fucare solent. Vel in blandiloquos, qui quod non ex animo dicant, solent accuratius adornare sermonē, ac veros affectus, hoc diligentius verbis imitari, quo magis vacāt affectibus. Vt qui conducti plorāt in funere, dī-

k. iij.

cunt, ac faciūt propè plura dolentibus ex animo; quum interim simplex illa, rusticanáq; veritas negligat id genus orationis fucos: *ficus ficus: ligonē ligonē* appellans. In diuinos etiam quadrare potest adagiū, qui vaticinia sua verbis ambiguis efferunt, ne queant deprehendí, sitq; rima quæpiam, per quam elabantur. Deniq; in eos quadrat, qui perplexe loquuntur, dum verum dissimulant.

Ad cribrum dicta.

Quæ vera cõpertáq; videri vellent, ad cribrum dicta dicebant. Sumptum à diuinationis genere, quod suspensio, circũactóq; cribro peragebatur.

In vino veritas.

Adagiū signat ebrietatem, animi fucū tollere: & quicquid in pectore cõditū est, in apertum proferre. Vnde diuinæ literæ vetāt vinū dari regibus: quòd ibi nullum sit arcanū, vbi regnet ebrietas. Plinius libro decimoquarto, capite vigesimo secundo, scripsit vinū vsque aded mētis arcana prodere, vt mortifera etiã inter pocula loquantur homines: & ne per iugulū quidem redituras voces cõtineant: vulgòq; (inquit) veritas attributa vino est. Celebratur & Perse cuiusdam apophthegma, qui negauit tormentis opus esse ad exquirèdum verum, vino enim rectius elici. Celebratur à Græcis hæc quoq; sentētia prouerbialis pau-



lo superius notata. Quod in corde sobrijs, id in lingua ebrijs.

Ficus ficus: lignonem lignonē vocat.

Senarius est è comœdijs Aristophanis in adagionē traductus. Qui quidē in eum quadrat, qui simplici & rusticana vtens veritate, rem vt est narrat: nullis verborū ambagibus, ac phaleris obuoluens. Sunt enī apud Rhetores figuræ quædā, quibus fit, vt turpia honeste, aspera molliter, superba modeste, mordacia blande dicantur. At qui crassiore sunt Minerva, rudius ac planius eloquantur suo quicq; nomine signantes.

### V A N I T A S .

Quæ apud inferos.	Somnium.
Cilix haud facile verum dicit.	Asini mortes.
Cretiza cum Cretēsi.	Hiberæ neniæ.
Mêdacem memorem esse oportet.	Siculæ nugæ: Gerræ: Persolæ nugæ.
Mentiuntur multa canores.	Cæcum infomnium.
Fumos vendere.	Anicularū deliramentum.

Interpretatio.

Quæ apud inferos.

Quum inania, somnijsq; simillima significare volumus, aptè dicimus, Quæ apud inferos, subaudi, quæris. Inde natū putant, quod

Cratinus finxerit quendam apud inferos funem torquentem, asinum autem arrodentem ea, quæ ille iam torsisset, atq; ita inaniter laborare. Eundem cum isto adagione sensum habent & illa prouerbia. Ab asino lanã, Asinum tondes, Lupi alas quæris.

Cilix haud facile verum dicit.

Dionysius in epistola ad Rufum scholasticum sic scribit. Vetus verbum est, Cilices haud facile verum dicere. Quadrabit in hominem lucri audum: qui ob id se penumero dicat, non quæ vera sint, sed vana, & mendacia, modo utilitatem adferant.

Cretiza cum Cretensi.

Cretizare cum Cretensi, est aduersus mendacem mendacis uti. Hinc ductum adagium, quod Cretensium vanitas, de Iouis apud se se pulchro, multaq; id genus mentientium in vulgi fabulam abierit. Id quod palam testatur Epimenidis versiculus: quem diuus Paulus Apostolus etiam citat: hic autem traductus sic habet. Cretenses semper mendaces, malæ bestiae, ventres pigri. In eos etiam quadrare potest adagium, qui frustra mendacis agunt, aduersus mentiendi artificem. Quæadmodum vulgo dicunt difficillimum esse furari, apud fures: ita difficillimum mendacis imponere mendacibus.

Mendacem memorum esse oportet.

Satis liquet adagij sensus: indicat nanque

perdifficile esse, vt qui mentitur, semper sibi constet, nisi summa sit memoria. Est autem fictarum rerum memoria non paulo difficilior, quàm verarū. Proinde plærunq; deprehenduntur hoc pacto mendaciorum architecti, dum oblitī quæ prius dixerint, diuersa à superioribus loquuntur. Sic deprehenditur apud Terentium Daus. Sic Psyche Apulciæ commentum à sororibus sentitur.

Mentiuntur multa cantores.

In eos quadrabit, qui ad gratiam loquuntur, & auribus blandiuntur. Inde ductū, quòd cantores hoc modo spectantes, vt delectēt, ac placeant, plæraque canunt falsa in auditorum laudē. Nihil enim veritate grauius: nihil assentatione suauius.

Fumos vendere.

Elegans est adagiū apud Martialem, Fumos vēdere, pro eo, quod est, principum beneuolentiam, simulato commendationis officio, per occasionem familiaritatis, precio vēdere. Nā fumus initio quidem magnū quiddam esse videtur, verum euanescit ilico. Martialis carmen hoc est.

Vendere nec vanos circum palatia fumos:

Plaudere nec Cano: plaudere nec Glaphyro. Vnde & præstigiōsam rerū magnarū spē, atq; ostētationē, fumū, ac nebulas vocamus.

Somnium.

Rem futilem, inanē & nihili, somniū pro-  
 uerbio dicimus Terētius in Adelphis, De ar-  
 gento somniū. Idem in eadem fabella. Ille su-  
 ttilis, somniū. Lucianus in Harmonide. Om-  
 nia illa, subuentanea somnia ( sicut aiunt ) &  
 verborum vmbrae.

## Asini mortes.

Asini mortes, subaudiendū narrat. Diceba-  
 tur in eos, qui narrarēt absurda, ridiculāq; di-  
 ctu: cuiusmodi fuerit, si quis lōga narratione  
 persequatur asini pericula: quēadmodū Vlyse-  
 sis descripsit Homerus. Et Apuleius in sua  
 metamorphosī planē asini mortes comme-  
 morat.

## Hiberæ næniæ.

Hiberas næniās diuus Hieronymus nu-  
 gas appellat, Id'q; in prælatione, quam præ-  
 posuit Moyfi Pētatheuco. Quod multi igno-  
 rantes (inquit) apocryphorū deliramenta se-  
 ctantur: & Hiberas næniās libris autēticis præ-  
 ferunt. Erasmus opinatur Hiberas næniās di-  
 ci propter prodigiosas maleficiorum fabulas  
 vulgo iactatas. Nam Hiberos maleficiorum  
 infamia laborasse testis est in suis Odis Ho-  
 ratius.

## Siculæ nugæ: Gerræ: Persolæ nugæ.

Siculæ nugæ prouerbio dicuntur res leui-  
 culæ. Porro gerras Græci, crates vimineas ap-  
 pellant. Ea vox postea vulgo pro nugamen-



tis, rebúsq; friuolis vsurpata est, authore Festo Pompeio, hac quidem occasione. Athenienses quū Syracusas obsiderent: & crebro gerras poscerent, irridentes Siculi, gerras clamitabant. Hinc in prouerbiū cessit. Vnde & familiares, & qui inter se nugas omnes comunicāt, vocātur cōgerrones. Apud Plautū in Pœnulo, persolas nugas legimus, ob montes aureos, qui apud Persas esse perhibētur.

Cæcum insomnium.

Cæcum insomniū, dicitur de re friuola, vanaque. Quædam enim insomnia portēdunt aliquid, quædam inania sunt.

Anicularum deliramenta.

De nugis inanibus, cuiusmodi solent effutire vetulæ, quū iam sexus vitio vitium ætatis accedens, nugacitatis morbū cōduplicat.

### CURIOSITAS.

Mylus ōnia audiens. atq; oculi.

Corycæus auscultat. Nodū in scyrpo queris.

Multæ regum aures,

Explicatio.

Mylus omnia audiens.

Dici solitum, vbi quis se dissimularet audire, quū omnia tamen auribus curiosis capteret, auscultaretq;. Tractū videtur à Mola

vnde exploratores obseruare soléat, quæ fierent: aut à Myli curiosi cuiuspiam moribus, Corycæus auscultauit.

Adagiū vsurpatur, vbi quis, id quod agit conatus dissimulare, tamen à curiosis deprehenditur. Vnde natū sit adagiū, id partim ex Strabone, partim ex Zenodoto adscribit Erasmius. Corycus mons est Pamphiliæ præcellus, ac portuosus, atq; ob id pyratarū insidijs opportunus, quos ab eo mōte Corycæos vocabant. Hi nouā insidiādi rationē excogitarant. Siquidē dispersi per portus Coryci mōtis, miscebāt sese negociatoribus, vt quæ que forte appulerant, subauscultātes, & quid rerū portarent, & quò nauigare destinassent: deniq; quo tēpore decreuissent soluere. Quæ simulatq; cognouerāt, renunciabant piratis, cū quibus societate maritimorū latrociniorū exercebant. Atq; ita per occasione pariter adorti, nauigantes spoliabant. Quæ res vbi mercatoribus esset comperta, plætaq; occultabant, ac dissimulabant, insidiarū metu. Sed quū ne sic quidem laterent, odorātibus omnia Corycæis, res in prouerbium abiit, Hunc Corycæus auscultauit: de re vehementer dissimulata, deprehensa tamen.

Multæ regum aures, atq; oculi.

Per allegoriā, figuram nimirū prouerbialem, complures auscultatores, cōplurésq; ex

ploratores regibus esse soliti, ipsorum dicuntur aures, atq; oculi. Principes namq; illis velut auribus atq; oculis vtuntur.

Nodum in scyrpo quæris.

In anxium dicebatur, nimisq; diligentem, curiosum, aut meticulosum: qui illic scrupulum moueret, vbi nihil esset addubitandum. Hinc sumptum, quod scyrpus iunci species sit leuis, atq; enodis. Quam apud Gellium scyrpi dicuntur captiuiculae, argutiæq;.

## C R V D E L I T A S.

Manliana imperia.	Nō magis parcemus,
Opera Sylofontis amplia regio	q̄ lupis.
Phalaridis imperium.	Lutum sanguine maceratum.
Omnis herus seruo monosyllabus.	Non est oleum in lecytho.
Lemnia manu.	<u>Boni viri lacrymae</u>
Crudelis Bacchus.	<u>biles.</u>

Enarratio.

Manliana imperia.

Adagium aptè torquebitur in eos, qui nimis rigida iuris obseruatione humanitatis, & æquitatis obliuiscuntur. L. Manlius enim (vt historię tradunt) quū Cōsul bellum cum Latinis gereret, edictumq; esset, ne quis extra ordinē pugnaret, ac T. Manlius Consulis filius turmae præfectus, prouocatus à Genutio, siue

(vt Valerius scribit) à Geminio Metio Tusculanorum equitum præfecto, oblitus edicti consularis conflixit: & prouocatorē hasta cōfodit. Deinde vbi comitante turma, ac velut orante spolijs ornatus, ad patrem tenderet, ille mox in cōspectu omnium, filium quòd extra ordinē pugnasset, ad palū delegari: dein de virgis ex more cædi, postremo securi feriri iussit. Salubri quidem in posterū exemplo (quēadmodum scribit Liuius) sed in præsentia nimium odioso Consuli. Siquidem (vt auctor est Valerius) libro memorabiliū nono, capite de ira, quū victor Romam reuertetur, nemo iuuenum iuit obuiam: in tantū totius iuuentutis odiū venerat. Hinc & cognomen additum vulgo, Imperioso.

Opera Sylofontis ampla regio.

Sēsus est senarij in prouerbiū versi, quē refert Strabo Geographiæ libro decimo quarto. Nam Syloson munificētia Darij, mortuo Polycrate, Samiorum adeptus Tyrānidem, quū acerbius exerceret imperium, ita vt ferre solent ij, qui ab humili fortuna, repente ad res amplas prouehuntur, & ob hanc causam insula desereretur ab icolis, puerbio dici cōceptū est. Sylofontis causa ampliata est regio.

Phalaridis imperium.

Rectè etiam dicitur in eos, qui crudelius exercēt imperiū: aut potestatē sibi delegatā.



Ortum adagium à Phalaride Agrigentinarum Tyrano, quem sua crudelitas nobilitauit. Inter multa autem crudelitatis exempla celebratus in primis genus ille taurus, Perilli, siue Perilai (Nam sic appellat Lucianus) inuentum: in quo, subiecto igni, mortales viui eo modo exurebantur, vt pro eiulatu humano, mugitum ederent morientes.

Omnis herus seruo monosyllabus.

Hoc ideo dici solet, quod heris & potentibus breuissimo tantum verbulo opus est, vt vel annuat, vel renuat: qualia sunt, sic vel non. Item, Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas. Seruis autem, & impotentioribus, multis opus est verbis, vt exorent, aut persuadeant.

Lemnia manu.

Lemnia manu dictum est pro eo, quod est, nefaria, impia, crudeli. Natum à Lemnijs mulieribus quæ (vt Erasimus in adagio, Lemniũ malũ, recēset) graueolētia maritorũ offensæ, eos vniuersos sustulerunt, auxilio Thoantis.

Crudelis Bacchus.

Baccho quondã viuos homines sacrificari mos erat. Vnde i crudeles cōuenit, siue quod temulentia feroces reddat, & immites.

Non magis parcemus, q̃ lupis.

Aristophanis interpres prouerbialem figurã esse admonet, Inde natã: quod antiquus lex ad interficiendos lupos etiam premio in-

uitabat apud Atticos. Etenim qui lupi catulum interemisset, huic talentum: qui adultum occidisset, duo talenta dabantur.

Lutum sanguine maceratum.

Theodorus Gadareus Tiberij Cæsaris in arte Rhetorica præceptor, perspicies in eo adhuc adulescente seuitiã quandam cū ingenij stupore coniunctam, inter obiurgandum illū, subinde vocare solebat, lutum sanguine maceratum: luto tarditatem inuens: sanguine, crudelitatem. Author Suetonius Tranquillus. Conueniet igitur in hominem ingenio tardū & crudelem.

Non est oleum in lecytho.

Rectè isto utimur prouerbio, quum significamus non esse precibus locum apud hominem inexorabilem. Est autē lecythus tam apud Latinos, quā Græcos vas olearium.

Boni viri lachrymabiles.

De ijs dicebatur, qui facile commouerētur ad misericordiã, ac precibus flecterētur. Nam illachrymare dicuntur, qui miseresunt. Ouidius. Quibus possint illachymare feræ. E contrario, illi vocantur illachymabiles, qui non miseresunt. Vnde Horatius Plutonē, quod nullis flectatur precibus, illachrymabilem appellat. Potest & ad Heraclitum referri, res humanas perpetuo fletu prosequi solitum. Qui autem duri sint, & inexorabiles, hos solemus adamã

tinis, ferreos, & corneis fibris nuncupare.

## T I M I D I T A S.

Vmbrā suā metuere.	Animus in pedes de-
Leonis vestigia quæ-	cidit.
ris.	Trepidat in morem
In pedes retrocedit.	galli cuiuspiam.
Lingua bellare.	Nulla cādidorum vi-
Timidior es prospic-	rorum vtilitas, nisi
iente.	ad cerdonicam.
Timidior Pisandro.	In pulicis morfu deū
Epeo timidior.	inuocat.
Timidus Plutus.	Mulier imperator: &
Timidi nunq̄ statue-	mulier miles.
runt trophæum.	Léporis vita.
Abiecit hastam Rhis-	Certinus vir.
psaspis,	Vir fugiens, & denuo
Vel muscas metuit	pugnabit.
præteruolitantes.	Inirio cōfidens, in fa-
Ante tubā trepidas.	cto timidus.
Ignauī vertitur color.	

## E n u c l e a t i o.

Vmbram suam metuere.

Illi dicuntur vmbram suam metuere, qui pueriliter trepidant, vbi nihil omnino sit periculi. Translatū vel ab his, qui forte conspecta corporis sui vmbra, subito expauescunt. Vel à melancholicis quibusdā: qui Aristotele

tus in aëre proximo, veluti suam quandam imaginem contēplantes, arbitrantur sese suos videre manes.

Leonis vestigia quæris.

Dicterium in eum, qui verbis ferox esset, re timidus. Ductum ab Apologo quopiam Æsopico, quo narrat venatorem quendam, pastorem obuiū rogasse, nuncubi leonem vidisset, vt eum sibi commonstraret. Atq; eum respōdisse, Equidem tibi leonis vestigia mox ostēdero. neq; enim procul absunt. Tū ille, Satis est (inquit) neq; enim vltra quicq̄ requiro.

In pedes retrocedit.

Huiusmodi adagium in eum conuenit, qui metu dat locum potētiori: & reuocat se in tutum. Ab Athletis sumptum videtur.

Lingua bellare.

Lingua bellare dicuntur, qui magnifice conuertiuntur, ac minantur hosti: sed quum tutum est. Sic enim Menelaus Græcorum ignauiam inculcat Iliados H. Heu Graiæ neq; iam Grai; tantumq; minaces. Allusit huc & Virgilius in Æneide. An tibi Mauors Ventosa in lingua, pedibusq; fugacibus istis Semper erit? Hæc enim Turnus in Drancē lingua pollentem in consilijs, alioquin imbellem.

Timidior es prospiciente.

In hominem valde pavidū cōpetit: aiuntq; ex huiusmodi fabula ortum. Quidam natura



timidus, audita Herculis fama, abdiderat se se præ metu in specum quædam. Deinde quû aliquândo prospectaret: & Herculem forte fortuna prætereuntem vidisset, immodico metu exanimatus est, ac protinus dirigit in saxum versus, quod adhuc visitur specie viri, velut à specu prospicientis.

Timidior Pisandro.

Dicebatur olim & hoc in immodice formidolosos. Aiunt enim Pisandrum fuisse quempiã prodigiola timiditate, adeò vt anxius esset, ne suam ipsius animam alicubi videret, quæ se vitium reliquisset.

Epeo timidior.

In hominem magnopere timidum olim dicebatur. Ductum ab Epeo quopiam notæ timiditatis. Datum est hoc cognomẽ Cratino Comico, per allusionem fortassis, quòd quû Oenoidis tribus princeps esset, in eo munere timidius sese gereret.

Timidus Plutus.

Proverbiû signat diuitem esse in omnibus negocijs formidolosum. Cautè enim munit ædes furum metu. Metuit tempestates, propter frumẽta quæ in agris habet. Metuit propter merces quas habet in mari. Metuit amicos, nequid rogantibus donare cogatur. Metuit inimicos, nequid noceant. Timidius conuitiatur, metu mulctæ. Omnia circumspectius

& facit, & dicit, metu calumniæ: quæ potissimū diuitibus strui solet; quippe quibus est, quod auferri possit. Si bellū immineat, diues in primis discruciat: quum contrā paupertas secura, in vtranq; dormiat aurem.

Timidi nunq̄ statuerunt trophæum.

Hoc à Suida ex Eupolide citatū est: quod aptè dicitur in eos, qui per animi socordiā, inertiamq; nihil egregium, nihil arduum audent aggredi. Aut in eos, qui periculi metu, à magnis abstinent negocijs. Quum insignis gloria, non nisi magnis periculis contingat. Neq; triumphum egit quisq;, qui nō sit ausus Martis euentum experiri. Est simile quiddam apud prophetam, Non nauigare, qui ventos obseruet.

Abiecit hastam Rhipisaspis.

Hastam abijcere dicitur, vtiq; prouerbiali figura, qui causę suę diffusus abijcit animum, ac desinit contra conari. Cicero pro L. Murena. Vides ne tu illum tristem, demissum? Iacet, diffidit, abiecit hastam. Græcis item prouerbiali cōuitio dicitur, Rhipisaspis, qui ignauus, ac timidus sit: quiq; in acie locum deserit, & clypeum abijcit.

Vel muscas metuit præteruolitantes.

Prouerbialis esse videtur hyperbole, quam

refert Aristoteles de Rep. libro. Qui muscas  
(inquit) etiã præteruolitantes metuat, id est,  
*quis friuola de causa. Idem similem quãdam*  
commemorat in moralium septimo, loquens  
de ijs, qui vsqueadẽ natura sunt timidi, vt  
etiam si forex obstrepat, ipsi protinus expa-  
uescant.

Ante tubam trepidas.

In eum torquetur, qui animo cõsternatur,  
priusq̃ appareat periculum. Sumptũ ab igna-  
uis militibus, qui pauitant, priusq̃ bellicum  
canatur. Nam audita tuba, mirus quidam pa-  
uor solet militum animos incessere.

Ignauĩ vertitur color.

In hominem timidum dici consueuit. Nam  
id accidit in metu, vt vultus exalbescat, ma-  
xime timidis, videlicet sanguine ad vitalia re-  
fugiente.

Animus in pedes decedit.

Qui vehementer consternantur, atq; expa-  
uescunt, ijs animus in pedes decidere dicitur.  
Quin hodie vulgo audimus, *Totus animus*  
*mihĩ erat in genibus, pro eo, quod est, vehe-*  
*menter eram exanimatus. Homerus Iliados*  
*o. Pauor ingruit ingens Omnibus; in'q; pedes*  
*animus mox decedit imos.*

Trepidat in morem galli  
cuiuspiam.

Prouerbium commode torquebitur in eũ,  
l. iij.

qui sit male affectus, & commotus, aut etiã  
 pauitans. Aristophanes in Vespis sic scribit.  
 Galli in morẽ Phrynichus horret. Fuit autẽ  
 hic Phrynichus Melanthæ filius, Atheniẽsis,  
 tragediarum scriptor: quem Atheniẽses mil-  
 le drachmis mulctarũt, quòd Milesiorum ex-  
 cidium Tragedia complexus esset. Hoc qui-  
 dem Erasmus nõ erat (vt ipse fatetur) adscri-  
 pturus inter adagia, nisi commentarius Aris-  
 tophanis hoc nominatim prouerbij loco re-  
 tulisset.

Nulla candidorum virorũ utilitas,  
 nisi ad cerdonicam.

In molles, & effœminatos dictum, ac velu-  
 ti voluptatibus natos. Cæterum ij, negocijs  
 agendis inutiles, quales non raro solent esse,  
 qui natura timidi sunt. Cõtrà, qui nigra sunt  
 cute, & hispidi, hi magis allegẽdi sunt ad ad-  
 ministrandam Remp. Vnde & Herculem *μυ-  
 λάμπυγορ* appellarunt, quòd nigrior & ideo  
 strennuus & à mollitiẽ alienus esset.

In pulicis morfu Deum  
 inuocat.

In eos competit, qui re quantumlibet leui  
 perturbãtur, ac si maxima esset. Tractum ab  
 Apologo inter Æsopicos commemorato, qui  
 sic habet. Quidã offensus dolore pulicis pes-  
 dem mordentis, subsedit, & Herculem *ἀλεξί-  
 κακορ*, id est in malis adiutorem implorauit.



Mox desiliēte pulice, male precatus est Herculi, qui quum in tātillo periculo vocatus nō tulisset opē, non videri verisimile eum in grauioribus adfuturum.

Mulier imperator, & mulier miles.

Senarius est prouerbialis: cuius vsus est, quoties totum negocium ignauis cōmissum est: quūmq; & ij qui præsunt, & ij qui parēt, pariter sunt formidolosi. Natum hinc, quòd foeminā natura in hoc finxerit, non vt imperet: sed vt pareat. Quod Græcus versiculus testatur, quem Erasmus sic vertit. Natura nō dedit imperare foeminis. Etenī quod in homine ratio & affectus: id in vita vir & mulier. Ratio affectui, sic mulieri vir dominari debet.

Léporis vita.

Léporis vitam viuere dicuntur, qui semper anxij, trepidi q; viuūt. Hinc ortū, quòd lepus animal omniū prædæ expositum, ne somniū quidem capit, nisi oculis apertis. Demosthenes in Æschinem, Léporis vitam viuebas, timens ac tremens, ac semper expectans, vt vapulares.

Ceruinus vir.

Qui formidolosus, & fugæ fidens magis, quàm viribus esset, is olim dicebatur Ceruinus vir. Hinc natū, quòd Ceruus animal sit cursu perniciosissimū, & in venatu, pedibus sibi salutem quærēs. Vnde (vt Homerus Iliados

primo scribit) Achilles vir fortis, semel Agamemnoni, velut imbelli & ignauo cōuictum fecit, obijciens illi temulentiam, impudentiam in occupandis aliorum præmijs: & cor ceruicinum, quod ad congressum esset timidus.

Vir fugiens, & denuo pugnabit.

Senarius prouerbialis, quo monemur nō protinus abijcere animum, si quid parum feliciter successerit. Nam victi vincere possunt. Proinde & Homerus vocat victoriā ἰτραλσικία, id est, vicissim fauentem. Vicissim siquidem, nunc apud hos, nunc apud illos victoria pollet. Ex quo est & illud, Victorem à victo superari sæpe videmus.

Initio confidens, in facto timidus.

In eos rectissime quadrabit, qui anteq̃ periculū appareat, audacissimi sunt & magniloquentissimi. Verum vbi res virum postulat, sibi animus decidit illis. Hinc est illud ex Epitharmo traductum, Ignauus statim admodū de se confidit: post autem fugit.

## INANIS METVS.

Panicus casus.

Multa in bellis iania.

Inanem metum metuisti.

Theagenis hecateū.

Aspersisti aquam.

Explanatio.

## Panicus casus.

Subitus animorum tumultus, sed inanis. à veteribus panicus casus vocabatur. Prisci enim existimabant Panem deum repentinos terrores, & animi cōsternationes immittere, lymphaticis simillimas vsqueadēdē ipotētes, vt non ratione modo, verū & mente careāt. Sicuti non rarenter vsuuenit, quum in exercitu nulla comparente idonea causa, viri pariter atq; equi perturbantur. Pindarus in Nemeis scribit non oportere fortibus viris vitio vertere, si fugiāt in huiusmodi tumultu. Pindari verba sic vertit Erasmus. In diuinis terroribus fugiunt & filij deorum.

Inanem metum metuisti.

Isto vtimur adagio in eum, qui in re tuta formidat. Virgilius. Omnia tuta timens. Refertur adagium in collectaneis Plutarchi, si modo titulo est fides habenda.

Multa in bellis inania.

De inani suspitione, aut pauore sine causa oborto dicitur: de quo in adagio, Panicus casus relatum est. Parcemiam, hinc manasse putāt, quōd huiusmodi Panici terrores plerūq; solēt in bellis accidere. Vel quōd Lacedæmonij fundis quibusdam & nervis crepitantibus vti consueuerint ad terrorem incutiendū hosti. Plutarchus in cōmentario de audiēdo. Vt eni belli, sic & auditionis multa inania sunt.

## Theagenis hecateum.

In superstitiosos, ac ridicule meticulosos dictū est. Hic Theagenes legitur vsque adeo fuisse superstitiosus, vt domi haberet Hecates simulachrum, nec vsq̄ pedem moueret, nisi illo consulto. Vnde & *κατεπνος*, id est, fumus, est cognominatus, quod magnifice polliceretur, quum pauper esset.

## Aspersisti aquam.

Aspersisse aquam dicitur, qui dicto quopiam reddiderit animum, ac metum ademerit. Mutuo sumptū ab ijs, qui in deliquio aspersa in faciē aqua, ad sui sensum reuocant.

## A V D A C I A.

Fortes fortuna adiuuat.	Qui cum cōtemptu vitæ inuadunt.
Animus præsens.	Aqua præterfluit.
Animus heptabœus.	Martis pullus.
In discrimine apparet qui vir.	Alter Hercules.
	Improbilas muscæ.

## Enarratio.

Fortes fortuna adiuuat.

Admonet adagium fortiter periclitandam esse fortunā. quod qui faciūt, his plærūq; res prospere cedere solet: propterea quod id genus hominibus fortuna quasi faueat, insensā ijs, qui nihil audent experiri: sed veluti co-



chlex perpetuo latēt intra testas. Adagiij sententiam cōplexus est eleganter Faustus Andrelinus his versibus. Audentes animos felicia numina ducūt. Oderūt timidī segnia corda viri. Virgilius adagiū ex Ennio in sua Æneide vsurpauit, sic scribens, Audaces fortuna iuuat. Vsurpatū est & ab alijs non paucis.

Animus præsens.

Animi præsentia vtilis vbiq; propterea, q̄ timiditas, vel à cōscientia, vel ab animi paritate videatur proficisci. Huic sententiæ suffragatur Homericū illud ex Odyssæ H. Omnibus in rebus potior vir fortis & audax, Sit licet hospes, & è longinquis venerit oris. Ad hunc modū Pallas hortatur Vlyssē, nequid trepidet ingressurus Alcinoi domum.

Animus heptabœus.

Animus heptabœus dici solet, de forti, magnōq; & inuictō. Epithetum sumptum à clypeo Aiacis, quem Homerus heptabœum appellat, quòd septē boum tergoribus esset obductus, atq; ob id impenetrabilis. Et Ouidius, Dominus clypei septemplexis Áiax.

In discrimine apparet qui vir.

De re periculosa, difficili que, & eiusmodi, quæ virum cordatum ac strenuū requirat, conueniet illud Homericum ex Iliados N. Illic qui vir iners, qui strēnus ipsa docet res. Carmen quod proxime cōsequitur, ad hanc

rem faciēs sic habet traductū. Vertitur ignas  
 ui color, & variatque subinde: Nec mens certa  
 manet: verū huc, illūq; vacillat: Ac migrans  
 è corde pedes in vtrosque residit: Palpitat &  
 valide cor ei præcordia subter Fata puranti  
 animo: occipiunt quoq; stridere dentes. Con  
 trà forti, nec variat color, ac neq; valde Hor  
 rescit.

Qui cum contēptu vitæ inuadūt.  
 In eos qui gladiatorio (sicut ait Terētius)  
 animo quempiam impetunt, vt aut perdāt,  
 aut pereant, conueniet Homericum illud ex  
 Iliados M. Similes agrestibus apris.

Aqua præterfluit.

Zenodotus & Suidas admonent dici solis  
 tū, de eo, qui nihil negocij recusaret: & quid  
 libet, quod mandatum esset effecturum sese  
 polliceretur: quippe vsque adeò prōptus ad  
 quidvis suscipiendum, vt nec nauim præter  
 fluentem ingredi grauaretur.

Martis pullus.

Martis pullum vocat hominē ad bella ma  
 gnopere propēsū. Aristophanes in auibus  
 de Martis pullo mētionem faciens, sentit de  
 gallo, qui quòd omnium auium sit pugnacis  
 simus, bellacissimūsq; (vnde & crista, & calca  
 ribus armatus est) Marti sacer est. Aliam cau  
 sam Erasmus affert, quam omittere suadet  
 institutum.

## Alter Hercules.

De viro præstrennuo, ac laborum toleran-  
tissimo (qualis fuisse fertur Hercules) dicitur.  
Plutarchus scribit id cognominis vulgo The-  
seo attributum, quòd multa fortiter patraret  
exemplo Herculis. Lætius in vitis Philoso-  
phorum ostendit & Cleāthem philosophū,  
alterum Herculem vulgo dictū fuisse, quòd  
omnium laborum patientissimus esset, adeò  
vt noctu hauriēda ē puteo aqua, victum dis-  
urnum pararet: Vnde & φερειαντλης, id est ex-  
hauriens puteos dictus pro Cleanthe: & ni-  
hilo tamen segnus egregiam operam inter-  
dū nauaret philosophiæ. Aliam, sed prolixā  
adagij causam ex Clearcho refert Erasimus.

## Improbitas muscæ.

In improbū & subīde nihil timēdo redeū-  
tem, etiam si turpiter repellatur, dici solet. In  
quē cōuenit illud ex Iliados ε. Ατϋ; illi muscæ  
vim itrò præcordia misit. Quæ quis de pelle  
viri sit sepe repulsa, Assultat morsura tamen.

## F O R T I T V D O.

Adamantinus.	rea.
Ferreas, Ahaeneus.	Inflige plagam ab as- ratto.
Cornea fibra.	In lipsydrio pugnas.
Aut manenti vincen- dū, aut moriendū.	Solæ Lacenæ viros pariunt.
Moenia ferrea, nō ter-	

## Declaratio.

## Adamantinus.

Adamantinus pro eo, qui est *inexorabilis*, prouerbialiter accipitur: & pro eo, qui vsque adeo fortis est, vt infatigabilis sit. Huic pro uerbio incredibilis adamantis durities locum fecit. De quo lapide Plinius libro trigesimo septimo scribit ad hunc modum. Incudibus adamantes deprehenduntur, ita respuentes ictum, vt ferrum vtrinque dissultet, incudēsq; etiam ipsę dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura, & nunquam incalescens. Hinc & nomen indomita vis, græca interpretatione accepit. Hæc ille. Vnde quicquid inuictum, atque inexpugnabile est, id adamantinum vocamus. Socrates in Georgia Platonis, rationes adamantinas vocat, id est inexpugnabiles. Denique scriptoribus ali quot propter infatigatam studij tolerantiā, adamantini cognomen inditum est, vt Dido Grammatico, & Origeni Theologo.

## Ferreus, A hæneus

Simili cum superiore figura, illa dicuntur *ferrea*, atque *ahænea*, quæ solida, firmaque significamus. Virgilius. Non mihi si centum linguarum sint, oraque centum, Ferrea vox &c. Horatius in prima epistola. Hic murus ahæneus esto: de decreto animi non mutando intelligit. Homeri Iliados x verba ad hunc modum versa



leguntur. Ferrea nimirum tibi mens in pectore clausa est.

Cornea fibra.

Neq; dissimili schemate dixit Persius, Neq; enim mihi cornea fibra. Nā cornua & durissima sunt, & sensu carent: quemadmodū & vngues. Quāq; potest & à corno arbore cornutum dici: cuius lignum durissimum esse constat. Vnde qui carent humanis affectibus, robur, adamātem, silicem, ferrum, cornu in pectore gestare dicuntur.

Aut manenti vincendum, aut moriendum.

Dici solitum, vbi certa stat sentētia, aut negociū aliquod absoluere, aut immori. Trāslatum ab instituto Lacedæmoniorum, qui hoc animo prælium inibant, vt aut victores redirent domum, aut victi occumberent.

Mœnia ferrea, non terrea.

Prouerbio iactatum fuisse videtur, & habet velut ænigmati figuram. Signat autem non oportere tutamētum ciuitatis in mœnibus collocare: sed in viris armatis: quorū consensus, murorum inexpugnabilium vice ciuitatem optime tuetur.

Inflige plagam ab aratro.

Isto rectè vtemur prouerbio, quum iubebimus strenue pugnare. Natum aiunt ab huiusmodi fabula. Glaucus quidam Carystius

m. j.

quum terram aratro proscindenti forte fortuna vomis excidisset ab aratro, sublatum aptauit manui vice mallei. Quod ubi conspexisset pater, iuuenem produxit in Olympia, ad pugilum certamen. Verum ubi iam artis imperitus, plagis afflictus penè deficeret, pater acclamauit, inflige plagā aratri: admonēs vt vomerē impingeret, quē inter arandū sustulerat. Hac voce redijt animus iuueni, vicitq;

In Lipsydrio pugnas.

Prouerbiū dictū in strēnuos & bellicosos viros. Lipsydriū autem locus erat, haud procul à Parnethe, quem moenibus cinxerūt tyranni, qui profugerant ex vrbe, prius considerant Almæonidæ; sed in hos obsessos victōsq; à Pisistrati copijs, obliqua cantio canicæpta est huiusmodi. Heu heu Lipsydriō, sociorū proditor, quales viros perdidisti, ad pugnādum idoneos & claros, quum ostenderent à quibus essent orti maioribus.

Solæ Lacenæ viros pariunt.

In viros fortissimos dictū, quales nascebantur ex Lacenis mulierib⁹. Apud Lacedæmonios enim fortissimi viri nascebātur: & apud eosdem, matres seuerè natos educabant.

CEDENDVM MULTITVDINI.

Ne Hercules quidem aduersus duos.

Cedendum multitudini. Plurium calculus vincit.  
dini. Unus vir, nullus vir.

Enucleatio.

Ne Hercules quidem aduersus  
duos.

Hoc est, Nemo usque admodum viribus excellit, ut unus pluribus par esse possit. Non igitur est indecorum cedere multitudini. Erit autem suauior metaphora, si significabimus neminem quantumvis eruditum, aduersus duos in disputando sufficere. Aut eundem hominem pluribus negocijs sustinendis, non esse simul parrem, aut non posse resisti precibus duorum, rem eandem petentium. Varias huius adagionis occasiones ex authoribus refert Erasmus, quarum una satis nunc erit. Quidam aiunt Molionidas adortos aliquando Herculem ex insidijs: atque illum hominum multitudine territum, non ausum contra consistere: sed fuga salutis consuluisse: Idque in vulgi sermonem abiisse. Qui quod vero propius est, cognoscere cupit, id ex Erasmo in huius prouerbij enarratione discat.

Cedendum multitudini.

Qui suadebit non esse pugnandum cum multis, sed ubique multitudini morigerandum, adducet ex Odyssæ libro secundo carmen illud,  
Accerset mox ille sibi crudelia fata,  
Si multis pugnare velit. Item illud,  
m. ij.

ERASMI AD AGIORVM

Cum pluribus ardua res est  
 Depugnare viris inter conuiuia solos.

Plurium calculus vincit.

Isti paromii locus est, quoties in consilio ces-  
 ditur multitudini. Plinius in epistolis queri-  
 tur numerari sententias, non expendi. Et Li-  
 uius, Pars (inquit) maior meliorem vincit.

Vnus vir nullus vir.

Sensus est, nihil egregium prestari posse ab  
 vno homine, qui sit omni destitutus auxilio.  
 Hinc Euripides in Heraclidis dicebat soli  
 tarie manus inualidam esse pugnam. Item il-  
 lud eiusdem esse fertur, Vir vnus, haud videt  
 omnia. Poterit ad varios vsus deflecti prouer-  
 bium, vel ad insuauem vitam, si non adsit co-  
 uictor amicus: vel ad iudiciũ haudquaquam vni  
 committendum: vel ad studium literarum,  
 quod citra socium, & eiusdem (vt aiunt) æmu-  
 lum musæ, planè friget: vel ad quodvis denique  
 peragendum negocium, quod citra alterius  
 adminiculum commode confici non queat.

ARROGANTIA ET IA-  
 CTANTIA.

Tollere cristas.

Attollere superciliũ :

Ponere superciliũ.

Tollere cornua.

Gallus in suo sterquis

linio plurimum po-

test.

Videberis, me vidēs,



planè martē videre.	tur.
Sophocles, Laudice- ni.	Homo Bombylius. De pulmone reuelle- re.
Phaniae Ianua.	Ipse dixit.
Sybariteꝝ per plateas.	Auro loquente, nihil pollet quæuis ora- tio.
Ingredi lunonium.	Ne mihi Suffen <sup>9</sup> esse.
Sūmis vnguibus in- gredi.	Ne sutor vltra crepi- dam.
Ex vno multa facere.	Pennas nido maiores extendere.
Caclū digito attigere.	Bullatae nuge.
In caelo esse.	Vino vendibili suspē- sa hedera nihil op <sup>9</sup> .
Tuo te pede metire.	Magis sibi placet, q̄ Peleus in Machæ- ra.
Iouis sandalium.	
Imperitus subligacu- lo indutus, omnib <sup>9</sup> id ostentat.	
Fastuosus maximus.	
Tanq̄ argiuū clypeū abstulerit ita gloria	

## Explicatio.

## Tollere cristas.

Qui animo efferuntur, metaphoricè, & ob  
id prouerbialiter, tollere cristas dicuntur. Iuue-  
nalis. Quid aperti<sup>9</sup>? & tamē illi Surgebāt cris-  
tæ, id est, sibi placebat, superbiebātq; Trāsla-  
tum ab auibus cristatis, in quibus cristæ ere-  
ctiores, alacritatis atq; animorū indicia sunt.

Attollere supercilium: ponere  
supercilium.

Arrogantes supercilium attollere, siue ad-  
ducere dicuntur. Plinius. Supercilia (inquit)  
homini & pariter & alterne mobilia: & in his  
pars animi. His anuimus: his negamus. Hęc  
maxime indicant fastus. Superbia aliubi cõ-  
ceptaculũ, sed hic sedem habet. in corde na-  
scitur: hic subit, hic pēdet. Nihil altius simul,  
abruptiũsq; inuenit in corpore, vbi solitaria  
esset. Hęc ille. Qui autem à fastu & superbia  
recedunt, ponere supercilium dicuntur. De-  
nique supercilium ipsum pro fastu, atq; arro-  
gantia simpliciter ponitur: vt philosophorũ  
supercilium quis ferat? Et fastosos homines,  
superciliosos nominamus.

Tollere cornua.

Tollere cornua, pro eo, quod est, animo  
efferi, nunc quoq; vulgo tritissimum est. Ho-  
ratius de Baccho. Et addis cornua pauperi.  
Ouidius de ebrietate, Tunc veniũt risus: tũc  
pauper cornua sumit. A pecoribus translaturũ,  
quę cornibus oppositis minantur. Horatius  
in Odis, Nanque in malos acerrimus parata  
tollo cornua

Gallus in suo sterquilinio plu-  
rimum potest.

Prouerbiũ signat vnũquęq; in alieno tẽ-  
midiozem regno, in suo ferociorẽ esse, & an-  
mosiorẽ. Eundẽ sensum habet & illud, quod  
hodie quoq; vulgo dicũt, canem videlicet in

suo sterquilinio plurimū audere. Sumptū autem prius adagium ex Senecæ ludicro. Intellexit (inquit Seneca) neminē parem sibi Rome fuisse, illicq; non habere se idem gratiæ, Gallum in suo sterquilinio plurimum posse. Allusit ad Claudium imperatorem Lugdunum natum.

Videberis, me videns, planè  
Martem videre.

In iactabundos, & eos, qui se strenue pollicebantur opitulaturos, ac Martem quendā acturos, dicebatur. Est alicubi (ni fallat Erasmus, vt ipse ait) apud Aristophanem.

Sophocles, Laudiceni.

Qui ad ostentationem dicebant, aut recitabant, vulgato conuitio Sophocles & Laudiceni dicebantur. Natum (vt apparet) ætate Plinij minoris: cuius verba alii<sup>9</sup> repetit Erasmus: sed propter prolixitatem hæc omittere visum est, & id ex instituto.

Phaniæ Ianua.

Eustathius in Odyssææ Ω, ostēdit dictū de iactabundis, qui simulāt sese congestas opes habere, quæ nusq; sunt. Ductū à Phania quosdam, qui falsam de se præbuit opinionē, quasi multam diuitiarum vim domi constructā, ac reconditam haberet.

Sybaritæ per plateas.

Dictum est cōtra fastosius ingrediētes per  
m. iij.

viam, seseq; velut offentantes. Sumptum à fastu, luxúq; Sybaritarū. Aphricanus in oratione, quæ Cestis inscribitur, Sed enī (inquit) Sybaritæ fastu præturgidi. Venusti<sup>9</sup> erit pro uerbium, si paulo longius detorqueatur, ueluti si de homine insolentius se gerente, aut arrogantius de se loquente.

Ingredi Iunonium.

Extat hoc apud Athenæum: dictumq; aparet in fastuosum, ac lentum quorūdam incessum: quem notat & Horatius in sermonibus, Ut si (inquit) Iunonis sacra ferret.

Summis unguibus ingredi.

Metaphora est prouerbialis in eos, qui auidius auscultant. Nā ij solent semet in summos pedes erigere. Conuenit & in fastuosos, ad hunc modum non raro incedere solitos.

Ex vno multa facere.

Ex vno multa facere prouerbio dicebantur, qui rem quampiam minutim secabant. Quadrabit in eos, qui uelut iactantiæ & ostentationis gratia, eandem rem alijs atque alijs modis variant, ut nō iam vna, sed plures uideantur.

Cælum digito attingere.

Prouerbiali hyperbole, digito cælum attingere. qui longe supra mortalium cōditionem, ac dijs proximi esse videntur. M. Tullius ad Atticum libro secundo. Nostri autem



principes digito se cælum putant attingere, si nulli barbari in piscinis sint, qui ad manū accedant.

In cælo esse.

Adagium cognatum est superiori, Cælum digito attingere: significatq; supramodū fortunatū esse, ac gloriosum. M. Tullius ad Atticum libro secundo. Bibulus in cælo est, nec quare scio, sed ita laudatur. Huc allusit Horatius, Dijs (inquit) miscēt superis, id est beatum me, ac celebrem reddunt.

Tuo te pede metire.

Monet adagiū, ne quis se dilatet vltra conditionem suam, néve seipsum ex assentatorū laudibus, aut vulgi opinione, aut fortunæ favore, verum proprijs ac veris dotibus, animiq; virtutibus æstimet. Translatum ab ijs, qui corporis humani modum, pedū numero æstimāt. Porrò iusta cuiusq; hominis mensura, septem ipsius pedibus constat, si quid pictoribus, & statuarijs credimus. Eodem pertinet illud Martialis. Qui sua metitur pōdera, ferre potest.

Iouis sandalium.

Iouis sandalium, siue crepida, per ironiam dicebatur in eum, qui magni quippiā videri vellet, id' que propter principis alicuius familiaritatem. Veluti si quis insolēs sit, ac ferox, quòd regius sit coquus, aut imperatoris sa-

telles, aut pōtificiūs tonsor, apposite dicetur  
Iouis sandaliū.

Imperitus subligaculo indutus,  
omnibus id ostentat.

In eum cōgruit adagiū huiusmodi, qui  
propter insolētiam, etiam ineptissimis rebus  
efferi solet.

Fastuosus Maximus.

In eum torquebatur, qui sibi plus satis ar-  
rogasset in sapientia. Sumptum à moribus  
Maximi cuiuspiam arrogantis, & sibi immo-  
dice placentis.

Tanq̄ Argium clypeum abflu-  
lerit, ita gloriatur.

In fastuosos & magnificentius sese gerent-  
es iactabatur. Aiunt nanq; apud Argios sa-  
crum quēdam esse clypeum, clavis affixum,  
vt facile detrahi non possit. Alij dicunt apud  
eos ordinem, ac delectum iuuenum viribus  
antecellentium Clypeum appellari. Author  
Zenodotus.

Homo Bombylius.

Bōbylius homo dicitur verbosus, multiq; <sup>q̄</sup>  
strepitus, cæterū inutilis. Græcis bombylius,  
apis genus, à sonitu (sicuti videtur) appella-  
tum, ingēs, sed ad mellificium inutile, fauos  
sibi nectit è luto.

De pulmone reuellere.

Ad prouerbiorū etiā formā pertinet Per-

fianum illud, de pulmone reuellere, pro eo, quod est, stultam & arrogantem opinionem animo eximere. Persius sic scribit. Dum veteres auas tibi de pulmone reuello. Tumor autem, animi q; fastū in pulmone collos cāt. Vnde & Persius alibi. Grande (inquit) aliquid, quod pulmo anime prelargus anhelet.

Ipsē dixit.

Hoc vsurpatur quoties tantam esse cuiuspiam auctoritatē significamus, vt ea vel citra rationem, ad quidvis credendū sufficiat. Natū à Pythagorā, qui quo plus veneratio- nis & auctoritatis sibi, suis q; conciliaret, in dissertationibus dicere solitus est αὐτὸς ἔφα, id est, ipse dixit: perindē quasi non sua referret, sed ab oraculo quo piā accepta. Ea vox deinde in vulgarem abiit sermonē. Huiusmodi fermē Suidas. Quāq; M. Tullius libro de natura deorum primo secus rem narrat. Non enim (inquit) tam authores in disputando, q̄ rationis momenta quærenda sunt. Quinetiā obest plerūq; ijs, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desistunt enim suum iudiciū adhibere: id habent ratum quod ab eo, quem probant, iudicatū vident. Nec vero probare soleo, id quod de Pythagoricis accepimus: quos ferūt, si quid affirmarent in disputādo, quū ex his quæretur, quare ita esset, respondere solitos, ipse

dixit. Ipse autē erat Pythagoras. Tantū opinio præiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret authoritas. Hæc ille.

Auro loquente, nihil pollet quæuis oratio.

Carminis græci ab Erasmo traducti sensus sic habet. Auro loquente, ratio quæuis irrita est. Suadere siquidem nouit, & loquēs nihil. Prouerbiū indicat munera vbiq; longe plurimum valere, illōsq; qui eo abūdēt, magnā præ cæteris loquendi authoritatē sibi arrogare solitos. Vulgaris iocus ait tinnulas rationes præcipuā habere vim ad persuadēdum, pecuniam indicans.

Ne mihi Suffenus essem.

Ne mihi Suffen<sup>9</sup> essem, id est, ne mihi ipsi blanditer, ac stultè me ipsum admirarer. Suffenus erat poëta longe ineptissimus, in aliorū vitia dicax, ad sua verò cæcus. Itaq; prouerbiū receprū, vt qui sibi inaniter placerent, Suffeni dicerentur. Suffeni simillimum Meniū facit Horatius, suis ignoscentē vitijs, aliena mordacissime insectātem. Ego met mi ignosco Menius, inquit.

Ne futor vltra crepidam.

Ne futor vltra crepidam, subaudiendū iudicet: Id est, ne quis de his iudicare conetur, quæ sint ab ipsius arte, professionēq; aliena. Natū ab Apelle nobilissimo pictore. De quo



Plinius libro trigésimo quinto, capite decimo scribit ad hunc modum. Idem perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia, quæ notabant, auscultabat: vulgum diligentiorē iudicem, quàm se præferens. Feruntque à Sutore reprehensum, quòd in crepidis vna intus pauciores fecisset ansas. Eodem postera die superbe emendationē pristinæ admonitionis cauillante circa crus, indignatum prospexisse, denunciantem, ne supra crepidam sutor iudicaret. Quod & ipsum in prouerbiū venit. Hactenus Plinius: cuius nepos scripsit in epistolis, de artificio non rectè iudicare quenquàm, nisi & ipsum artificem. Huc etiā pertinet, quod primo moralium libro dixit Aristoteles, earum videlicet rerum vnumquèque iudicem esse idoneum, quarum sit eruditus. Et quòd idē scripsit libro secundo naturalium, cæcum disputare de coloribus. Quæ verba iam inter nostri temporis scholasticos in prouerbiū abiierunt, quoties quispiam de rebus ignotis disputat. Ad eandem sententiam referendum, quod ait Fabius pictor apud Quintilianū, Felices futuras artes, si soli artifices de ijs iudicaret.

Pennas nido maiores extendere.

Prouerbiū signat rem, fortunamque, quam mediocrem, aut tenuem à maioribus accepertis, auctiorem reddere. Quod quidem si vitæ

tute fiat, summa laus est, tantum abest, vt vicio dari debeat. Horatius. Me libertino natū patre & in tenui re. Maiores pennas nido extendisse loqueris, Vt quantum generi demas, virtutibus addas. Translatum ab auium pulis, qui sic grādescūt, subnascentibus plumis, vt materno nido capi non possint.

Bullatæ nugæ.

Res ventosæ atq; inanes, solent bullatæ nugæ dici. Sūpta metaphora à bullis. Est autem bulla tumor ille inanis, qui visitur in aquis, momēto temporis enascens simul & euanesceus. Persius. Bullatis vt mihi nugis Pagina turgescat. Bullatas nugas, vocat inanem per se strepentium vocū congeriem, in quibus nihil subsit solidioris sententiæ: quas Horatius nugas canoras in arte poëtica appellauit.

Vino vendibili suspensa hedera  
nihil opus.

Adagium signat veram virtutem non egeere alienis præconijs. Aut res præclaras, per se placere, neq; desyderare exoticam commendationem. Sumptum apparet à cauponum more, qui vinarijs tabernis signū hederaceū solent prætere. Plautus in Pœnulo. Inuendibili mercī oportet vtrò emptorem adducere: proba merx facile emptorē reperit. Horatius. Vbi largius equo Laudat, venales qui vult extrudere merces.

Magis sibi placet, q̄ Peleus in  
Machæra.

In eū competit, qui præter modū re quapiā  
insolens est, ac tumet. Aiūt autem gladium à  
Vulcano fabrefactum, à dijs dono datū fuisse  
Peleo virtutis illius, ac prudētiae symbolum.  
Quo quidē ille vtens, & in prælijs & in venas-  
tibus, conseq̄ebatur quicquid optabat.

## P H I L A V T I A.

Nō videmus māticæ	plus potentiae.
quod in tergo est.	Colophonia ferocitas
Papæ Mixus.	Multi te oderint, si
Amicos Tragædos	teipsum amas.
æmulatur.	Sine rivali diligere.
Tragice loqui.	Teipsum inspice.
Ne magna loquaris.	Ne intra vestibulum
Argenti fontes.	quidem.
Fœnū habet ī cornu.	Festucā ex alieno oca
<u>Suus cuiq; crepitus</u>	lo eijcere.
<u>bene olet.</u>	Ipsis placet.
Suū cuiq; pulchrum.	Pedere thus.
Tractāt fabrilia fabri.	In armis accissat.
Aut minus animi, aut	Philauti.
	Enodatio.

Non videmus manticæ, quod in  
tergo est.

Catullus in Scazōte. Sed non videmus mā\*

ticæ quod in tergo est. Id est, nō videmus nos  
 fra ipsorum vitia, quum aliena curiosis oculo-  
 ris perspiciamus. Prouerbiū natum est ex  
 Apologo quopiā Æsopico. Finxit enim Æso-  
 pus singulos mortales, binas habere manti-  
 cas, hoc est peras: alteram ante pectus, alte-  
 ram à scapulis, tergoq; propēdentem. Sed in  
 priorē (inquit) aliena vitia immittimus, in po-  
 steriorem nostra. Persius. Vt nemo in sese tē-  
 tat descendere nemo: Sed præcedenti specta-  
 tur mantica tergo.

Papæ Myxus.

In gloriosos & iactabundos dici consuevit.  
 Nam papæ, apud Græcos stuporis & admira-  
 tionis significationem habet. Myxus autem  
 sacerdos quispiā fuit Dianæ, gloriosus & ma-  
 gniloquus.

Amicos Tragædos æmulatur.

Adagiū citatur è Didymo à Suida, qui do-  
 cet de ijs dici solitum, qui sese accommoda-  
 rent, & morū seueritatem sumerent, ad æmu-  
 lationem aliorum. Sumptum ab histrionibus  
 Tragædiarum, qui quum sint leuissimi nebu-  
 lones, tamen vbi Deum, aut regem agunt in  
 fabula, tum cultu, voce, gestuq; maiestatem  
 quandam imitantur.

Tragice loqui.

Tragice loqui, est verbis vti magnificentio-  
 ribus. Est enim Tragîcorum character subli-



mis, amátq; Tragœdia ampullas & sesquipedalia verba.

Ne magna loquaris.

Proverbium admonet temperandum esse à magniloquētia, iactātiaq;: qua nihil omniū intolerabilius. Dictū est autem propter Nemesim deam: quę gradiloquentiā huiusmodi nō finit impunitam. Vnde M. Tullius epistolarum ad Atticū libro quarto, epistola octaua dicebat, Nequādo iactes, ni prius perfeceris. Eleganter Horatius grandiloquentiam, ampullas & sesquipedalia verba vocat ī arte poetica; cuius carmen sic habet, Projicit ampullas, & sesquipedalia verba.

Argenti fontes.

Hoc adagio notabātur ij, qui stolide quidē, atq; indocte, sed arroganter tamen & confidēter loquerētur, opibus videlicet suis freti. Diuitum enim vulgus dulci (vt ait Horatius) fortuna ebrium, hoc quoq; putat suis diuitijs deberi, vt quicquid dixerint, id protinus velut eruditum omnes suspiciant & approbent. Quod notans Flaccus, Meæ (inquit) contēdere noli, Stultitiā patiuntur opes. Huc pertinet & Mimus elegās ille, Fortuna quem nimium fouet, stultum facit. Hinc Antiphanes dicebat, Opes enim nos sicuti medicus malus, Vbi cōperint, reddunt videntes ilico cæcos. Competet adhuc adagiū in eos, quorū

ii. j.

oratio propter opum fiduciam, plus satis libera, atq; audax videbitur. Nam quemadmodum paupertas timiditatem affert, itidem opulentia loquendi confidentiam adducere solet,  
Fœnum habet in cornu.

In homines maledicos, ac feroces dicitur. Horatius in sermonibus. Fœnū habet in cornu, longe fuge. Inde translatum (vt Acroni placet) quòd antiquitus bub<sup>9</sup> cornu petis fœnū pro signo in cornu appenderetur: quo sibi cauerēt, qui forte occurrissent. Id'q; idē fieri solitum Plutarchus in problematis autumat, quòd copioso pabulo nō modo boues, sed & equi, & asini insolētiores, ac ferociores reddantur. Vnde extat & Sophoclis dictū in turmidum quempiā, ac præferocem. Tu (inquit) ferues, quasi pullus pabuli copia. Huic adstipulatur illud Solonis dictum apud Laërtiū. Satiētam videlicet nasci ex opulentia, ex satiētam ferocitatem.

Suus cuiq; crepitus bene olet.

Suus cuiq; crepitus bene olet, hoc est, nemo est, cui sua mala nō videātur vel optima: siue non esse, qui nō suis delectetur malis, offensus sæpe alienis. Nemo enim ferè est, qui sui crepitus odore nō oblectetur, alterius graueolentia semper offensus.

Suum cuiq; pulchrum.

Præbialis est sentētia in eos, quibus sua,

qualiacunq; sunt, tamen studio quodam magis, q̄ iudicio placent. Est autem à communi mortaliū ingenio sumpta: quibus vsque adeò insita est illa philautia, id est, amor sui, vt neminem tam modestum, tam attentum, tam oculatum inuenias, quin in proprijs æstimandis, quadam animi propensione corruptus cæcutiat, atque hallucinetur. Nullus enim in tam barbara regione natus, cui sua patria non videatur optima. Nulla gens tam effera, tam horrida lingua, quæ nõ alias linguas præ sua contemnat. Nulla est mulier tam deformi specie, quæ non sibi appareat formosissima. Amor sui nēpe cæcus est, vt verè scripsit Horatius: quo vitio præcipue laborant artifices, poëte, atq; amâtes. Ex quo Aristoteles quarto moraliū libro rectissime scripsit suo quæq; artificem opere impense delectari, non aliter q̄ rebus quibusdã ex sese prognatis. Neq; secus adamant sua carmina poëte, q̄ parentes liberos. Est enim artificis opus, quasi quidam ingenij foetus: de quo Socrates ait rectius indicare obstetricem, q̄ matrem ipsam. Sponsis item amantibus, suam cuiq; spõsam certatim extollere mos est. Cuius rei sat magnū exemplum extat de Tarquinijs adulescētibus. Vnde & hodie vulgo scitè dicunt, Nullum reperiri deformem amasium. Multas huc pertinētes sentētias citat Erasmus in huius adagio-

n. ij.

nis enariatione.

Tractant fabrilia fabri.

Istius prouerbij sensus per se clarus est: signat autē suo quenq; studio gaudere: & vnū quenq; suo vicitare quæstu.

Aut minus animi, aut plus potētiae.

In eos conuenit, qui quum feroces sint, illorum tamen arrogātiae non suppetunt vires. Aut in eos, qui nō timeant irritare, quem vincere, non possint.

Colophonia ferocitas.

In insolentes torquetur, qui ferociter despiciunt, & affligunt humilioris fortunæ homines. Aut in eos, quibus sua ferocitas exitium attulit. Sumptū ab arrogātia, superbiāq; eius gentis. Vnde illa Theognidis verba, Perdidi & Colophona ferox mens, & Magnetes.

Multī te oderint, si teipsum amas.

Deterret prouerbium à fastu, & philantia, Hoc nēpe euenit, vt multis ille displiceat, qui sibi nimīū placet. Contrā, modestia præcipua esse solet fauoris & beneuolentiæ cōciliatrix. Ad prouerbium pertinet senarius, latin⁹ factus sic, Nemo erit amicus, ipse si te ames nimis.

Sine riuali diligere.

Sine riuali diligere dicuntur, qui stulte mirantur, quod nemo alius concupiscat. Veluti simia catulos suos & miratur & amplectitur: & indocti poëtae nugas suas soli diligunt. Sūpta



allegoria ab amantibus, quibus est amica deformis, & quam alius nemo velit. Eundem sensum habet, Sine æmulo diligere.

Tu ipsum inspice.

Adagium refertur à Plutarcho. Probe torquetur in eum, qui in alio vitium reprehendit, quo ipsemet laborat. Stultum est in alterum dicere, quod in te possit retorqueri. Carere ne pe debet vitio, qui in alterum dicere sit paratus.

Ne intra vestibulum quidem.

In tumidos, feroces, & insolentes dici solitum, qui procul omnes à sese submouent. Lex erat Athenis ut homicidio contaminati, extra septa sacrorum confisterent. Siquidem prima magna atria, solent patere quibuslibet. Ad quem quidem morem adagium videtur alludere.

Festucam ex alieno oculo eicere.

Ille dicitur festucam ex alieno oculo eicere, & in suo trabem non videre, qui minimis aliorum vitijs offenditur, suis autem & eisdem maximis blanditur. Sumptum ex Matthæi euangelio. Hoc autem hominum genus Horatius eleganter notat, Quum tua (inquit) peruideas oculis mala lippus inunctis, Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum, Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? Idem alibi. Qui ne tuberculis proprijs offēdat amicū Postulat: ignoscit verrucis illius æquum est. Quod ipsum, prouerbij speciem euidentem ante se gerit, per

n. iij.

tubera, maiora vitia intellexit: per verrucas, minora; quæ alibi neuos appellauit.

Ipsis placet.

Hoc vtimur prouerbio, vbi rem parum nobis probari: aut causam nihil ad nos pertinere significamus. Terentius in Andria. *Mihi nõ sit verisimile. Atqui ipsis commetum placet.* Non admodum abludit ab illo, Suũ cuiq; pulchrum. Et, Suis quisq; cõsilijs, suæq; sententijs blanditur.

Pedere thus.

Prouerbij speciem habet, Pedere thus. Ac commodabitur in hos, quorum & vitia placent, aut ipsis, aut alijs impendio amantibus. *Facit enim hoc philautia, siue sui amor, vt vnicuiq; sua placeant, arrideantq; etiam si sint putidissima.* Facit itẽ hoc amor immoderatus, vt Polypus etiam Agnæ delectet Balbinũ, veluti Horatius scripsit. Quadrabit rursus adagium in assentatores, turpissima laudantes pro honestissimis.

In armis accissat.

In eum dicitur, qui sibi placet: sęq; quasi cõtẽplatur in armis suis. In quemvis cõueniet, qui sibi stulte placeat. Sumptum ex moribus Acconis mulieris, quæ ad speculũ inepte sibi blandiebatur.

Philauti.

Qui sibi vehementer placent, quiq; suis

ipsorum commodis impense studēt, aliorum rebus vel neglectis, vel etiam afflictis, à Græcis philauti vocātur, vitium ipsum philautia dicitur: latine cæcus amor sui ab Horatio apposite vocatur. Id vitij Plato malorum omnium fontem autumat. Aristoteles nono moralium libro, satis indicat hanc φιλαυτοῦ probram appellationē, ceu proverbialem vulgo iactatam fuisse, quum ait, homines sui supramodum amantes à multitudine male audire, quippe qui sædō, infamīq; cognomine vocentur φιλαυτοί.

C O N T R A R I U M P H I  
L A U T I A E.

Non est beatus, esse qui se nesciat.

ἀγκλος πλοῦτος.

Explicatio:

Non est beatus, esse qui se nesciat.

Seneca in epistolis versiculum hūc è poëta quopiā Comico allegat, Non est beatus, esse q se nesciat. Sēsus est, haud esse satis, vt adsit felicitas, ni felicitatem tuam intellexeris. Huc alludit Virgilius. O fortunatos (inquit) nimiū sua si bona norint Agricolas. Eodē pertinet, quod Martialis inter felicitatis calculos hūc quoq; commemorat. Quod sis, esse velis. Quid enim felicius libertate? Atqui videas

n. iij.

non paucos, qui sortem deplorent suā, quòd in principum anlis locū non inueniant: se misereros putant, quòd seruire non liceat. Verum vt beatus non est, qui se nō putat beatum, ita bis miser est, qui quū animi malis sit infelix, tamen sibi videtur felix. Etenim vt qui sanus est, & sibi ægrotus videtur, nō fruitur suo bono: ita qui morbo tenetur, nō intelligens suū malū, longissime abest à sanitate: quippe qui vsque adeo sanus non sit, vt sit etiam insana- bilis.

ἄξηλος πλοῦτος.

Sic vocabatur, qui suas dotes ignoraret. Veluti si qua formosa quum sit, putida tamē videretur sibi, ob idq; sibi displiceret. Aut si quis facūdus, infacūdus sibi videretur. Porro felicitatis non minima pars est, vt quisq; sua norit bona, vt superiori prouerbio notatū est. ἄξηλος πλοῦτος diuitiæ sine amore, sine ad- miratione, quas videlicet non miretur, qui possideat.

BONAE FORTVNAE, COPIAE,  
FELICITATIS, AVT  
OMINIS.

Asinus in paleas.                      tidis cantilena.  
In votī compotem.              Procridis telum.  
Nūc illa aduenit Da-              Albæ gallinæ filius.



Virgula diuina.	Dathus bonorum.
Gygis anulus.	Bona terræ.
Secundo æstu.	Ingens rerū multitu-
Bonīs auibus, Malis auibus.	do.
Omnia ex sentētia ce-	Bonorum glomi.
dunt.	Copiæ cornu.
Secundis ventis.	Caprā cælestem oriēs-
Datyli dies.	tem conspexerunt.
Dijs, hominibūsq̄ue	Oculus dexter mihi
plaudentibus.	salit.
Semper feliciter ca-	Bona spes ostensa.
dunt Iouis taxilli.	Deus vñdecūque iu-
Sapiens sua bona se-	uat, si modo propi-
cum fert.	tius.
Trāquillo quilibet gu-	Lux affulsit.
bernator est.	Noctua volat.
Iecit Achilles duas tes-	Laureum baculū ge-
teras & quatuor.	sto.
Inueni, nō quod pue-	Boues messis tempus
ri in faba.	expectantes.
Effugi malum, inueni	Bos apud aceruum.
bonum.	Bos ad præsepe.
Locupletū reditus.	Authoritas diuinit̄.
Bonorum mare.	Felicitas à deo.
Thassus bonorum.	Primum rectè valere:
Bonorum aceruus.	proxima forma: ter-
Horna messis.	tio loco diuitiæ.
Bonorū myrmecia.	Deum esse.
	Quæuis terra patria.

Enarratio.

## Asinus in paleas.

Asinus in paleas, subaudiendū, incidit. Dicitur solitum, vbi cuiquam fortuna lautior præter spem obtigerit: aut nactus forte fuerit aliquis, quo vel præcipue gaudeat. Veluti si quæ ostreorum auidum videas affatim yescētem illis, nō importune dixeris, Asinus in paleas. Iucundior erit parœmia, si longius transferatur: puta si quis cupiēter legat poëtam, quo peculiariter delectetur. Conueniet & in hunc vsū, vbi quis inscitia rem cōtaminat, veluti, si barbarus & illiteratus, bonū authorē malis commentarijs inquinat. Gaudet enim asinus volutatione, & omnia cōfundit hac lasciuia. Quod indicat Apuleius quoq;: quū hori areolas omnes volutationibus corporis à se turbatas scribit. Adagium ab euentu natū esse, vel semidoctus videre potest.

## In voti compotem.

Vbi quis desyderiū suum assequutus est, quū videlicet obtinuit quod affectabat, captabatq;: veluti si quis sacerdotij spe munus principi mitteret, eōq; sacerdotio, fauore principis potiretur, quadrabit illud Iliados Δ. At tigit, ei que manu non irrita missa sagitta est.

Nunc illa aduenit Datidis  
cantilena.

Dicebatur vbi quid lætum, ac festiuū acci-  
disset. Datis quispiam erat Persarum Satra-  
pes excellens in rei bellicæ gloria. Is græce lo-  
qui conatus consuevit dicere, ἡδονομαι, καὶ ἐυ-  
φραίνομαι, καὶ χαίρομαι, id est Delector, gau-  
deo, lætor. Ea quum sæpius, ac male græce  
Pronunciaret, res in vulgi iocum abiit.

Procridis telum.

De ijs, qui veluti certis telis, quicquid ani-  
mo destinant, assequuntur. A fabula sumptū,  
quam Ovidius libro trāssformationum septi-  
mo narrat de Cephalo, qui certo iaculo emis-  
so, Procidem vxorem interemit, ratus esse  
feram.

Albæ gallinæ filius.

Feliciter natus, albæ gallinæ filius dicitur.  
Iuuenalis. Quia tu gallinæ filius albæ. Hinc  
ductū, vel q̄ læta, atq; auspicata Latinis alba  
vocantur: vel q̄, prouerbiū alludit ad fata-  
lem illam gallinam, de qua meminit Sueto-  
nius in Galba, Liviæ (iquit) olim statim post  
Augusti nuptias Veiētānum suum reuisenti,  
præternolans aquila, Gallinam albam ramu-  
lum lauri rostro tenentem demisit in gremiū.  
Quūq; nutriri alitem, ac pangi ramulū pla-  
cuisset, tanta pullorum soboles prouenit, vt  
hodie quoq; ea villa ad gallinas vocetur. Ta-  
le vero lauretū, vt triumphaturi Cæsares in-  
de laureas decerperent. Fuit que mos trium-

phantibus, alias confestim eodem loco pangere. Et obseruatū est, sub cuiusq; obitum, arborem ab ipso institutā elanguisse. Ergo nouissimo Neronis anno, & sylua omnis exaruit radicitus, & quicquid ibi gallinarum erat, interijt. Huic puerbio diuersum est illud, apud eundem Iuuenalē, Nati infelicibus ouis.

## Virgula diuina.

Virgula diuina dari dicim⁹, quoties quicquid optamus, id citra humanā operā, quasi diuinitus nobis significamus cōtingere. Propterea quod antiquitus, quēadmodū in annulis, ita & in virgis ferendis existimauit aliquā fatalem, ac ceu magicam inesse virtutē. Adagium natum videri potest potissimum ab illa virga HomERICA, quam ille Palladi tribuit, adeo celebri, vt de ea Antisthenes Cynicæ sectæ conditor, librum conscripserit, eam cum suo baculo conferens. Virgæ huius locis cōpluribus meminit Homerus in Odyssæa N, Sic (inquit) effata, Virū virga demulsi Athena. Quū Vlyssiem è sene squalido, repente in iuuenē vertit, nitidūq; facit, ac formosulum. Eundem rursū è iuene vertens in senem, Odyssæa ω. Cominus (inquit) assistens Ithacēsem Pallas Vlyssiem, Restituit senio diuinæ verberē virgæ. Rursū in eodem libro, quū eum iuuentuti reddit, ac robur adauget. Dixit, & aureola virga demulsi Athenę. Eundē



ad modum Mercurio quoque, vt incantatos  
 ri virgam monstificam tribuit, quã caduceũ  
 vocant. Odyſſea ω. Tum manibus virgam ca-  
 pit aureolam, atq; decoram. Hac, quibus est  
 viſum, demulcet lumina ſomno: Atque alijs  
 rurfum diſſoluit lumina ſomno. Hunc imita-  
 tus Maro, ſic eiufdem caduceũ deſcribit Æ-  
 neidos quarto. Tum virgam capit, hac ani-  
 mas ille euocat orco Pallenteis: alias ſub tris-  
 ſtia tartara mittit. Dat ſomnos, adimit q; &  
 lumina morte reſignat. Illa fretus agit v̄etos,  
 & turbida tranat Nubila. Habuit & Circe ad  
 ſua monſtra peragenda virgã in transformã-  
 dis Vlyſſis ſocijs. Quinetiã in literis Hebræ-  
 orum, Moyſes in edẽdis prodigijs virga vti-  
 tur, hanc in anguem vertit, hanc in priſtinã  
 formam reſtituit. Hac fluminis aquam vertit  
 in ſanguinem, extinctis piſcibus. Hac exciuit  
 cynipheſ: hac diduxit vndas rubri maris: hac  
 è ſilice percuffa, fontem elicit.

Gygis anulus.

Quadrat vel in homines inconstantibus  
 moribus: vel in fortunatos: qui veluti virgu-  
 la diuina quicquid optant, id ſuo arbitrio cõ-  
 ſequũtur. Huius adagijs mentionem facit Lu-  
 cianus in votis: vbi quiſpiã optat ſibi com-  
 plures anulos eiufmodi, quales habebat Gy-  
 ges, alium, quo ditefceret: alium, quo gratus  
 & amabilis redderetur: alium, per quem lice-

ret volare quocunq; lubitum esset. Nam pri-  
 scorum superstitiō plurimum tribuit anulo-  
 rum efficacīe, ita vt venditarentur incanta-  
 mentis varīe efficaces, alij contra morsus fe-  
 rarum, alij aduersus calumniam, alij ad alia,  
 vel depellenda incōmoda, vel commoda cō-  
 ciliāda. Natum est prouerbium ex fabula, ab  
 Erasmo in huius adagij enarratione posita:  
 quam vt prolixam, adscribere non libuit.

Secundo æstu.

Res quæ feliciter cedit, secundo æstu pro-  
 cedere dicitur, prouerbiali & frequenti apud  
 authores metaphora: quæ quidē sumpta est  
 à nautis, quibus facilior cursus, quū flumen,  
 aut etiā maris æstus secundus est. Lucianus  
 in Ioue Tragædo. Hæc iam Damidi secūdo  
 æstu succedūt, id est, ex sententia succedunt.

Bonis auibus, Malis auibus.

Quum res feliciter cedit, illam bonis au-  
 bus cedere dicimus. Malis auibus cedere di-  
 citur, quum cedit infeliciter, & præter animi  
 sententiā. Ab augurum obseruatione sum-  
 ptum. Ad hanc formam referēda sunt & illa,  
 Fausto omine, Bene ominata, Bonis auspi-  
 cijs, Inauspicato, Felicibus augurijs, atq; id  
 genus alia, quæ ab augurum arte sumpta, in  
 cōmunem sermonem abierunt.

Omnia ex sententia cedunt.

In magnopere fortunatos, quibus & rectè,

& secus instituta feliciter cedūt, congruet illud ex Iliados ꝑ. Spicula cuncta horū feriunt, seu torserit illa Ignauus, seu vir fortis, quia Iuppiter ipse Dirigit.

Secundis ventis.

Secundis ventis nauigare dicitur, cui res ex sententia succedunt. M. Tullius in epistolis. Quid si etiam Cæsarem, cuius nunc ventis valde secundi sunt, reddo meliorem? Plautus quum scribit, Pulchre hæc confertur ratis, signat rem commode procedere. Quin & dictio naufragium pro infortunio, vim habet prouerbij. Frequens est & illud apud Homerum, Ast illam, ventusque, gubernatorq; regebat, quo quidem poëta significat ad fortunæ fauorem, etiam industriam accedere.

Datyli dies.

Hoc prouerbio vtī solent, quoties res feliciter successerunt. Sumptum à Datylo quodam, qui apud Athenienses summos est honores consequutus.

Dijs hominibꝫq; plaudentibus.

Prouerbialis est hyperbole, pro eo, quod est, feliciter, atq; auspicato. Cicero ad Quintum fratrem. Vatiniū, à quo palam oppugnabatur, arbitrato nostro concidimus, dijs, hominibꝫq; plaudentibus.

Semper feliciter cadūt Iouis taxilli.

Senarius est prouerbio celebratus, diciq;

solitus in eos, quibus res omnes, perpetuo quodam fortunæ fauore, ex animi sententia cederēt. Apparet translātū à iactu talorum, vbi fortassis antiquitus obseruatū est, Iouis talos feliciores esse. Nam mos erat iactibus alearum ominis causa, deorum, aut hominū nomina præfari. Vnde & Veneris iactus, inter felices numeratur: teste etiam prouerbio, Si sæpe iacies, aliquando Venerem iacies.

Sapiens sua bona secum fert.

Apparet à Biantis apophthegmate natū prouerbiū, qui rogatus, quid nihil exportaret rerum suarum ex incendio patriæ, Ego vero (inquit) omnia mea mecum porto. significans ea, quæ verè nostra sunt, intra nos esse, velut eruditionem, ac virtutem. Vt rursum, quæ verè mala sunt nostra, nō licet effugere, quantumlibet commutetur locus.

Tranquillo quilibet gubernator est. Seneca in epistola quadam ad Lucilium. Alioqui gubernatoris artem adeò non impedit tempestas, vt ostendat. Tranquillo enim (vt aiunt) quilibet gubernator est. Agit autē illic fortunā aduersam, ac rerum difficultatē, non solum, nō obesse sapiēti, verum etiā virtutem in his maxime proferte sese, quæ rebus secūdis, ac pacatis latebat. Non magnū est administrare Rempubicam, quā omnia pace constant.



Iecit Achilles duas tesseras &  
quatuor.

Sensus est carminis, quod Suidas ex Euripide citat. Quid autem sibi velit adagiū, nullus (inquit Erasmus) explicat, nisi quod coniectare licet dictum fuisse de ijs, qui in omni re vincerent: propterea, quod is tesserarū iactus felix esset.

Inueni non quod pueri in faba.

Strophylus seruus in Aulularia Plautina, aulam auri plenam, à sene defossam, furto sustulerat: eamq; rem gestiēs indicare hero, Reperi, inquit. Et rogatus, quid reperisset, Non quod pueri clamitant (inquit) in faba se reperisse, prouerbiali nempe figura magnū quiddam reperisse sese significās. Est enim Midas vermiculus quidam, qui fabis innascitur. hūc si quando nacti sint pueri, gestiunt atq; exclamāt, perinde quasi magnū quiddā inuenerit.

Effugi malum, inueni bonum.

Sēsus est Hemistichij prouerbialis, dici soliti, si quando fortuna lautior cuiuspiam contigisset. Natum autē à cærimonijs nuptialibus. Nam Athenis mos erat, vt in nuptijs puer quispiam induceretur, vndiq; spineis frondibus & quernis glādibus opertus, coronatusq; cunas gestans panibus impletas. Dicebat autem hæc, Euasi malum, inueni bonū. Ea vox bene ominabatur sponso, sponsæq; tanq̃ ad

meliozem vsq; fortunam profecturis. Malum enim vocabat spinas & glandes: panes bonũ, propterea quòd steriles spinæ: & glandib⁹ victabant agrestes illi prisci. Reperto frumentorũ vsu, eius glandium fastidiri coeptus.

Locupletum reditus.

In locupletes, quibus alius ex alio succedit reditus, accommodabitur illud ex Odysseæ H. Nec singulos æstas renouatur in ânos. Sed flãs perpetuo Zephir⁹ spiramine foetus Hos producit, & hos demittit ab arbore mites: Et pyra adulta pyris succedunt, malãq; malis. A fico ficus, atq; vua senescit ab vua.

Bonorum mare.

Bonorum mare, dicitur de magnis & vehemeter cumulatis commoditatibus. Vel quòd ipsum mare ministret innumerabiles opes rerum, puta piscium, gemmarũq;: Vel quòd amplissimum, profundissimũq; sit: adeò vt nec exhauriri possit, nec redũdet vnq̄, quum tanta fluminum vis in ipsum influat.

Thassus bonorum.

Thassus bonorum, de immensis opibus dicitur. Natũ adagium à loci fertilitate. Thassus namq; insula est iuxta Thraciã. Zenodotus huiusmodi quandam fabulam refert, Calistratus orator, demigrãs Athenis, persuadere conatus est Atheniẽsibus, vt regionẽ, quæ ex aduerso erat, incolerent, multa splẽdida de

eius feracitate iactitans, & quoddam auri venas haberet, & quoddam glebam optimam. Denique in summa (inquit) Thassius honorum est. Hinc in vulgi sermonem abiisse, Thassius bonorum, de ijs, qui splendida pollicentur.

Bonorum aceruus.

De opibus ingentibus. Unde & frequenter extractas dapes, extractas opes, & cumulatissimas opes pro copiosis legimus, tanquam aceruati congestas, neque pondere, neque numero, sed ipso cumulo infusas. Resipiunt huius adagij naturam illa Ciceroni familiaria, cumulare officijs, cumulatissime satisfacere, cumulus meritorum.

Horna messis.

Plautus in Mustelaria, hornam messem pro uerbali figura dixit, pro maximo emolumento, quasi dicas, tantum lucri, quantum eo anno sit in agris prouenturum. Huic figuræ confine est illud eiusdem in Cureulione, Vindemia hec, huic anni non satis est soli. significat illam adeo bibacem, ut uniuersum vinum, quod eo sit prouenturum anno, parum sit illius siti.

Bonorum Myrmecia.

De immensis opibus dicebatur. Nam Myrmecia grece, significat cauernam, aut agmen formicarum. Quamquam ab illis formicis sumptum videri potest, quæ in India aurum ex cauernis egerere dicuntur. Potest & ad nostras formicas referri, non solum propter innumerabilem

agminū multitudinem: verum etiam propter geminam quandam animantis in accumulādo penore industriam.

Dathus bonorum.

In eandem sententiam dici consuevit, Dathus bonorū Est autem Dathus Thasiarum colonia, iuxta Strimonem, quū alioquin opulenta, ac florens: tum, quòd habet etiam aurī venas, vt hinc in prouerbiū abierit, Dathus bonorum, de conferta rerum opulencia.

Bona terræ.

De bonis immensis, & omnigenis fertur, quasi dicas, quicquid terra progignit, omnium rerum parens. Menander in epistola ad Glyceram, Regaliter pollicens, iuxta illud, quod vulgo dicitur, terræ bona. Finitimum illi, Mōtes auri pollicens.

Ingens rerum multitudo.

Quū admirādā hominū, aut rerū, seu maiorū multitudinē indicare volemus, cōgruet illud Homericum ex Iliados libro secundo. Quot frondes, & quot sunt verno tēpore flores: Vt q; globatarū muscarū examina multa.

Bonorum glomi.

De opibus extractis, & affatim accumulatis. Sumpta metaphora à glomere textorio, cui fila sunt obuoluta: aut certe ad lignū illud textorium refertur, cui filorum maxima vis est obuoluta.



Copiæ cornu.

Quū affatim omnia superesse significam⁹, copiæ cornu dicimus. Trāslatū à peruetusta fabula, quæ quia varie apud authores narratur, hanc ex Erasmo, in huius prouerbij explicatione petendam omittimus.

Capram cælestem orientem conspexerunt.

Hoc dici solitū in eos, quibus omnia feliciter, eq; animi sentētia succederēt. propterea, quod antiquitus opinione vulgi cōprobatū est, qui caprā illam Iouis altricem, & ob id in syderū relatā numerū, cōspexissent, quicquid votis conciperent, eius compotes futuros.

Oculus dexter mihi salit.

Huius prouerbij vsus est, vbi spes est, visus nos lætum quippiam, & vehemēter exoptādum. Ductum à mulierularū superstitione, quæ ex membri pruritu, diuinare solent, quid sit euenturum. Hodie quoq; per locum aiunt sibi dextram tinnisse aurem, significantes alicubi sermonē de se absentibus factū cū laude. Id'q; Plinius testatur vulgo quandoq; creditū fuisse, vt q laudaretur absens, ei dextra tinniret auris: qui vituperaretur, sinistra.

Bona spes ostētia.

Quum bona spes quæpiam affulget alicū de perficiēdi quod proposuimus, conueniet Homericū illud ex Odysseæ α. Sic fato felix

à dextris aduolat ales.

Deus vndecunq; iuuat, si modo  
propitius.

Deus vbiq; præsens adest, si faueat: neq; refert, vbi gentium agas illo propitio. Ad hanc sententiam accomodes licebit Homericum illud ex Odyssæe Γ. Si libeat, seruare procul quoq; numina possint.

Lux affulsit.

Vbi melior rerum spes ostendi cœperit, lucē affulsisse dicunt. Euripides in Oreste. Meis q; venit lumē, ac tuis malis. de Menelao dictū, è cuius aduētū remediū aliquod malorum suorum sperabāt. M. Tullius in Antonianarū prima, Lux quædam videbatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato. Lumen (teste Varrone) fausti ominis fuit apud veteres. Putat enim Varro Mane diei, inde dictum, quod antiquitus Manum, bonum vocabāt. Et lumen vitæ interpretati sunt. Vnde apud Virgiliū est illud, Inuisam abrumpere lucem.

Noctua volat.

Rebus felicius, atq; ex animi sententia succedentibus, dici consuevit, noctua volat. Auctores, Zenodotus & Suidas. Hinc ductum adagium, quod priscis Atheniēsis nocturæ volatus victorię symbolū existimabatur. Propterea, q; avis hæc Minerę sacra crederetur:

quæ quidem dicta est etiam male consultæ.

Laureum baculum gesto.

Suidas tradit ita solere loqui eos, qui esset ab aliquibus insidijs appetiti, felicitèq; periculum effugissent. Hinc ductum, quòd laurus credita est aduersus venena remedium habere. Plinius libro. xv. demonstrat laurum lustrationibus adhiberi solitam. Videtur & aduersus fulmen huius vis tueri, quãdo quidem arborum vna, non icitur fulmine.

Boues messis tempus expectantes.

Dici solitum, vbi quis ingentiũ emolumentorum spe, laborem sumeret. Quidam sic esferunt, Bos in messem, Subaudiendum, respicit, aut eiusmodi quippiam. Inde ductũ, quòd boues messis tẽpore, maiore laborant fructu, propterea quòd inter trituram pascuntur interim, & pabulum largius apponitur. Cõtrã, quum vere, aut hyeme proscindunt aruum, hoc molestior arandi labor, quòd nullo præsente fructu leniatur.

Bos apud aceruum.

De splendide, ampliterq; viuentibus: quiq; in vberè rerũ affluentia, proluxius faciunt sumptum. Aut quemadmodũ ait Suidas, de ijs, qui in mediã rerum copia constituti, non sistentur præsentibus bonis frui. Translatum à bubus trituram exercẽtibis, quibus quòd obligatum habeant, non licet vesci tritico,

quod excutiunt, vt simile fit prouerbio illi,  
Tantalus inter vndas sitiens.

Bos ad præsepe.

In emeritos dici consuevit, qui q; iã ob etatem ocio, vitæ q; molliori indulgent. Effertur & ad hunc modum, Bos in stabulo. Effertur item ad hunc modum, Bos in stabulo senex. Rursû hoc modo, Bos in stabulo desides. Cõgruit q; i eos, q nullis honestis negocijs exercentur: sed turpi ocio, atq; abdomini seruiüt.

Authoritas diuinitus.

Diuinitus contingit, vt idem homo nunc magnifiat, nunc despiciatur. Ad quem sensum venuste deflectitur illud ex Odyssæe π. Est procliuè deis, amplius quos claudit olympus Reddere vel despectum hominem, aut adiungere honorem.

Felicitas à deo.

Prouerbum significat in nobis non esse situm, vt res nostræ bene cedant, sed à superû arbitrio pendere.

Primû rectè valere: proxima forma: tertio loco diuitiæ.

Plato de legibus tertio ait, optimû, ac possitissimum esse bonam valetudinem: proximû formam: tertium diuitias. Hæc Platonis sententia significat ad humanã felicitatem pertinere, vt homo bona sit valetudine, secundo loco formosus, tertio sit diues.



Deum esse.

Deū esse, significat singularem ac summū esse: quemadmodū, Deū facere, signat summis laudibus efferre. Inde natum, quòd mortalium prisci, si quem ob egregias, ac minime vulgares virtutes suspiciebant, eum deū, ac dijs genitum aiebant. Id quod euenit Alexādro magno, Scipioni Aphricano, Octauio Augusto, cūmq; his alijs compluribus.

Quæuis terra patria.

Admonet adagium, virum sapientem, ac bonū, vbiq; gentium vixerit, felicem esse. Vnde & Socrates interrogatus, Cuiatis esset, mundanū se esse respondit. Idem innuit Aristophanes in Pluto, quū ait. Illic enim patria est, vbi tibi sit bene. Fertur quoq; hic versiculus prouerbialis. Solū omne patria, prospere quicunq; agit.

### I N F O R T V N I I, S I V E E X I T I I.

Afinus inter simias.	In puteo cū canibus pugnare.
Nouacula in cotem.	In Orci culū incidās.
Afinus inter apes.	Charontis ianua.
In apes induxisti.	Aurum habet Tolosā sanum.
Bos sub iugum.	Equū habet Seianū.
Canis in vincula.	Tragicum malum.
Mitte in aquam.	Mustelam habes.
Ad coruos	
In lapidicinas.	

Cadméa victoria.	Ilias malorum.
Mens leua.	Lerna malorum.
Genius malus.	Sybaritica calamitas.
Vel hosti miserānus.	Mare malorum.
Mala vltro adsunt.	Malorum thesaurus.
Ogygia mala.	Cyrbes malorum.
Diolygium malum.	Malorum panegyris.
Labore laboriosius.	Nephesti dies.
Lemniū malum.	Niobes mala.
Magnetum mala.	Antiopæ luctus.
Malis mala succedūt.	Lepus apparens, in-
Tenarium malum.	fortunatū facit iter.
Tam perit, quā ex-	Cōmune naufragiū.
trema faba.	

## Interpretatio.

## Asinus inter simias.

Huic prouerbio locus est, vbi quis incidit in homines nasutos, & cōtumeliosos, ipse stolidus, à quibus impune rideatur. Hinc sumptum, quòd cōstet simiam animal esse petulantissimū, aded vt non vereatur etiam leonē per lasciuiam agitare natibus illius affixa. Quin & hodie vulgo simile quiddā dicunt, Noctua inter cornices: vbi stupidior aliquis in homines petulātes, ac dicaces, incidit. Potest adhæc vsurpari, vbi quis in negociū incidit vehementer molestum, aut in infortuniū aliquod, ynde se non queat extricare.

## Nouacula in cotem.

Dici solitū in hos, qui fortē in eas res incidunt, in quas minime volebant. Hinc natum, quōd nouacula non possit incommodius cadere, quā si in cotem incurrat. Rectē accommodabitur & in eum, qui lædendi cupidus, tandem hominem nactus est, à quo vicissim lædatur, quum illi nocere non possit. Siquidē nouacula, si in molle quippiam incidit, dissecat: si in cotem, retunditur.

## Asinus inter apes.

Cōsimilem habet cum illo sensum, Asinus inter simias. Dici solitum, vbi quis infeliciter incidit in homines improbos, atq; importunos. Metaphora per se liquet. Quāq; adagium ab euentu quopiam natū videri potest.

## In apes induxisti.

Dicitur vbi quis præter opinionem in ingens agmen, velut examen malorum immergitur. Quemadmodum euenire solet ijs, qui imprudentes in apum nidum incidunt: circumuolantibus, & impetentibus vndique illis, & fugientem etiam insequentibus, haud facile discedit sine vulnere.

## Bos sub iugum.

Vsurpat, vbi quis assidue laborat: aut vbi se quis laborioso inuoluit negotio. Ductū à bubus agricolis. Quin & hic erit locus vrendi, quū negabimus aliquē ad id trahendum

negocij, ad quod administrandū parū sit idoneus: sed eum qui sit aptus, quōd bos iugo ducendo natus videatur, non item canis, aut ceruus.

Canis in vincula.

Dicebatur, vbi quis seipsum in seruitutē, aut in malū aliquod iniiceret. A canib<sup>9</sup> sum<sup>9</sup> ptum, vltro se præbentibus vinciendos.

Mitte in aquam.

Mitte in aquā, hoc est, aufer è medio. Dicitur vel in hominē, vel in rem exitio dignā. Tractum à supplicio quorūdam, qui in profluentem, aut mare præcipitabātur: quæ pena peculiaris erat parricidis apud Romanos. Effertur adagium etiam hoc pacto, Abi in perniciem.

Ad coruos.

Abi ad coruos, perinde valet, quasi dicas, abi in malam rem, atq; in exitium. Zenodotus scribit in Thessalia locum esse quēdam, cui nomen inditum Coruis, in quem nocentes præcipites dabantur: Hincq; ortum adagium. Quidam adagionis originem referunt ad quandam historiam, quam qui videre velit, Erasmi Chiliades adeat.

In lapidicinas.

Hoc prouerbio significamus quempiam è medio tollendū, & in rem malam aliquò auferendum. Natum à Philoxeno poëta dithy<sup>9</sup>



rambico, qui quū Dionysij Tyranni poēma-  
ta non probaret, vtpote indocta, in lapidici-  
nas ab eo detrusus est. Deinde reuocatus il-  
linc amicorū precibus, vbi denuo Dionysium  
sua carmina pronunciantē audisset, surrexit,  
Et rogatus à Dionysio, quid esset rei, respō-  
dit, satius ac potius esse in lapidicinis vitam  
degere, q̄ illius audire poēmata. M. Tullius  
in epistolis, Philoxeni animū probat, qui ma-  
luerit in carcerem reduci, q̄ assentari tyrāno.

In puteo cum canibus pugnare.

Dici solitum, vbi cuipiam negocium inci-  
dit cum homine rixoso, & cōtentioso, à quo  
se nequeat extricare.

In Orci culum incidas.

Sermo est perniciem & extremum exitiū  
imprecantis. Cognatum est illis, Abi ad cor-  
uos: Aufer te in beatam.

Charontis ianua.

De imminente capitis periculo: siue de re  
magnopere tristi. Sic enim antiquitus appel-  
labatur vna è carceris ianuis, per quā dānati  
iudicū sententijs ad suppliciiū educebantur.

Aurum habet Tolosanum.

In eum, qui magnis, ac fatalibus afficitur  
malis: nouoq; ac miserando exitio perit. Re-  
fertur ab Aulo Gellio, libro noctium Attica-  
rum tertio, capite nono, ad hunc modū. Ea-  
dem sentētia est illius quoq; veteris prouer-

bij, quod ita dictum accipimus, Aurum habet Tolosanum. Nam quū oppidum Tolosanū in terra Italia Qu. Cepio Consul diripiisset, multūmque auri in eius oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero, cruciabiliq; exitu periit. Hæc ille. Durat hodiēq; apud vulgus hæc opinio, vt existiment omneis misere perire, quicūq; à sacris rebus non abstinēt manus violentas.

Equum habet Seianum.

Equum habere Seianū olim prouerbio dicebatur, qui calamitosus, & ad extremam inopiam redactus esset. Allegoria sumpta est ab equo quodam fatali, cui à Cn. Scio domino nomen inditum est Seiano. Is ex Diomedæis equis prognatus fuisse creditus est, fuit insigni quidem specie, verum eiusmodi quodam fato, vt quisquis eius equi possessor esset, is cum omni domo ad internitionē vsq; deperiret. Id quod Cn. Seianus ipse, capitis damnatus, ac miserando affectus supplicio. Deinde & Dolobella bello interfectus, Post hunc Cassius ab hostibus occisus, Deinceps Antonius detestabili exitio perditus probauit. Hoc adagium refertur, & copiosius explicatur ab Aulo Gellio, libro noctium Atticarum tertio, capite nono.

Tragicum malum.

Prouerbiali figura Tragicum malum pro

ingēti accipietur, cuiusmodi fingūtur in Tra  
gœdijs. Nam ab ijs abstinet Comœdia.

Mustelam habes.

In eum quadrat, cui omnia sunt inauspica  
ta, tanq̄ fatis, ac dijs iratis, vt aiunt. Olim cre  
ditū est, hoc animal inauspicatū, infaustūq;  
esse, ijs qui haberent, domi q; alerent, vt non  
admodū dissideat ab illis, Equū habet Scia  
nū, & Aurū habet Tolosanū. Vnde apud Bri  
tānos ifelix omen habetur, si cū paratur ve  
natio, aliquis mustelam nominet.

Cadmēa victoria.

Huius adagij variam adducūt originem.  
Sunt qui putēt inutilem victoriā Cadmēam  
vocatam, propterea quòd Eteocles & Poly  
nices Thebani, quum de regni vicibus dis  
ceptarent, singulari certamine cōgressi, vtri  
que perierint. Vel quòd Cadmēi deuicerint  
quidem Argiuos cum Adrasto militātes, sed  
suo malo: posteris enim illorum pœnas abū  
de magnas dederunt. Vel quòd Oedipus so  
luto Spingis ænigmate, victoriā quidem à  
mōstro magnificam reportauit, verum post,  
imprudens suam ipsius matrem duxit vx  
orem. Id'que simulatque resciuit, oculos sibi  
met eruit. Itaque illius quoque victoriæ pa  
rum felix exitus fuit. Aliam originem assert  
Erasmus, quam omitto.

Mens leua.

Frequenter mens hominū leua est, & pessima pro optimis sequuntur, optima pro pessimis repudiāt. Ad hanc sententiā facit illud ex Homeri Iliade. Consilium Hectoreū laudabat inutile quisq;: Nemo Polydamātis, at hic dabat vtile solus.

Genius malus.

Hoc nomine vocamus eos, quibus incōmodorum nostrorū maximam partem acceptam ferimus: Idq; etiam hodie vulgato sermone. Sunt enim omnino quidā his, aut illis ita inauspicati, vt tanq̄ fatum quoddā malum, atq; in perniciē illorum nati, iure videri possint. Proverbum apparet ē priscorum opinione profectū: qui singulis binos genios attribuunt, quos dæmones vocant, neq; hominibus modo, verū etiam locis, atque ædibus, quorū alter perniciem nobis moliat: alter iuuare studeat. Cuius sententiæ fuit Empedocles, citante Plutarcho in libello de animi tranquillitate.

Vel hosti miserandus.

In hominē maxime miserabilem dici consuevit. Hyperbole est. Nam hostis non facile commouetur misericordia.

Mala vltro adsunt.

Huiusmodi sententia fertur in proverbiorum collectaneis. Bona vix accidunt ijs, qui quærunt: Mala, vel nō quærētibus obtingūt.



Idem & vulgo dicunt idiotæ, id'q; verissime. Et tamē passim vitijs nostris accersimus bel-  
lū, lites, morbos, quasi sua spōte parum adsit  
malorum.

Ogygia mala.

Mala vel ingētia, vel antiqua, Ogygia ma-  
la appellantur. Nam Græcis Ogygium signi-  
ficat & ingens & antiquum. Alij malunt ad  
Oygyum primum Thebanę ciuitatis princī-  
pē referre: cuius filius Cadmus, ob filias suas  
in varias calamitates incidit. Huc respiciunt,  
qui Ogygia mala, pro atrocissimis interpre-  
tantur. Cæterum qui Ogygia vetera dicunt,  
illud sequuntur, quod olim Bœotiorum, ac  
Thebana regio, Ogygia dicta sit.

Diolygium malum.

Ingens malum, Diolygium malum dicitur,  
id'q; ex græco sermone deriuatur. Dicitur au-  
tem prouerbium de eo, qui malo quopiā in-  
gēti, ac diuturno tenetur. Vtitur hoc adagio  
Plato in Theæto: Diolygiū Græcis significat  
maximum, quodq; q̄diutissime durat.

Labore laboriosius.

Hyperbole est laboris immodici, siue ma-  
ximi. Græci sic efferunt, πόνω πονηρός. Subest  
autem & iocus ob amphibologiam vocis.  
πονηρός enim Græcis vt laboriosum, ac mise-  
rum, ita significat & malum, & astutum.

Lemniū malum.

Prouerbiū dicitur de malis immēsis. Hinc natum (vt variē narrata historia ex Erasmo petatur) quōd aliquando Lemniæ mulieres graueolentiā maritorum offensæ, eos vniuersos Thoātis auxilio sustulerūt. Cuius rei meminuit & Euripides in Hecuba, Marēsque Lemno sustulere foeminæ funditus.

## Magnetum mala.

De malis ingentibus dictum videtur, aut ijs: quæ in authores suos recidūt. Cum Termerijs enim malis, Magnetum mala coniunguntur, in his verbis, quæ citra authoris nomen referūtur apud Suidam, Nec si (inquit) Magnetum mala, nec si Termerium, nec si totam in summa Tragœdiam eloquar. Sumptū apparet ab historia, quæ de Magnetibus afflictijs meminerit, in quæ mala feruntur incidisse, violato numine quopiam.

## Malis mala succedunt.

In eum, qui varijs exercetur fortunæ incōmoditatibus, nunc morbo, nunc rapinis, nunc alijs atque alijs malis conuenient illa Homericæ carmina, Tradebat notus hūc Boreæ quādam vehendū: Nunc rursus Zephyro iactandū tradidit Eurus.

## Tænarium malum.

Si quid crudelius sæuitū esset in famulos, Tænarium malum vocabāt, propterea quōd olim Lacedæmonij captiuos, qui in Tænarijs

rum confugerāt, reductos capitīs affecerunt supplicio. Est autem hoc loco Tænatus regio quædam Laconicæ, cuius incolæ Tænaitæ appellantur.

Tam perit, q̄ extrema faba.

Festus Pompeius ostendit prouerbio dici solere, Tā perit, q̄ extrema faba, Propterea, quod extremæ fabæ plerūq; aut proterantur, aut decerpantur à prætereuntibus. Quadrabit igitur in hominem, seu rem omnibus omnium iniurijs expositam. Veluti si quis dicat Theologiam tam perire, q̄ extremā fabam, quod passim ab indoctissimis Sophistis tractando corrumpatur.

Ilias malorum.

Circunfertur de calamitatibus maximis simul & plurimis. Hinc natum, quod in Iliade Homerica nullum mali genus non recēsetur. Vnde ex hac docti putant Tragœdiarum argumenta fuisse sumpta, sicut ex Odyssea Comœdiarum. Est autem opus verbum vigin-  
ti quatuor voluminibus vix absolutum. Vnde & quamvis orationē plus satis prolixā, Ilias de longiorem vocant.

Lerna malorum.

De malis item plurimis simul in vnum congestis, & accumulatis. Parœmiā Strabo commemorat, libro Geographiæ octauo, scribēs Lernam lacū fuisse quempiam, Argiuorū, ac

Myceneorū agro communem, in quem quū  
passim ab omnibus purgamenta deportarentur,  
vulgo natum prouerbiū, Lerna malorum.  
In hoc lacu poëte fingunt hydrā illam  
septem capitum cōstitisse, quā Hercules igni  
Græco confecerit. Itaq; quoties hominem si-  
gnificamus vehementer infamem, atq; omni  
turpitudinis genere cōtaminatū, aut cœterum  
hominum pestilentium, quasi q; sentinam &  
colluuiem facinorosum, recte dicemus, Lerna-  
nam malorum.

Sybaritica calamitas.

Quadrabit adagium in eos, qui neglectu  
deorum, aut ob intemperantem luxum sub-  
uertuntur. Stephanus narrat quemadmodū  
Sybaritæ perierint ad hunc modum. Oraculum  
huiusmodi acceperant, Felix omnino fe-  
lix Sybarita futurus, Dum rebus lætis vene-  
rabere numina Diuūm. At simul atq; illis mor-  
talis homo anteferetur, Tū veniet, bellum q;  
tibi atq; domestica turba.

Mare malorum.

Dici solitū de calamitatib<sup>9</sup> immēsis, & om-  
nigenis. Inde sumptum, quòd mare res quæ-  
dā est infinita: vel quòd infinitis erūnis abun-  
dant, qui in eo versantur.

Malorum thesaurus.

Ad eundem modum inuenitur, tum apud  
*Euripidem in Ione*, *Me miserā* (inquit) *vt in-*



gens pāditur Theſaurus, ac penus malorum. Extat inter Græcanicas ſententias huiusmodi ſenarius, Theſaurus eſt mulier malorum, ſi mala eſt. Vnde eſt & illud crebrius in arcanis literis, Theſaurizant ſibi malum, id eſt, colligunt, accerſunt, quaſi q; reponunt. Siquidē Theſaurum proprie vocamus, rerum vtiliū vim, pariter reconditarum.

**Cyrbes malorum.**

De vehementer improbis, & omni facinororum genere cōtaminatis. Hinc ortum, quōd apud Athenienſes tabulæ quædam erāt quadræ, in quibus leges deſcriptæ proponebantur, præterea variæ delinquentiū poenæ, quas Cyrbes appellabant. Simile eſt illi, Ilias malorum.

**Malorum panegyris.**

De malis agminatim ingruentibus, & iniuriam ſibi ſuccedentibus. Panegyris etiā apud Græcos dicebatur ſolennis ille populi conuentus, ad ludos feſtos celebrādos, voce hinc cōpoſita, quōd feſtis diebus vniuerſi conueniret. Homerus Iliados T, Cum perpetuo (inquit) tenore malum malo ſuccedit.

**Nephaſti dies.**

Nephaſti dies olim vocabātur inauſpicati, & quibus publica non licebat agere. Vnde receptum, vt homines iniuſos, ac deteſtandos, nephaſtos appellarent.

## ERASMI ADAGIORVM

## Niobes mala.

De maximis & acerbissimis malis dicebatur. Hanc enim Niobem fabulæ narrant, post occisos liberos, quos permultos habebat, præ dolore in saxū conuersam fuisse, illud innuentes immodico dolore diriguisse.

## Antiopæ luctus.

Dici cōsuevit, vbi quis immerens calamitatibus affligitur, deinde malis eximitur. Nātū ab Antiopæ fabula. Hæc Nyctei filia fuisse narratur; quam quum esset à ciue quodam vitiata, pater grauius irascens, ad fratrem mittit, vt de ea supplicium sumeret. At ille, quod vterum ferre videret, misertus pepercerat. Itaq; peperit Zethū & Amphionē, quos ille in montem abiecit. Erat autē huic vxor, nomine Dirce, quæ simulatq; sensit virum suum Lycum, Antiopæ captum amore, puellam in montem abductam, tauri cervicibus alligat, suspensis à cornibus tedis ardentibus, parans illam hoc exitij genere conficere. Verum ad vociferationem Antiopæ cōcursum est, cum à vicinis rusticis, tū ab Amphione, Zethoq; qui matrem agnitam eripiūt, & à Dirce penas sumunt.

## Lepus apparens, infortunatum facit iter.

Torqueri potest ad interuentum cuiuspiā, qui videatur incommodum aliquod allatus

rus. Hinc natum, quòd vulgo etiam his temporibus occursum leporis, omen esse parum felix, iter ingressis.

Commune naufragium.

Commune naufragiũ, omnibus solatium. Multo facilius fertur malum quòd nobis est cum omnibus, aut cum multis commune.

### M A N S V E T V D O.

Mactata hostia lenior. Apio mollior aut mitior.  
 Auricula infima mollior. Mitior columba.  
 Sedens columba. Cera tractabilior.  
 Spongia mollior.

Explicatio.

Mactata hostia lenior.

Prouerbiãli figura dixit Horatius in Odis, Mactata veniet lenior hostia. Dicitur solet de spontaneis, ac mansuetis. Súptũ est à sacrificijs in quibus explorabatur hostia, ducto per frontem cultro, idq; mactare vocabant.

Auricula infima mollior.

Hyperbole est prouerbiãlis, in homines minime iracundos, leniq; ingenio p̄ditos. Trãslata metaphora ab ea auriculae parte: qua nõ est aliud in humano corpore mollius, aut flexibilius, lentiũsq;: vt quæ nec osse rigeat, neq; carthilagine dure scat, neq; nervis intendatur.

p. iij.

Huic prouerbio simillimū est illud, Oleo trāquillior: quod quidem sumptum est à liquoris illius natura, quo nihil magis tacitū, magisq; lene. Plautus in Pœnulo. Ita hanc canē faciam tibi oleo trāquilliozem. Est autem vsque adeò trāquilla olei natura, vt mare quoq; rem omnium sæuissimam tranquillet: atq; ob id vrinātes oleum ore spargere, quòd mitiget elementī naturā asperam, lucēmq; deportet. Author est Plinius libro secundo.

Sedens columba.

Hoc dici solet de supramodum mansuetis, ac simplicibus. Nam columbæ quum auolāt, fallūt cæteras pernitate volatus. Quum sedent, nihil mitius, aut simplicius. Neq; quicq̄ habēt, quo se tueātur aduersus miluios & accipitres, præter alarum velocitatem.

Spongia mollior.

In homines māsuētos, læniq; præditos natura conuenit. Sic enim assentator quispiam loquitur apud Comicum quempiam, citante Plutarcho in cōmentario de discrimine adulatoris, & amici. Nicomache me isti militi opponas velim, Nisi pepona loris (quantus est) effecero, Nisi spongia illi molliorem quam libet Reddidero vultum. Hūc sensum habet & illud, Cinedo mollior. Plautus ī Aulularia. Ita fustibus sum mollior magis, q̄ vllus Cinedus. Nā prisci, saltatores & pantomimos, Cī-



nedos vocabāt, quòd cum gesticulatione carerent.

Apio mollior, aut mitior.

Similis est figura cū superiore, eundemq; habet sensum. Est autem Apius Græcis Raphanus, aut pyri genus.

Mitior columba.

In illum quadrat, qui natura māsuetus sit. Cui adagio locū fecit colūbina simplicitas, ac mansuetudo: quæ etiam laudatur in diuinis literis.

Cera tractabilior.

De vehemēter docili dicebatur: aut de ingenio facili, tractabiliq; & in quēvis habitū sequaci. Horatius. Cereus in vitiū flecti, monitoribus asper. Persius satyra quinta. Artificemq; tuo ducit pollice vultū. Rursum Horatius. Argilla quidvis imitabitur vda. Est autem hoc ceræ peculiare, vt manibus contrita mollescat: & hinc variæ rerū formæ solent affingi.

#### ASPERITAS, MOROSITAS.

Scytharum oratio.	surgit, & vallib <sup>9</sup> de-
Scabrosior Leberide.	primitur.
Totus echin <sup>9</sup> asper.	Etiam quercus Bac-
Durus alloquijs.	chatur.
Echino asperior.	Agamēnonis hostia.
Corithus & collibus	Ne moue festucam.

A lasso rixa quæritur. In durum & implacabilem.  
Inexorabilis.

Elucidatio.

Scytharum oratio.

Aspera & nihil humanitatis habēs oratio, solet Scythica, siue Scytharum oratio dici. Illius enim gentis feritas apud Græcos cessit in prouerbiū, vt quicquid agreste, quicquid barbarum, ac sæuum vellent intelligi, id Scythicum appellarent. Quidam autem inde natum putant adagiū: quòd Scythæ Dario regi nihil aliud respōderint, q̄ vt ploraret. quæ quidem ipsa etiam vox in prouerbiū abiit, vt plorare iubeamus, quos contemnimus.

Scabrosior Leberide.

In eum quadrat, qui sit vehemēter asper & insuauis. Nam Leberis Græcis dicitur exuuium illud vel serpentum, vel piscium exuuium senectam, quod & Syphar vocatur. Id autem asperrimum esse constat, nimirum ob summam siccitatem.

Totus Echinus asper.

In morosos & iniucundis moribus competit. Echinus piscis, & item Erinacius vndique spinis obseptus est, vt nusquam impune possis attingere. Est & hominum huiusmodi genus, cum quibus nulla ratione possis agere citra litem. Aristophanes in Pace. Ex scabro in leuem nunq̄ vertetur Echinus.

Durus alloquijs.

Homo inexorabilis dici solet durus alloquijs, siue immobilis alloquio. Ductum à cetera, quæ tractando mollescit.

Echino asperior.

Competit in hominē intractabilem & in suauibus morib⁹. Metaphora sumpta ab animalis, cuius duplex est genus, terrestre spinis obsitum, & maritimū pinnata vndiq; testudine, ac spinis obductū, quibus se pedum vice voluit: testis Plinius. Aristoteles libro de generatione animantium quinto, tradit Echinum ipsum quidem pusillum esse, ceterū spinas habere, & longas, & acutas.

Corinthus & collibus surgit, & vallibus deprimitur.

Id adagium, vbinam possit esse vsui, non satis Erasmus (vt iquit) videt, nisi si quis detorqueat ad hominē intractabilē, aspero ingenio, & sibi ipsi inequalē, parūq; secū cōstantē. Hinc ductū, q; (vt scribit Strabo) Corinthiorū regio nō fuerit admodū ferax, eo quod inæqualis esset, & aspera, ac petricosa: ob quā causam hic senarius prouerbio est iactatus: Alibi tumet Corinthus, aliubi caua est.

Etiā quercus Bacchatur.

Sensus prouerbij græci sic habet. Etiā quercus Mænas facta est. In eos quadrat, qui vix deliniuntur. Ductū ab Orphei fabula: quæ quis

dem fabulati sunt quercus sua cithara demul-  
sisse. Mænades autem sunt mulieres afflatae  
Baccho.

Agamemnonis hostia.

Dicebatur quondam in duros & persuasum  
difficiles. Inde natum, quod Agamemnone  
rem diuinam in Troia facturo, bos effugerit:  
vixq; multo negotio comprehensus, reductus  
est. Quod quadrabit & in eos, qui nolentes & ad-  
acti quippiam agunt. Olim in sacris spectaba-  
tur, ut hostia lenis, ac volens adstaret. Quod si  
refracto fune profugisset, infaustum omen ha-  
beatur.

Ne moue festucam.

Locus prouerbialis, ubi quis omnis strepi-  
tus impatiens est. Quosdam enim videre li-  
cet usque adeo morosos, ut quicquid agas of-  
fendatur, etiam si stipulam duntaxat moueas.

A lasso rixa quaeritur.

Seneca libro de ira tertio prouerbi-  
um huiusmodi refert, A lasso rixa quaeritur: aut las-  
sus rixam quaerit. Quod in quem sensum anti-  
quitus fuerit usurpatum, non satis liquet. Quod  
si coniecturas (inquit Erasmus) sequi licet, ap-  
paret dictum in quosdam morosiores, & ad ri-  
xandum procliuiiores, non quod offendatur,  
sed quod alioqui animo male affecti sunt: ut  
sunt difficiles, ac submorosi, quibus fortuna  
aduersa est.



Inexorabilis.

In durum & inexorabilem competet illud  
ex Odysseæ ↓. At tibi perpetuo cor saxo dur-  
tius omni est.

In durum &amp; implacabilem.

In hominem impendio rigidum & impla-  
cabilem torquebitur Homericū illud, At tibi  
non vnq̄ placanda in pectore mens est.

## OCCASIO.

Nosce tempus. *re.*

Ansam quærere, & cō Gladium dedisti, quē  
similes metaphore. se occideret.

Eximere à manu ma Nūc tuum ferrum in  
nubrium. igni est.

Fenestram aperire, & Nō semper erit æstas.  
cōsimiles metapho

Expositio.

Nosce tempus.

Hoc celebratur in primis inter septem sa-  
pientū apophthegmata: ac (vt alia plæraq;) *re.*  
pluribus authoribus adscribitur, à nullo non  
vsurpatū: quod quidem docet cunctis in ne-  
gocijs, plurimū habere momēti, temporis &  
oportunitatis obseruationē. Hæstodi autem  
carmina latina facta, rem eandē complecten-  
tia sic habēt, Obseruato modum: nam rebus  
in omnibus illud Optimū erit, si quis tempus

spectauerit aptū. Huc allusit Theocritus in  
 Idyllio Δ, Verū (inquit) alia æstiuo, atque hy-  
 berno tempore fiunt. Ipse etiam Isocrates ad  
 Dæmonicū scribit, Iucundum in omni re esse  
 nunq̄, quicquid intempestiuū sit. Tantam au-  
 tē vim habet oportunitas, vt ex honesto in-  
 honestum: ex damno lucrum: ex voluptate  
 molestiam: ex beneficio maleficiū faciat: &  
 contrā, breuiterq; rerum omniū naturā per-  
 mutet. Hæc in aggrediundo, conficiendoque  
 negocio præcipuum habet momentū, vt nō  
 sine causa veteres videantur eam diuinitate  
 donasse, tametsi apud Græcos mas est hic  
 deus, appellaturq; καίρὸς, quo nomine & tē-  
 pus & oportunitas & occasio significantur.  
 Occasionis autem simulachrum ad hunc mo-  
 dum fingebat antiquitas. Volubili rotæ pen-  
 natis insistsens pedibus, vertigine, q̄ citatissi-  
 ma semet in orbem circūagit: priore capitis  
 parte hirsuta, posteriore glabra, vt priore fa-  
 cile prehēdi queat, posteriore nequaq̄. Vnde  
 dictum est, Occasionē arripere. Ad quod eru-  
 dite simul & elegāter allusum est illo versicu-  
 lo, Fronte capillata, post hæc occasio calua.  
 Erasmus in huius adagij enarratione adscri-  
 bit super hac re Posidippi Græci, & Ausonij  
 latini elegātissima epigrammata, quæ ex in-  
 stituto omitto.

*Ansam quærere, & cōsimiles metaphore.*

Ansa est, qua quippiam prehēditur, ac tenetur. Hinc ducta metaphora varias adagiorum formas præbuit: signatq; ansam quærere, occasionē captare: & præbere ansam, occasionem dare. Vnde qui nocendī occasionē quærit, ille nocēdī ansam quærere dicitur: veluti qui peccandī occasionem præbet, is peccandī ansam dare dicitur. Cōsimili figura possumus dicere, locum quærere, & locum dare, vt ille quærit locum peccato: ille dat locū studio. Eodē pertinet, In easdem ansas incidere: & ansam arripere: & ansam præterire: ansam negligere: & ansam auferre, & si quæ sunt alia, Epictetus in Enchiridio suo scripsit, vnicuiq; rei binas esse ansas: alterā quæ teneri possit: alteram quæ non possit. Arripiēdum igitur vnūquodq;, ea quæ teneri possit, id est, bona vndique excerpēda: mala toleranda.

Eximere è manu manubrium.

Figura prouerbiali dixit Plautus, Eximere è manu manubrium, pro eo, quod est, iam paranti facere quippiam, extorquere peragēdi occasionē, siue facultatem. Locus est in Euclyone, Capiō sustem, obtrunco gallū, furē manifestariū. Credo ego ædepol illi mercedē gallo pollicitos coquos. Si id palam fecisset: exemi è manu manubriū. Ab eo translātū est, cui iā vibrato gladio percussuro, repente ca-

pulus excutitur è manibus.

Fenestram aperire, & consimiles  
metaphoræ.

Aperire fenestram pro eo accipitur, quod est occasionē, ac velut ansam ministrare. Inde qui ad nequitiam occasionē dederit, fenestram ad nequitiam aperuisse dicitur. Aperire ianuam, & aperire viam, & præstruere viam, eundem habent sensum.

Gladium dedisti, qui se occideret.

Plautus. Gladium dedisti, qui se occideret, id est, ministrasti materiam, & adiuuentum ad perniciem. Veluti si quis amanti adulescenti pecuniam det in manum, Aut iuueni temerario mandat magistratum. Aut mulieri permittat, quò lubeat eundi licentiam.

Nunc tuum ferrum in igni est.

Eius ferrum in igni esse dicebant, cuius negotium iam ageretur. Præmollitur enim ferrum igni ad cudendum. Ita Seneca in ludicro libello, quem scripsit de morte Claudij imperatoris, Hercules enim qui videret ferrum suum in igni esse, modo huc, modo illuc cursabat: & aiebat. Noli mihi inuidere, mea res agitur: deinde si quid volueris, inuicem faciam, manus manum lauat. Allusit eò, quod Hercules quoque ex homine factus esset deus: id quod ambiebat Claudius.

Non semper erit æstas.



Hesiodi in opere, quod opera & dies inscribitur, carmen est ab Erasmo sic traductum. Æstas non semper fuerit, componite nidos. Nō semper viuebit ætas: para, quò se recipiat senectus. Aut nō semper erit prospera fortuna, munias animū philosophiæ decretis, quo fortunam aduersam possit contemnere.

## S E R V I R E T E M P O R I .

Seruire scenæ.	Polypi mentē obtine.
Vti foro.	Spartam nactus es,
Aut bibat, aut abeat.	hanc orna.
Gladiator in harena	Omnium horarū ho-
consilium capit.	mo.

## Explanatio.

## Seruire scenæ.

M. Tulli<sup>9</sup> Seruire scenæ dixit, pro eo, quod est seruire tempori, & rebus præsentibus sese accommodare. Translata ab histrionibus fabularum metaphora, qui non suo iudicio agūt, sed hoc vnū spectant, vt quouis modo populi oculis placeant, alioqui explodendi, exhibilandi q; Quadrabit & in eos, qui negotiū aliquod susceperunt illustre, vnde necesse sit, aut cū summa laude, aut summa cum infamia discedere, propter plurimorum expectationem Monuit & Phocylides tēpori seruiendū esse viro sapienti, Tēporibus (inquit)

semper cautus seruire memento, Nec reflare  
 velis aduersum flamina v̄eti. Hæc Phocylidis  
 metaphora ducta est à nauigantibus, quos ne-  
 cesse est semel ingressos mare, ventorum atq;  
 æstus arbitrio ferri, frustra conaturos, si velint  
 aduersus ista pugnare.

Vti foro.

Huic affine est, vti foro, pro eo, quod est,  
 præsentem rerum statum boni consulere, &  
 vtcunq; sese obtulerit fortuna, ita animū ap-  
 plicare. Terētius in Phormione, Scisti vti fo-  
 ro. Donatus, vulgare prouerbium admonet  
 esse, ductamq; metaphoram à mercatoribus,  
 qui non ante locum commercij præscribunt  
 quanti vendant, quæ aduehant, sed secundum  
 annonam fori, quam deprehēderint, cōsilium  
 de non vendendis, aut vendendis mercibus  
 sumūt. Seneca. Utamur foro, & quod fors fe-  
 ret, æquo feramus animo.

Aut bibat, aut abeat.

Hoc adagio monemur, vt aut tempori, lo-  
 cōq; nos accommodemus, aut à consuetudinē  
 ne nos subducamus: quemadmodū Cato fe-  
 cisse legitur, qui quum nō posset sumere vni-  
 tum floralium licentię conuenientem, disces-  
 sit è Theatro. Natum est à priscis illis Græ-  
 corum symposijs, hoc est computationibus:  
 In quibus mos erat talis, sortiri quempiā, qui  
 conuiuiō quasi præsideret, ac decreta conuis-

uialia præscriberet, quas leges appellabant. Ex quib<sup>9</sup> legibus iocosis hæc vna fertur, Aut bibat, aut abeat.

Gladiator in arena cōsiliū capite.

Admonet è re nata mutandum aliquando cōsiliū, & tempori (quod aiunt) seruiendū. Refertur à Seneca libro epistolarū tertio, Iā intelligis (inquit) educendū esse te ex istis occupationibus speciosis & malis. Sed quomodo consequi possis, quæris. Quædam nō nisi à præsentē monstrantur. Non potest medicus per epistolas, cibi aut balnei tempus eligere. Vena tangenda est. Vetus prouerbiū est, Gladiatorē in arena capere cōsiliū. Aliquid aduersarij vultus, aliquid man<sup>9</sup> mota, aliquid ipsa inclinatio corporis, intuētē monet. Quid fieri soleat, aut oporteat, in vniuersum & mās dari potest & scribi. Tale consiliū, non tantum absentibus, sed etiā posteris datur. Illud autem quando fieri debeat, aut quemadmodū, ex longinquo nemo suadebit. Cum rebus ipsis deliberandum est. Hæc ille.

Polypī mentem obtine.

Hoc prouerbio iubemur pro tēpore, alios atq; alios mores, alium atq; alium vultum sumere. Quod in Vlysse videtur Homerus laudare, qui eum versatilibus moribus appellat. Natum adagium à piscis huius natura, quem scribunt colorem mutare maxime in metu.

q. ij.

Nam persequentibus piscatoribus, petris as-  
figit sese. & cuiuscūq; petre sese adhæserit, eius  
colorem corpore imitatur, videlicet ne queat  
deprehendi. De quo quidem pisce est huius  
modi distichon ex Theognide translaturum.

Mētem habeas vasti polypi: qui protinus illa  
Se quibus admorit, saxa colore refert.

Spartam nactus es, hanc orna.

Admonet adagium, vt quancunq; provin-  
ciam erimus forte nacti, ei nos accommodes-  
mus, proq; huius dignitate nos geram⁹. Pro-  
terbiū igitur ad varios vsus licebit accom-  
modare: vel quum admonebimus, vt suam  
quisq; personam, quam suscepit, cum decoro  
tueatur. Episcopus es, ne satrapam agas, sed  
episcopum. Maritus es, cura quæ mariti sunt  
officia. Aulicus es, aulicum age. Iudex es, nō  
amicum, aut inimicū, sed iudicem agas. Prin-  
cipatus tibi contigit, principis officio funge-  
re. Priuatus es, vt priuatū te gere. Istius etiā  
adagij vsus fuerit, quum iubebimus vnum-  
quenq; sua sorte contentum esse oportere,  
quæcunq; contigit. Quemadmodū enim pe-  
ritus gubernator, in omni tempestate bonū  
præstat nauclerum, ita vir sapiens in omni  
fortuna sapiēter se gerit. Est ampla res fami-  
liaris, sapiēter administra. Non est, vt ere pau-  
pertatis commodis. Contigit eruditio, vte-  
re ad bene viuendum. Non contigit, ne mas



cereris, sufficit pietas ad consequendā salutē.  
 Plutarchus in commētario de læritia, admo-  
 nens vt suam quisque boni consulat, Sparta  
 (inquit) tibi obuēnit, hanc orna. Quod cons-  
 sine est illi Platonico, Quod præsens est bene  
 dispone, siue boni consule.

Omniū horarum homo.

Qui serijs pariter, ac iocis esset accommo-  
 datus, & qui cum assidue libeat contiuere,  
 eum veteres omniū horarū hominem ap-  
 pellabant. Contrā, qui suis quibusdam sunt  
 moribus, neq; faciles ad cuiusvis hominis cō-  
 uictum, perpaucorum hominum homines dī-  
 cuntur, vt apud Terētium. Apud Horatium  
 autem communi sensu caret inquitur.

TEMERITAS.

Oportet remum im-	gocium temere.
pellere, qui didicit.	Illotis manibus.
Quam quisq; norit	Illotis pedibus ingre-
artem, in hac se ex-	di.
erceat.	Andabatae.
Cœnare me doce.	Ædilitatem gerit sine
Non suscipiendū ne-	populi suffragio.

Enucleatio.

Oportet remū impellere, qui didicit.  
 Hoc est vnumquēq; decet eā artem exer-  
 q. iij.

cere, quam antea doctus sit. Refertur à Plus-  
tarcho in commentariolo, cui titulus, ὅτι δι-  
δασκὸς ἢ ἀρετῆ. Idem admonet Horatianum  
illud, Ludere qui nescit, cāpestribus abstinet  
armis: Indoctusq; pilę, disci ve, trochi ve quis  
escit. Ne spillę risum tollant impune coronę.  
Qui nescit vers<sup>9</sup>, tamē audet fingere. Quin&  
hodiernis tēporibus huiusmodi vulgo iactat<sup>r</sup>  
adagiū, Qui lusus non nouit legē, abstineat.

Quam quisq; norit artem, in hac  
se exerceat.

Sensus est senarij iambici ex Gręcis tradus-  
cti, admonens, vt quarum rerum sumus per-  
riti, in his dūtaxat disputādis, tractandisq;  
versemur: quarum vero sumus rudes, eas do-  
ctioribus cōcedamus: neq; professionem alie-  
nam nobis vendicemus: neq; in messem alie-  
nā mittamus falcem: né ve sutores vltra cre-  
pidam iudicemus. Hoc prouerbiū vsurpauit  
Cicero primo Tusculanarū quęstionū libro,  
Sed hic quidē (inquit) quis eruditus sit, sicut  
est, hæc magistro concedat Aristoteli, canere  
ipse doceat. Bene enim illo prouerbio Gręcorū  
pręcipitur, Quā quisq; norit artem, in hac  
se exerceat. Hęc ille. Ad hoc prouerbiū alie-  
lusit Horatius, Nauem (inquit) agere ignarus  
nauis, timet, abrotantum ægro Nō audet, nūi  
quididicit dare. quod medicorū est Promit-  
tunt medici: tractant fabrilis fabri.

Cœnare me doce.

Prouerbiali figura dictū est ab Aristophane in Ranis, Cœnare me doce. Tempestiuiter vsurpabitur, si quando docere, præire, aut etiã refellere conatur aliquē imperitus negocij, de quo disceptatur. Verba sunt Bacchi ad Herculem de tragœdijs iudicantem, quum exercitator esset in vorandis tauris, q̄ pensiculandis poëtarum carminibus.

Non suscipiendū negociū temere.

In præpotētem, & cū quo non sit suscipiēda simultas, aut lis, nisi magno aliquo præsidio fulciaris, quadrabit illud ex Iliados μ, tractum. Huic certaturus non iuerit obuius vllus Absq; deis. Dictum est de Hectore duabus lāceis, & ingenti saxo tendenti in præliū.

Illotis manibus.

Illotis manibus accipitur pro eo, quod est, irreuerenter, atq; imparate. Prouerbiū vsurpabitur rectè in eos, qui vel audacius, vel parum instructi his rebus, quibus oportuit, negociū inuadunt: veluti si quis principis munus capessat, nulla neq; virtute, neq; sapiētia, neq; rerū vsu præditus. Aut si diuinas literas interpretari conetur, Græce, Latine, & Hebraicæ linguæ, deniq; & omnis antiquitatis rudis & imperitus: sine quibus, nō stultum modo, verum etiam impium est Theologiæ mysteria tractanda suscipere. Trāslatum prouerbiū

est à sacrorū puritate. Antiquitus enim (quē admodum & hodie fit) à manuū lorione rem diuinam auspicabātur: atq; etiam cōuiuium, vtpote rem sacram. Hesiodus ob id in opere quod opera & dies inscriptum est, verat ne quis mane Ioui libet vinum manibus illotis.

Illotis pedibus ingredi.

Illotis pedibus ingredi, est confidenter, atq; imperite rem egregiā aggredi, tanq̄ profane & irreuerenter. Translatum item à sacrorum cærimonijs, in quibus omnia pura, lotaq; iusbebantur exhiberi. Lucianus in *Demonastis* vita, Haudquaḡ illotis (vt aiunt) pedibus ad ista venerat: hoc est, neutiq̄ i exercitatus, neq; rudis. In genere, sermonem omnem parū vesperecundum, nimisq; procacem, ac petulātem, illotum proverbio vocant.

Andabatæ.

Illi dicuntur Andabatæ, & Andabatarū more pugnare, qui temere, nullōq; iudicio insectantur quippiā: aut repugnant alicui. Diuus Heronymus aduersus Heluidium, Ad hoc (inquit) probandū congerit de scripturis exempla q̄ plurima, more Andabatarū in tenebris gladium ventilans. Cæterum fuerint ne populi ad eum modum soliti pugnare: an genus gladiatorum, qui clausis oculis tenderēt in aduersariū: an potius lusus genus, vt prope modum ex Seneca licet conijcere, nōdum



Erasmus (vt ingenue fatetur) hæc scribens satis compertum habebat.

Ædilitatem gerit sine populi suffragio.

Hoc ex Plauto in Sticho sumptū est: eius usus sit, ubi quis imperiosior est in alieno negotio, aut in ædibus alienis. Nam Plautus ad parasitum respicit in domo non sua mandantem, & imperantem, non aliter ac in sua.

PUDOR.

Pudor in oculis.	ro egenti.
Pudebat recusare, &	Tinctura Sardonica.
non audebant susci	Tinctura Cyzicenica.
pere.	Vbi timor, ibi & pu-
Pudor & metus.	dor.

Verecūdia inutilis vis

Explanatio.

Pudor in oculis.

Signat prouerbiū horum nos pudere, quæ in propatulo sint. Aspectus enim vel incutit, vel renouat etiam pudorē. Vnde fit, vt pueri quū pudescunt, oculos tegāt. Hinc & poëta Cupidinem, quòd sit improbissimus, cæcum fingunt. Eodē pertinet illud Ciceronis, Epistolam nō erubescere. Videmus etiā eos, qui oculis capti sunt, à verecundia plurimū abesse. Huc spectauit Ouidius, quū ait noctē,

vt pote cæcam, pudore vacare, Nox (inquit) & amor, vinūq; nihil moderabile suadēt. Illa pudore vacat: liber, amorq; metu. Aristoteles in problematis causam inquirens, quā ob rem pudefactis rubescāt aures, iratis oculi, inquit, An propterea, quod pudor in oculis, frigus quoddā adducit vnā cū metu: atq; ob id, merito calor destituit oculos. Is vero demigrans inde fertur ad locum sui maxime capacem. Est autē huiusmodi summa pars aurium. Nā reliqua pars est ossea. Rursum iratis calor suffunditur, idque potissimum apparet in oculis, propter albicantem illorum colorem.

Pudebat recusare, & non audebant suscipere.

M. Tullius in epistolis ad Atticum, versum Homericū, ceu proverbialē non semel vsurpauit: qui sic traductus legitur. Detractare pudor, formido subire vetabat. Hoc carmine uti licebit, quoties incidit huiusmodi negotium, ut aliud suadeat honestas, aliud utilitas: & dedecorosum sit, non suscipere prouinciam: rursus periculosum suscipere. Potest etiā accommodari ad illos, qui rogati, neq; negare audent, ob pudorē: neq; prestare tamen volūt quod rogātur, ob diuersū animi vitium.

Pudor & metus.

Quum abstinetur à re quapiam: quod ea

tum inhonesta factu videatur: tum vero minime tuta, locum habebit illud ex Iliados O, translatur. Nam pudor atq; metus vetuit.

Verecundia inutilis viro egenti.

Apud Hesiodum legitur carmen: quod convertit Erasmus ad hunc modum. Verum homini pudor haudquaquam conducit egeno. Hoc carmen abiit in proverbium: quod admonet abijciendum pudorem, quoties urget necessitas. Est enim verecundia, quum ad multa vehementer inutilis, tum maxime quum res postulat, ut omnia nobis sint facienda. Ad quod alludit Euripides in Iphigenia in Aulide. Veruntamen (scribit) pudere oportet eatenus Quoad licet. Homerus Iliados Omega, scribit verecundiam, seu reverentiam plurimum proficere, & eandem officere plurimum. Homeri verba sic traduxit Erasmus. Nec pudor est illi, qui vel laedit vehementer, Vel multum prodest homini. C. V. Flaccus quinto Argonauticon de pudore loquens sic ait, Rebus semper pudor absit in artibus.

Tinctura Sardonica.

De colore praecellenti dicebatur, praecipue purpurae. Per iocum autem transferretur ad eum, qui pudefit: aut qui ob plagas sanguine tinguatur. Sardo insula ingens opposita Italiae, in qua variae purpurarum tincturae laudatissimaeque fiebant.

## Tinctura Cyzicēnica.

Tinctura Cyzicēnica, dedecus non eluens  
 dū appellabatur apud Atticos: dicebaturque  
 in eos, qui metu quippiam indecore facerēt.  
 Nā Cyzicēni duobus nominibus notati sunt,  
 timiditatis, & mollitiei.

## Vbi timor, ibi &amp; pudor.

Prouerbialis est sentētia, quæ hodie quoque  
 vulgo manet: cui similis illa Terētiana Omnes  
 deteriores sumus licētia. Et maxima pars  
 hominū formidine fustis à malefactis tempe-  
 rat. Quū audacia (vt est apud Platonē libro  
 de legibus quinto) impudentiam pariat.

## IMPVDENTIA.

Faciem perfricare. Nudo capite.  
 Dea impudentia. Atticus aspectus.

## Explanatio.

## Faciem perfricare.

Faciem perfricuisse prouerbio dicuntur,  
 qui pudorem omnē dedidicerunt, velut ab-  
 sterfo manu à vultu pudore. Translatū appa-  
 ret à gestu quorūdam, qui dicturi, facturi ve  
 quippiam apud ignotos, manu faciē perfris-  
 cant, id quod rustici cuiusdā pudoris indi-  
 cium est, quem coneris peruincere. Hunc ge-  
 stū Quintilianus notat inter vitia pronūcia-  
 tionis libro vndecimo, Vitiosa enim (inquit)



sunt illa, intueri lacunaria, perfricare faciē, & quasi improbam facere. Eundem sensum habet Perfricare frōtem. Vnde qui sunt inuercundi, hos effrontes vocare solent.

Dea impudentia.

Dici consuevit, vbi quis ex audacia, inuercūdiāq; sua, lucrum atq; emolumentū ferret. Nam inutilis (vt ait Homerus, & cū Homero Hesiodus) verecundia viro egenti: cōplurēsq; mortales videas, quibus magno bono fuerit nihil omnino puduisse. Siquidem nullus vnq̄ rem ausus est adedō stultā, aut absurdam, quæ nō inuenerit & fautorem, & admiratorem. Multoque maxima pars mortaliū, quæ stultissima sunt, ea miratur maxime. Theophrastus in libro de legibus prodidit apud Athenienses, aras fuisse cōtumeliæ & impudentiæ dicatas.

Nudo capite.

Nudo capite facere quæpiā dicuntur, qui palām, ac citra pudorē omnem faciūt. Hinc ductum prouerbium, quod olim qui rem pudendā faciebant, ijs mos erat centonibus caput operire. Socrates tegit faciem apud Platonem in Phædro, dicturus laudes amoris.

Atticus aspectus.

Atticus aspectus, perinde est quasi dicas, os impudēs. In eos dicebatur, qui vultu ipso præ se ferebant impudentiam, dicendiq; cō-

ERASMI ADAGIORVM

fidētiam. Nam hoc vitio notati sunt Attico-  
rum mores: Hinc & Attica impudentia, pro  
magna impudentia in prouerbiū abiit.

PVDICITIA.

Hippolytū imitabor. Melanione castior.

Expositio.

Hippolytum imitabor.

Diogenianus in prouerbiorū collectaneis  
ait dictitatum de ijs, qui statuisſent pure ca-  
ſtēq; viuere. Nota eſt fabula, vel apud Euris-  
pidem, vel apud Senecam, quemadmodum  
is iuuenis odio forminei generis, Dianæ ſtu-  
dijs ſeſe totū addixerit, deſpecto Veneris nu-  
mine. Sic enim loquitur apud Euripidem.  
Veneri tuæ longum vale renuncio.

Melanione castior.

Ille dicebatur Melanione castior, qui ma-  
gnopere à mulierū congreſſibus abhorreret.  
Aiunt Melanionem quendā odio mulierū, in  
ſolitudinē demigrāſſe, perq; auia mōtium &  
nemorum, cane (quo vno conuictore uteba-  
tur) ſeras inſectari ſolitum: nec vnq̄ domum  
reuocari potuiſſe. Simili figura dicetur, Hip-  
polyto caſtior. Nā & huic ſimile venandi ſtu-  
dium, & ſimile ſœminarum odium.

IMPVDICITIA.

Osce loqui.

## Declaratio.

Osce loqui.

Osce loqui vetusto prouerbio dicebantur, qui turpiter, parumq; pudice loqueretur. Ab Oscoꝝ moribꝯ allusione sumpta: quòd apud eos spurcarum libidinũ impunitus vsus fuerit. Hinc & obscœna dicta quidã putãt, quæcunq; factu, dictũ ve turpia sint: etiam si refragatur Festus Pompeius.

## O R I G I N I S.

Et tardigradis asinis equus prodijt.	Hinc bellĩ initium.
Ex quercubus, ac saxis nati.	Piscis primũ à capite fetet.
Terræ filius.	Ab impijs egressa est iniquitas.
Nunq̃ ex malo patre bonus filius.	Mali corui, malũ ouũ Author omnium, & fons.
Esquilla non nascitur rosa.	Ex tua officina.
Ex minimis iitijis maxima.	Generosioris arboris statim planta cum fructu est.
Exiguum malum ingens bonum.	Magnorum fluminũ nauigabiles fõtes.
Bonæ leges ex malis moribꝯ procreant.	

Enarratio.

E tardigradis asinis equus prodijt.

Isto solent vti adagio, quum clarus euadit quispiã obscuro genere natus. Aut quoties ab indocto præceptore proficiscitur discipulus eruditus, quod postremũ si fiat, id diuino muneris ascribendũ. in quam sententiã est nostrũ parabolicũ tetrastichon, quod sic habet. *Vrsã prius fracto labetur in æquora cælo,*

*Tardigradus celerem q̄ det asellus equũ.  
Gnarus ab ignaro nunq̄ doctore redibis:*

! Si redeas, munus creditur esse dei. *Postest adagium & per ironiam proferrí: & per negationẽ, vt, nunq̄ ex asinis nascetur equus.*

*Ex quercubus, ac saxis nati.*

Adagiũ quadrabit vel in homines obscuro genere: vel in eos, qui sint agresti, atq; effero ingenio, moribũsque immanibus. Inde dictum, quod antiquitus in cauis quercubus, tectorum vice victitarẽt homines, atq; hinc è quercubus nati fingebantur. Inde illud, *Ex duro robore natos.* Præterea creditũ est, ex saxis à Deucalione Pyrrhãq; proiectis, mortalium genus absumptum diluuiõ, instauratum fuisse.

*Terræ filius.*

Olim homines obscuro, ignotõq; genere prognati, terræ filij dicebantur, propterea q̄ terra sit omnium cõmunis parens. Vel quod iuxta quorũdam etiã historias primitus mortales è terra nascebãtur. *M. Tullius ad Attiẽ*



cum. Et huic terræ filio (nescio cui) committere epistolam tantis de rebus nō audebam. Porro ignoti, & subito apparentes, incertum qua regione profecti, Cæli filij vocabantur, quasi repente e cælo demissi. Neq; dissimili ratione de cælo lapsi dicebantur. Iuuenalis. Tertius e cælo cecidit Cato. Quam̄ hoc magis conuenit in homines eximia virtute.

Nunq̄ ex malo patre bonus filius.

Euripides hanc sententiam prouerbio celebrem fuisse testatur, ex malo patre non progigni bonos liberos. Euripidis verba vertit Erasmus ad hunc modum. Heus heus vt illud dictitant rectè, probum Patre ab improbo non posse nasci filium. Astipulatur huic dicto prouerbium, Mali corui, malum ouum, Item illud, Non e squilla nascitur rosa. Tamē (vt ex Volaterrano, & ipsa experientia discere licet) quemadmodū ex claris parētibus ignaui liberi nati visi sūt, ita ex ignaui & improbis patribus clari & probi filij progeniti sunt aliquando. non pauci quandoquidem sanctoꝝ, crudeliū & nepharioꝝ parentū filij fuerunt: quod ex ecclesiasticis literis satis cōstat.

E squilla non nascitur rosa.

Prouerbiali figura dixit Theognis, Non enim e squilla rosa nascitur, aut hiacinth⁹. Sed neq; ab ancilla filius ingenuus. Admonet adagiū e probis parētibus nasci liberos probos,

ex improbis improbos. Simili forma dixit Horatius in Odis. Neq; imbellem feroces progenerat Aquilæ columbam. Venustius erit, si ad indocti doctoris indoctum discipulum referatur: ad improbi nutricij improbum alumnus.

Ex minimis initijs maxima.

Ad iudicandum maximas similitudines nonnunquam ex leuissimis iniuriolis nasci, non secus atq; ex minutissima scintillula grauissimum incendium, congruet illud ex quarto Iliados libro de Eride, id est, cõtentione, quod sic Erasmus vertit. Quæ primum exigua surgit, vespero ilico cælum Attingit capite, in terris vestigia ponens.

Exiguum malum ingens bonum.

Admonet adagium ex paululo incommodi, laborisq; exiguo summa, maximaq; commoda oriri, siue colligi. Nõ discrepat hinc Musonii sententia, quam commemorat Aulus Gellius libro decimo sexto, capite primo: hec autem ea est. Siquid fecerit honestum cum labore, labor abit, honestum manet. Siquid feceris turpe cum voluptate, voluptas abit, turpitudò manet.

Bonæ leges ex malis moribus procreantur.

Macrobius saturnalium libro tertio, Vetus verbum est (inquit) Leges bonæ ex malis moribus procreantur. Nã sicuti medicorum phar-

macis nihil opus foret, nisi morbis laboraretur: ita legibus ferendis nihil opus esset, nisi perperam, & male viueretur. Vnde apud Aeginitas olim pecuniaria poena mulctabatur is, qui legis instituendae dedisset occasionem. Auctor Aristoteles libro Rhetoricorum secundo.

Hinc belli initium.

Hoc adagium ad varios vsus poterit accommodari: siue quum ad incipiendum negocium accingi significamus: siue quum alicunde nata similitatem innuimus, ac tumultum rerum exortum.

Piscis primum a capite foetet.

Hoc prouerbio uti solent in malos principes: quorum contagione reliquum vulgus inficitur. In quoscunq; dominos potest torqueri, quorum malo exemplo tota familia corrumpitur. Apparet adagium ab idiotarum vulgo sumptum.

Ab impijs egressa est iniquitas.

Hebraicum est prouerbium ex libro Regum primo sumptum: quod quidem significat ab improbis semper mali quippiam exoriri: a bonis nihil malorum proficisci. Id quod testatur versus apud Graecos prouerbialis sic traditur. Probis ab animis, facta promanant proba.

Mali corui, malum ouum.

Apte vsurpabitur, quoties a malo preceptore, discipulus malus proficiscitur: ex improbo patre, filius improbus: ex patria illaudata, vir illaudatus. Deniq; facinus scelera

tum, ab homine scelesſo. Metaphorā alij referūt ad naturā animātis: quæ nec ipſa eſt idonea cibis humanis, nec ouum parit ad quicquid vtile. Sunt qui dicant fieri, vt coruorum pulſi parentes ipſos deuorēt, ſi forte non pascant illos ad ſatietatem, & hinc ductum adagiū. Alij referunt ad fabulam de Corace rhetore, & Tiſia diſcipulo conſictam: quam qui velit cognoſcere, illam ex Eraſmo diſcat.

Author omnium, & fons.

Quum indicare volemus primum omnium authorē, vnde ceu capite proficiſcantur omnia, maxima pariter, & minima: veluti ſi quis dicat ſuperbiam omnium malorum parentem: fidem omnium virtutum fontem: Homerum omnis poëſeos patrem, illud accommodabitur ex Iliados φ. Ex quo vno freta cūcta fluunt & flumina cūcta, Et cūcti manant fontesq; lacusq; profundi.

Ex tua officina.

Ex noſtra officina depromi dicuntur, quæ à nobis inuenta, noſtroque ingenio perfectæ ſunt. Ex aliena, quibus ab alio mutuo ſumptis vtimur vt noſtris. Nā officina locus, vbi opifices ſuaſ exercent artes. Sumpta metaphora ab ijs, qui aliena opera in ſuis vendūt tabernis.

Generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt.



Isto prouerbio significari videtur egregia, benèq; nata ingenia statim maturefcere: & ad frugem peruenire.

Magnorum fluminum nauigabiles fontes.

Metaphora prouerbialis: quæ significat præ potentiũ quantulacunq; plus pollere, q̄ vnũ uersas pauperum opes.

NOBILITAS, OBSCURITAS.

Generosior Codro. Terræ filius.  
 Generosior Sparta. Generosus es ex crumena.  
 Subdititius es.  
 Ne patris quidem nomen dicere possit. Matris ut capra dicitur Lychnobij.

Enarratio.

Generosior Codro.

Per ironiã rectè dicitur in istos, qui maiorũ fumosis imaginib⁹, & nataliũ antiquitate gloriantur. Ductum à Codro Melanthi filio. Melanthus à Neleo sextus: à quo Neleo prognatus & Nestor. Hic igitur Melanthus Messene patria pulsus, venit Athenas: atq; ibi cū Xantho Bœoto (qui tum Athenis imperabat) singulari certamine congressus, victor discessit: & Atheniensium imperiũ occupauit. Cui successit filius Codrus, singulari in patriam pie-

tate præcipue nobilis. Nam quū Atticis bel-  
lū esset aduersus Dores, proditūmq; esset ora-  
culo, victoriam penes Atheniensem populum  
futuram, si rex illorū ab hostibus fuisset occi-  
sus, Codrus patrię gloriam sua incolumitate  
chariorem habēs, ignota specie hostem pro-  
uocauit, & interemptus est.

Generosior Sparta.

Dicebatur in hominem excellenti animo,  
minimēq; timido, aut humili. Spartanis enim  
olim indoles aderat generosa, & ingeniu om-  
nis impatiens seruitutis: ac velut imperio na-  
tum. Vnde nec mœnibus urbem cingebant,  
legibus ita iubentibus, abunde municam ar-  
bitrantes fortibus viris. Fœditissimum autem  
existimabant quenq; è pugna rediri, nisi victo-  
rem. Id quod epigrammate quoq; testatum  
est. Nec tyrannidem in suam Rempublicam  
admittebant: sed æqua libertate parebant le-  
gibus.

Subdititijs es.

Partus adsimulati: supposititij, submissitij  
& subdititij vocantur. Inde in hominē transe-  
fertur fictum, & per dolum ab alio quopiam  
allegatū, subornatumq;.

Ne patris quidem nomen  
dicere possit.

Quadrat in vehementer obscuros & spu-  
rios, incertōq; patre natos. Quod genus est

& illud Iuuenalis, Quorum nemo queat patriam monstrare parentis. Hinc Plutarchus existimat spurios dictos nothos, quod duabus his literis prenotari soleat S. P. i. s. q. sine patre significari.

*Terræ filius.*

Olim homines obscuro, ignotoque genere prognati, terræ filij appellabatur. Huius proz uerbij mentio facta est titulo proximo.

*Generosus es ex crumena.*

In eum iaciebatur, qui propter opulentiā generosus haberi uoluisset, alioquin obscurus & humilis.

*Matris ut capra dicitur.*

In spurios dictum uidetur, quorum pater incertus est, eaque gratia à matre denominatur. Ductum ab hædis, qui in capribus, à matre dignoscuntur. nam à patribus possis haudquam. Potest & in iocum uerti prouerbiū, ueluti si quis per lusum neget se patrem agnoscere, matrē scire, dicet, Matris uelut capra uocor. Manet etiam hodie vulgi iocus, quo dicunt, sapientem esse filium, qui patrem suū norit.

*Lychnobij.*

Apparet lychnobios puerbiali ioco dictos, qui lucemariā, ideoque uelut obscurā uitā duceret: ut torqueri possit, uel in nocturnū potorē, uel in hominem supra modū studiosum: qui quemadmodū dictū de Demosthene, plus ab

sumat olei, q̄ vini. vel in sordidum & parvū.  
 quasi de lucernario victitantem oleo. Seneca  
 libro epistolarum vicesimo secundo, epistola  
 123. dictum ostēdit in lucifugā quendam, cuius  
 ius tota vita erat præpostera, adeo vt quicq̄  
 quid hominum vulgus solet interdium facere,  
 id ille faceret noctu: sub noctem expergisceretur,  
 diluculo ibat cubitum.

DEGENERANTIVM  
 IN PEIVS.

Ab equis ad asinos.	Quis parentem laudauit, nisi infelices filij?
Mandrabuli more res succedit.	
Heroum filij noxæ.	Acessas medicat <sup>9</sup> est.
Haud canit paternas cantiones.	Taurū tollet, qui vitulum sustulerit.
Filius degenerans.	Vt nūc sunt homines

Interpretatio.

Ab equis ad asinos.

Huius adagij vsus esse potest, vbi quis à studijs honestioribus ad parum honesta deflectit. Veluti si quis è philosopho cantor: è Theologo Grammaticus: è mercatore caupo: ex œconomio coquus: è fabro fieret histrio. Quadrabit item vbi quis è cōditione lautioris, ad abiectiorem deuenerit.

Mandrabuli more res succedit.



Illa res dicitur Mandrabuli more succedere, quæ in dies in peius labitur. Inde natum, quòd Mādrabulus quidam, quū thesaurum reperisset, primū auream ouem posuit Iunoni Samiæ: proximo anno argenteam, tertio æream. Non intempestiuiter itaq; prouerbiū in eos dicitur, qui in deterius abeunt.

Heroum filij noxæ.

Prouerbiū signat, id quod veteribus obseruatum fuit, præstantium videlicet virorū filios, multum à progenitorū moribus abfuisse. Qua de re Demosthienes dixit, à viris egregijs (perinde fato quodā id accidat) improbos proficisci filios. Manet & hodie vulgatus locus ex sapientissimis patribus, stultissimos propagari liberos. Euripides in Hæcraclidis generaliter hanc sententiā ad omnes mortales retulit: cuius verba sic vertit Erasmus. Vnum forsan inter plurimos intueris, qui patre non sit nequior. Huic sententiæ adfuit pulatur Homerus Odysseæ β, cul<sup>9</sup> versa hæc sunt verba. Æquat rara patrem soboles: sed plurimi ab illis Degenerant: pauci superant probitate parentem.

Haud canit paternas cationes.

De eo iactatū, qui à paternis moribus degeneraret. Solent nempe frequētissime liberi maiorum suorum cantunculis (quas admodum pueri didicerunt) delectari.

Filius degenerans.

In filium, qui à paterno degenerat instituto; siue qui nō diu fruitur à patre relictis, sed excutitur à maiorū facultatib⁹, apposite torquetur Homericus versus ex Iliados & tra⁹ ductus, ille videlicet. At non cōsennit patrijs in filius armis.

Quis parentē laudauit, nisi ifelices filij? Interpretatio est carminis vulgo iactari de ijs, qui maiorum suorū facinora iactitant, nimirum nihil habentes, quod de seipſis verè prædicent, cuiusmodi Ponticū quempiam ridet Iuuenalis satyra octaua, Sed te (inquit) cenſeri laude tuorū Pontice noluerim, sic vt nihil ipſe futurę Laudis agas: miserū est alicuē incumbere famæ. Poterit in hāc quoq; torqueri ſententiā, Improbi filij, sic laudēt parentē, dū illos ceu bonos deſyderāt homines, quod hos longe deteriores ferre non poſſint. Id quod nōnunq̄ ſolet in præcipibus vſu venire, videlicet, vt quē viuū oderāt, mortuū præbent, ac requirāt, filij comparatione bonum.

Aceſias medicatus eſt. Dici ſolitum de re quæ ſemper vergeret in deterius, quōq; magis accuraretur, hoc peius haberet. Occaſionē adagio dedit Aceſias quidam medicus imperitus, & ſtupidus, qui dū cuidam pedum dolore laboranti mederi ſtudet, auxit dōlorem.

Taurum tollet, qui vitulū sustulerit.

Adagiū signat maiora peccaturū adultū, qui puer vitijs minoribus assueuerit. Nō absurde videtur adagiū ad Milonis Crotoniatæ factum referri, qui quotidie vitulum aliquot stadijs gestare solitus: eūdem taurū factum, citra negocium gestasse legitur. Atque ita in eos quadrabit, qui paulatim rebus etiā maximis assuescunt.

Vt nunc sunt homines.

Si notabis tēporū tuorū mores, vt semper in peius degenerātes à virtute maiorū: veluti si dicas hunc, aut illum principē laudandū, vt hac tempestate sunt principes, applicabis Homerici hemistichij sensum hunc, Vt nūc sunt homines.

PROFICIENTIVM IN  
MELIVS.

Ab afinis ad boues transcendere.	Ego ex bono in bonū nū traductus sum.
Diues factus iam desit gaudere lente.	Fuit & Mandroni fiscula nauis.
Satis quercus.	Hodie nullus, cras maximus.
Non enim spinæ Iuxta cubitū profecit	I modo venare leporem, nunc Itym tenes.
Meliores nācisci aues Melius nobis est, q̄ heri.	A remo ad tribunal.

## Expositio.

Ab asinis ad boues transcendere.

Illud est Plautinū ab asinis ad boues transcendere, pro eo, quod est, ex humiliore cōditione ad ditiorum partes trāsire. Sumptum prouerbiū ex Plauti Aulularia.

Diues factus, iam desijt gaudere lente.

Lens legumen pauperum, ac tenuium ciuisibus est: quæ fastiditur, simulatq; lautior fortuna contigit. Hinc prouerbiū in eos, quibus ad vberiorē conditionē euectis, fastidio sunt ea, quæ prius inopes boni consulebant. Non dissimile illi, Alia vita, alia diæta. quod quidem in eos etiam quadrat, qui cōmutata in melius fortuna, pariter & vitæ rationē moresque commutant. Vtrunq; prouerbiū ab ijs est translatum, qui lautius incipiunt viuere, vbi res lautior obrigit.

Satis quercus.

Vetus est adagiū, in eos quadrans, qui relicto victu sordido, ad elegantiorē, lautiorēq; digrediuntur. Inde profectum, quod prisci illi mortales rudes, atq; inculti, simulatq; Ceres usum frumenti monstrauit, glandibus victitare desierūt. Quam Plinius libro sextodecimo testatur & sua ætate, multas gētes glande victitasse. Nec incōcinne quadrabit in eos, qui relicta antiqua illa virtute, ad mores, cō-



filiâq; sui seculi sese transferunt, ac recentiorū moribus vti incipiunt.

*Non enim spinæ.*

De conditione dicebatur in melius cōmutata. Sumpta metaphora à noualibus: quæ repurgatis spinis, frugiferæ incipiūt esse. Rescētè quadrabit de negotio prius īfrugifero ac molesto, vnde postea capitur emolumētum. Quidam inde natum existimant, quod̄ antiquitus ante repertam agricolationē, agri spinis īfrugiferis occupabantur, mortalēsq; duram quandam & agrestem agebant vitā. Deinde ostensa ratione colendī terrā, mītiior vitus successit. Atque hinc dici cœptum, Non enim spinæ. Et vita spinosa legitur, pro incōmoda & īfrugifera.

*Iuxta cubitum profecit.*

De eo dicebatur, qui promotus esset ad meliora, siue quū quis ordine legitimo progreditur: siue quū magnis proficit accessionibus. Cubitus enim & modū significat, vt intelligas nihil transiliendum: & modum grandiusculum, vt accipias incrementū amplius. Nam minuta latis digitis, aut palmorū porrectu metiri consueuimus.

*Meliores nancisci aues.*

Meliores nācisci aues dicūtur, quibus post res aduersas succedunt prosperiora. Nam vt apud Latinos aues & ales interdum nō ani-

mal, sed omen ipsum, & augurium significat: itidem apud Græcos, ὀτῶνός & ὄβρις.

Melius nobis est, q̄ heri.

Proverbialem habere figurā videtur illud Aristophanis in Pluto, O Blepside me melius, atque heri mihi est: quum significabimus fortunam in melius commutatā. Item illud Theocriticū. Melius cras forsan habebit. Nā heri & cras, pro præterito, futuroque tempore posita sunt.

Ego ex bono in bonū traductus sum.

Suidas indicat dici solitum de ijs, qui bonum inlicitum, bono cōmutant. Innuit q; à quodam natū, qui ex bono citharædo factus sit poëta Tragicus. Est enim poëtica musicæ cōfinis artī: vnde & musicam artem poëtice vocauit Terentius.

Fuit & Mandroni ficulna nauis.

In eos dici solitū qui præter meritū ad felicitatē, atq; opes euecti, nō meminerūt pristinae cōditionis: sed præsentī rerū successū insolentius abutuntur: ita vt ferè mos est ijs, qui ad nouas diuitias ex infima fortunæ cōditione prouehūtur. Sumptū adagiū à Mādrone quodā, qui indign⁹ & immerēs, ex nauiculario factus est imperator. Nauim autē ficulnā per contēptū dixit. Nam ficulum in genere vocant Græci, quicquid imbecille, aut contēnendum significare volunt.

Hodie nullus, cras maximus. T. 1151  
 De eo dici solitum, cui repente, præterq;  
 spem ingens aliquis honos accesserit. Et vul-  
 go, qui ex infima conditione ad dignitatem  
 euehuntur, è nihilo dicuntur emeruisse.

I modo venare leporē, nūc Itym tenes.

Plautus in captiui duo. I modo venare le-  
 porē, nūc Itym tenes, puerbiali figura dixit,  
 id est, hanc interim cœnā, qualēcunq; certam  
 habes. Quære alterā, si potes potiozem. Itys  
 eni auis, quē à Phaside Scythiæ flumine pha-  
 sianū vocant. Proinde quū iubebimus, vt qui  
 nactus sit cōmodi quippiā, ad aliud sese accin-  
 gat, non intēpestiuiter hoc vtemur adagio.

A remo ad tribunal.

Dici solitū, vbi quis repēte ab infima cōdi-  
 tione prouehitur ad honesti muneris admini-  
 strationē. Id quod contigit Iulio secūdo, pon-  
 tifici maximo, de quo in huius adagij enarra-  
 tione vide quid Erasmus, id q; vere scribat.

INITIVM LAVDATVM.

Quū paruula est, bo- ros optimos alit.  
 na videtur spina. Primū Mars in filijs  
 Primum Ægina pue- laudatus est.

Enarratio.

Quū paruula est, bona videtur spina.  
 Proverbium signat pueritiā semper ama-  
 bilem esse: quæ sæpe in odibiles mores cre-

scit. Tractū à spina, quæ interim innoxia est,  
atq; ad eò vesca etiam, donec ætate dure scat.

Primum Ægina pueros optis  
mos alit.

Dici cōsuevit de re quapiam, quæ melio-  
ribus initijs coepta, paulatim ad deterius de-  
labitur, vt pleraq; mortalium faciunt. Sum-  
ptum adagium ab Achille, Patroclo, Aiace,  
Neoptolemo: quod ij virtute præcelluerint,  
quū essent Æginitæ. Deinde labente morum  
integritate, male coeperunt audire Æginitæ,  
id quod prouerbijs aliquot testatū est. Non  
dissimile illi, Quondā fuerūt strēnui Milesij.

Primū Mars in filijs laudatus est.

De ijs dicebatur, qui initio specimen ali-  
quod indolis egregiæ præ se ferūt: deinde pau-  
latim in alios degenerant mores. Quēadmo-  
dum euenit Romanis olim strēnuis, & Mars-  
tem generis authorem virtute referentibus.  
post in degenerem prolapsis mollitiē, vt non  
sine causā Iuuenalis exclamarit. Sed vnde,  
Hæc tetigit Gradiue tuos vrtice nepotes!

#### ERROR IN INITIO.

In limine deficere,      In portu impingere.  
aut offendere.      Cantherius in porta.

Interpretatio.

In limine deficere, aut offendere.

Prouerbiū significat, statim in ipso ope



ris ingressu peccare. Ab ijs est trāslatum, qui domū egressuri, statim in limine pedem offendūt, priusq̄ quicq̄ occæperint agere. Huic contrariū est, quod in suis epistolis scribit Seneca, In summo deficit diuio, id est, in fine errat. Ducta est ab ijs translatio, qui conscenso propemodum mōte, tum delassantur, quum proximi sunt cacumini.

In portu impingere.

Eūdem cum superiori habet sensum. Sumptimq; est à nauigantibus, qui magno cum dedecore prius q̄ portu exierint, nauim illis dunt. In diuersum sensum inflexit Papyrius Fabianus referente Seneca in controuersijs. Nauim in portu mergis: de sene, qui luxuriari cæperat aliena etate. Aptè dicetur in omnes, qui negotio iam propemodū cum laude cōfecto, in extremo degenerant.

Cantherius in porta.

Cōfine est superioribus. Natūmq; Sulpitio Galba quodam, cui quum in prouinciam exituro Cantherius in porta cecidisset, Rideo (inquit) Cantherie in porta, quum tam lōgū iter sis iturus, iam lassum esse te, quū vixdū sis ingressus. Quod dictū in prouerbiū abiit. Refertur adagiū à Festo Pompeio, in dictione, Rideo, atq; indicat conuenire, quū quis in principio rei vix inchoatæ, deficit animo. Cātherius autem, est equus ex cæcis testibus, vt

ERASMI ADAGIORVM

hoc differat Catherius ab equo, quo Maialis  
à Verre, Capus à gallo, Veruex ab ariete.

PROPRII COMMODI  
STVDIVM.

Tunica pallio pro pior.	Omnes sibi melius esse se malunt, q̄ alteri.
Intus canere. Aspens dius citharædus.	Simonidis cantilenæ. Mihî ipsi balneû mi nistrobo.
Nequicq̄ sapit, qui sibi non sapit.	Sibi canere.
Ad suum quæq; quæ stum, æquû est esse callidum.	Astutior coccyce. Opta vicino vt ha beat, magis autem ollæ.
Anguillam captare.	Veniat hospes, quis quis profuturus est.
Vnâ lauabor.	Suâ quisq; homo rem meminit.
Manum admouere.	Mercator est.
Vndecûq; lucrum ca ptant.	
Genu fura propius.	

Enarratio.

Tunica pallio propior est.

Apud Plautû legitur allegoria prouerbial  
lis, Tunica pallio propior est. Quo significat  
tum ex amicis nos alijs, atq; alijs magis esse  
deuinctos; neq; parem omnium habendâ esse  
rationem. Apud veteres primû in officio lo  
cum habebant parentes; proximû pupilli no

stræ fidei crediti: tertium clientes: quartum hospites: quintum cognati & affines, vt indicat Gellius libro quinto, capite duodecimo. Præterea quædam negocia, propius alijs ad nos pertinere, signare potest adagium. Palliû extrema vestis apud Græcos, quæadmodû apud Romanos toga. Tunica toga tegebatur.

Intus canere. Aspendius citharæcedus.

Qui priuati commodi impediō studiosiores essent, ac ferè quicquid rerum agerent, id omne ad domesticam referrent vtilitatem, ij prouerbio intus canere, ijdem apud Græcos Aspendij citharistæ dicebantur. M. Tullius in Verrem actione tertia. Atq; etiam Aspēdium citharistam, de quo sæpe audistis, id quod est Græcis in prouerbio quæ omnia intus canere dicebant, sustulit, & in intimis ædibus suis posuit: vt etiam illû ipsum artificio suo superasse videatur. Facetissime taxauit Cicero Verri rapacitatē, qui intus canentem in intimis ædibus collocarit: hoc est, plusq; intus cecinerit. Discat lector ex Erasmo quid Asconius Prædianus de Aspendio citharæcedo narret: quod quia prolixum visum est, omittere libuit.

Nequicq; sapit, qui sibi non sapit.

Sententia vel hodie vulgo frequentissime iactata: frustra sapere, qui sibi nō sapiat. Eam vsurpat Cicero in epistola quadam ad Treba-

tium, ostēdens ex Tragœdia Medœa sumptā.  
 Et quādo (inquit) cœpi agere Medœam, illud  
 semper memento, Q ui sibi ipsi sapiens pro-  
 desse nequit, nequicq̃ sapit. Est autem versus  
 Trochaicus. Citatur & à Luciano versus in  
 Apologia quem sic Erasmus vertit.  
 Sapientem eum odi, qui sibi ipse non sapit.

Ad suum quenq; quæstum, æquum  
 est esse callidum.

Apud Plautum est prouerbialis sententia.  
 Ad suum quenq; quæstum, æquū est esse calli-  
 dum: quæ si transferatur paulo lōgius, pluscu-  
 lum habuerit gratiæ.

Anguillam captare.

Anguillas captare, siue venari dicuntur,  
 qui priuati compendij causa cient tumultus.  
 Inde ducta similitudine, quòd quū aqua stat  
 immota, nihil capiunt qui capiunt anguillas:  
 quum vero sursum ac deorsum miscent, ac a-  
 quam perturbant, ita demum capiunt. Qua-  
 drabit rectè in eos, quibus tranquillo Reipu-  
 blicano statu, nihil est emolumentum: proinde seditio-  
 nes gaudent exoriri, quo ciuitatis publicum  
 malū, in suū priuatum vertant commodum.

Vnà lauabor.

Dici cōsuevit, vbi quis insinuat se in socie-  
 tatem alterius: aut vbi quis admittit aliquem  
 in societatem, vti qui pauperior est, sumptū  
 effugiat. Suidas ait olim fuisse morem, vt di-



uites vnà cum pauperibus lauarēt, vt quibus propria supellex strigilum, spōgiarum, guttorum, atq; id genus rerum non esset, diuitum vterentur supellectile.

Manum admouere.

Manum admouere, siue apponere dicebantur, qui sese insinuarēt in rei cuiuspiam egrēgię communionem. Translatum à sacris, in quibus nonnunq̄ fieri solet, vt alijs rem diuinā faciētibus, alius aliquis adueniēs, admota victimę manu, fiat & ipse particeps sacrificij.

Vndecunq; lucrum captant.

In aduocatos, in calūniatores, in malos medicos, qui captant vndecūq; si quis incidit in casses, quem possint expilare, congruet illud Homericum ex Odissę E. Sēper enim quaqua patet insula, piscibus hamo Insidiabantur: ventrem famis enecat atra.

Genusura propius.

Qui gręcas paręmias collegerunt, aiunt hoc adagium ex euētū quodam natum esse. Quum in pręlio quidam cōspiceret duos amicos, pariter de vita periclitātes, fratrem & consobrīnum, neq; posset vtriq; simul ferre suppetias, omisso consobrino fratrem defendit: atq; hanc interim sententiam pronunciauit, Genusura propius, quę postea transferit in prouerbiū. Huic confine est illud Plautinum iam citatum, Tunica pallio propior: &

ERASMI ADAGIORVM

illa Hesiodi sententia. Sed nec germano quisquam  
est æquandus amicus.

Omnes sibi melius esse malunt,  
quam alteri.

Hæc sententia ex Terentio sumpta, idque in  
Andria idem cum superiori prouerbio signifi-  
cat, ex amicis nepe nos alijs, atque alijs ma-  
gis esse deuinctos: neque parem omnium habenda  
esse rationem. Idem docet adagiū illud  
iam commemoratū, Tunica pallio propior.

Simonidis cantilenæ.

De vaftris ac subdolis dictū est, nihilque gra-  
tis dantibus. Hunc Simonidē tradunt primū  
asturiā & questū in artē induxisse. Erāt illi duo  
scrinia, alterū gratiarū, alterū præmiorū: quæ  
quum post tempus aliquantum aperuisset,  
gratiarū arculam semper offendebat inanem,  
præmiorum semper plenam: hoc commento  
significans se nolle gratis donare carmina.

Mihi ipsi balneum ministrabo.

Istius adagij vsus est, vbi quis suis ipsis  
inseruit cōmodis. Aut vbi quis non expecta-  
to alieno officio, ipse suum agit negocium.  
Aristophanes, Quia si ista placet, Et ego mihi  
ipsi balneum ministrabo. Interpres admo-  
net translātū à balneis in quibus cessante bala-  
neatore ipsi qui lauant, aquam hauriunt, atque  
infundunt, Zenodotus putat & ad eos referri  
posse, qui glandes in ignem iniectas coquunt.

Fortassis haud absurde referetur ad gladium excussores. Nam Græcis βαλανιδε balneariū cauponem significat: βάλανος glandem. Atque hinc anceps prouerbij interpretatio: quod apud Græcos sic habet Εμαυ τῷ βαλανύσω.

Sibi canere.

Sibi ipsi canere dicitur, qui nō ad alienum arbitriū facit quippiam: sed animo obsequens suo. In Platonis conuiuio iubent tibicinā sibi ipsi canere. Et cantor quispiam iubet discipulum (quod populo nō admodū gratus esset) sibi canere & musis.

Astutior coccyce.

Coccyce astutior dicebatur, qui astu commodum suum curaret. Sumptum ab auis ingenio, siue natura, oua subijciētis in nidos alienos: de qua legere est multa apud Pliniū, & Aristotelem.

Opta vicino ut habeat, magis autem ollæ.

Admonet ut quisque primum sibi, quæ sunt necessaria optet, postea vicino: siue ut suum commodū alieno præferat. Potissimum enim est habere domi ea, quibus sit opus. Proximum, vicinum habere diuitem, à quo possis petere.

Veniat hospes, quisquis profuturus est.

Theopompus ( citante Zenodoto ) scribit  
[.iiij.]

hoc adagiū ex Philippi regis apophthegmate profectum esse. Nam is, vbi Thessalorum ciuitatem subuertisset, & hospites quos inibi reperit diuēdidisset, per iocū dicebat, Veniat qui proderit hospes. Admonet adagiū eorū demum aduentum esse gratum, qui commo-  
di quippiam adferunt. Ouidius. Ipse licet venias musis comitatus Homere: Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Suam quisq; homo rem meminit. Plautus in Mercatore. Suam quisq; homo rem meminit. Sententia prouerbialis, notans communem hominum morem, qui in alieno negotio dormitant, in suo quisq; & vigilat, & attentus est. Vnde rectè admonet apud Gellium Ennius. Hoc tibi sit argumentum semper in promptu situm, Nequid expectes amicos facere, quod per te queas. In eandemq; sententiā extat bellissimus Æsopi apologus de Cassita auicula, quæ negauit vllū esse periculum, donec res alienis manib⁹ esset cōmissa.

Mercator est.

Dicendum in eū, qui ob timiditatem causas commentitias prætexit, ne cogatur subire discrimen. Suidas ex Aristophane citat, apud quem quispiā inducitur, loquens in hunc modum, vt dicat sese fingere mercatorem esse, quoties ad bellum ire iubetur: quod negocia-  
tores non cogentur exire, quoniā expedie-



bat illos relinqui, quo de comœatu prospiciant. Non vsquequaq; discrepat hinc euãgelica parabola de ijs, qui inuitati ad nuptias, varijs prætextibus excusant.

EX S E S E.

Domi habet: domi rogare.  
 nascitur. Domi coniecturam  
 Domesticum malũ. facere.  
 Emere malo, quàm

Explanatio.

*Domi habet: domi nascitur.*

Id domi dicimur habere, quod in nobis situm est, neque necesse est ab alijs mutuo sumere. Trãslatũ apparet ab ea cõsuetudine foris rogandæ supellectilis, quam domi desyderes. Proinde dixeris elegãter, Quid in rebus istis felicitatem venaris? Domi habes, vnde beatus esse queas.

*Domesticum malum.*

Ad significandum priuatum, ac domesticum malum, quod ad alios nihil attineat, cõueniet illud ex Odissæ ß. Porro malum nostras q; in ædes incidit, vnũ Ad me pertinet. Emere malo, quàm rogare.

M. Tullius in Verrinis actionibus, adagijs vice citat, Emere malo, quàm rogare. Quo significatũ est, haudquã gratis accipi, quod

ERASMI ADAGIORVM

precibus emitur, imo nihil emi charius, q̄ qđ  
roganti datur. Durum enim illud verbū inge-  
nuis animis, rogo: nec inter amicos vnq̄ ex-  
pectandum, authore Seneca. Translatū à ve-  
terum consuetudine, qua vicinus à vicino su-  
pellectilem cōmodato rogabat, quā ipse fore-  
tē domi non habebat.

Domī coniecturam facere.

Quod non aliunde petitur, id domi fieri  
prouerbio dicitur. Plaut⁹ in Cistellaria. Hanc  
ego de me coniecturam domi facio, hoc est,  
mcopte experimento comperio.

DOMI VIVERE.

Domī manendum. Domī manere oportet  
Domus amica, domus optima. Domus optima.  
tet belle fortunatū.

Enarratio.

Domī manendum.

Inutile diutius abesse domo, relictis posses-  
sionibus. In quā sententiā quadrabit illud ex  
Odyssææ 7. Tu quoq; amice domo diuturnus  
abesse caueo Rebus, itēmq; viris intra tua  
testra relictis. Item Hesiodus. Esse domi præ-  
stat, quia damnosum foris esse.

Domus amica, domus optima.

Signat prouerbiū nūq̄ cōmodius, nūq̄  
liberius, nūq̄ lautius homini viuere continē-

gere, q̄ domi. Quidam per iocum detorquet  
ad testudinem, de qua fertur Apologus hu-  
iusmodi. Iuppiter quum animantiū omne ge-  
nus ad nuptias rogasset, venissentq; reliqua,  
præter vnam testudinem (Nam hæc peracto  
conuiuio tum demū aduenit) Iuppiter admi-  
rans percunctatus est, quidnam illi fuisset in  
mora, Atq; illa respōdit, Domus amica, do-  
mus optima. Iratus ille iussit, vt quocunq;  
iret, domum suam secū ipsa circumferret.

Domi manere oportet belle  
fortunatum.

Id est, Cui suppetit copia facultatum, is si  
velit felicem agere vitam, domi viuat. Nusq̄  
enim viuitur commodius (vt iam dictū est)  
nusq̄ liberius. Qui eget, peregrinando rem  
quærat, ac fortunæ experiatur aleam.

Domus optima.

Infelicissimū incertis vagari sedibus, quæ  
admodū faciunt semper *ἀνίστοι*, id est, homi-  
nes sine foco, sine penatibus, peregrinq; viuē-  
tes. Cui sententiæ astipulatur illud *Odyssææ* Ω  
Nil molestius, atq; incerta sede vagari.

### S O L I T V D O .

Ne musca quidem.

Explicatio.

Ne musca quidem.

ERASMI ADAGIORVM

Prouerbialis est hyperbole, qua maximã hominũ solitudinẽ significamus. Plautus in Truculento. Quas tu mulieres mihi narras? Vbi musca nulla, scœmina est in œdibus? Huc allusit Vibius Crispus orator delectationi natus: qui quũ rogatus ecquis esset cum Cæsare in cõclauis, respondit, Ne muscam quidem intus esse, Ancipiti ioco, Domitiani consuetudinem notans, cui mos erat quotidie sibi secretũ horarium captare, nec interim aliud ferè agebat, nisi quòd muscas captas stilo cõfigeret.

F O E M I N A E.

Fœmina nil pestilentius.	Mulierum exitia.
Ignis, mare, mulier, tria mala.	Mulieris oculus spirituum iuuenibus est.
Sublata lucerna, nihil interest inter mulieres.	Mulier pudica ne sola sit vsq̃.
Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem.	Quis non litigat coelebs est.
Nec mulieri, nec gremio credendum.	Tanq̃ chalcidica nobis peperit vxor.
	Thessala mulier.

Enarratio.

Fœmina nihil pestilentius.

Hanc sententiã Odyssæ libro μ, Homerus cõplectitur, cuius verba sic traduxit Eras-



mus. Visque adeo nihil improbius, mulierq;  
peius. Apud antiquos poetas frequenter ma-  
le audit, vituperaturq; mulierum genus. Quæ  
quidē & hodiernis temporibus strenue dāt  
operam, ne poetæ planè vaniloqui fuisse vi-  
deantur.

Ignis, mare, mulier, tria mala.

Circumfertur apud Græcos trimeter, pro-  
verbialis, quem vertit Erasmus ad hunc mo-  
dū. Ignis, fretumq; & mulier, hæc mala tria.  
Nam incēdio nihil formidabilius; mare item  
periculosissimū est. Vnde Æschylus in Persis  
scripsit vindam maris inexpugnabilem. His  
autem simillimū quiddā esse mulierem sentit  
parcemia. Porro mulierē omnem esse malā,  
perq; venuste significauit Lacon quidā, qui  
quū vxorem duxisset perpusillam, dicebat è  
malis, quod minimū esset eligendū. Fatetur  
& apud Euripidem Medæa foeminarū genus  
esse malum, Sumus (inquit Medæa) quidem  
quales sumus, nos foeminae: Neq; enim male  
ausim dicere.

Sublata lucerna, nihil interest  
inter mulieres.

Sentit adagium nullam mulierem nō esse  
impudicam, si detur facultas sine teste peccā-  
di. Erasmo videtur à vulgo sumptum, nō ab  
authoribus.

Mulierī ne credas, ne mortuæ quidē.

Hyperbole est prouerbialis, significans vsque ad eò non esse fidendum mulieri, vt etiã si morientem videas, putes fingere. Videtur sumptum à nouerca, quæ sepulta quoq; priuignum interemit, illapsa in pueri caput pyramide. In quam rem compositum est Græcum epigramma, quod in enarratione pro verbis, Odium nouercale, vertit Erasmus ad hunc modum.

Exiguo lapidi puer addit ferta nouercæ,  
Mutasse vt vitam, sic ratus ingenium.

At puerũ extinguit tumulo hæc illapsa: nouer  
Priuigni exanimẽ vel tumulũ fugite. (cæ  
Nec mulieri: nec gremio credendũ.

Festus Pompeius indicat huiusmodi prouerbium vulgo dictitatum fuisse: quòd videlicet mulier incerti, ac leuis sit animi. Fit enim plerũq; vt in gremio posita, quũ in obliuionem venerint, exurgentibus procidant.

Mulierum exitia.

De ijs dicitur, qui funditus, ac miserabiliter pereunt. Mulieres enim omniũ ferè calamitatum authores fuisse viris dicuntur. Testis Pandora Hesiodia. Testis bellum Troianum. Testis Hercules, à Deianira extinctus. Testis Danaidũ fabula. Testis Lemniarũ mulierũ historia. Testis Cleopatra. Testis Eua, prorsus infamis apud omneis Christianos. Quanq; hæc magis conueniebat stultitiæ vi

rorum adscribere, qui tantū indulgeant mulierculis, vt velut amātes amore, in quodvis malum sequantur. quum par fuerit, vt illis moderantibus, mulier natura stultior, simul & imbecillior minus desiperet. Quod enim animus est corpori, id virum oportebat esse mulieri. Verum quemadmodum vulgus sua vitia corpori imputat, quum ab animo proficiscantur: & stulti principes insanissimos bellorū tumultus imputant populo: ita viri rei ciunt in foeminas, si quid ipsi delirauerint.

Mulieris oculus spiculū iuuenibus est.

Prouerbiū signat mulierem solo aspectu in sui amorem iuuenes inflammare. Siquidē ex aspectu (vt est in alio prouerbio) nascitur amor: quod etiam admonet, oculos amorē potissimum conciliare. Non enim amatur incognitum, ex conuictu oritur amor mutuus. Et oculi præcipue sunt ad amandum illices. In his enim peculiaris animi sedes. Et in his aiunt poëtæ Cupidinem excubantem sua iacula mittere. Maro velut indicauit adagium, quum ait, *Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.* Idem rursus in *Georgicis*. *Vritq; videndo Fœmina.* Item apud Terentiū *Chærea* visa dūtaxat virgine, quā impotenter cœpit ardere.

Mulier pudica ne sola sit vsq̄.

Huius sententiæ sensus per se clarissimus

est: quæ quidem significat, non conuenire, vt pudica mulier sola, citraq; testes cū viris colloquatur. Hinc Homerus de Penelope pudicissima muliere, sic loquitur. Haud sola, ast il lam famulæ binæ comitatæ.

Qui non litigat, cœlebs est.

Diuus Hieronymus tanq̄ puerbio iactatum citat, Qui non litigat, cœlebs est. Indicat adagium, rixosum esse omne cōiugium; nec esse tranquillam vitam, nisi in cœlibatu. Hinc Iuuenalis. Semp̄ habet lites, alternaq; iurgia lectus, In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo. Astipulantur huic sententiæ prouerbiales aliquot versus Græci: quorum hæc est traductio. Mulier in ædibus atra tempestat viro. Item. Incendit omnē fœminę zelus domū. Item. Muliere nihil est peius, atq; etiā bona. Sed Hestodus in fœminas, & modestius, & verius loquutus est his verbis.

Sors potior muliere proba non obtigit vnq̄ Vlla viro; contraq; mala nil tetrius vlḡ est.

Tanq̄ Chalcidica nobis peperit vxor. De ea dicebatur, quæ liberos q̄ plurimos peperisset. Tradunt Heroinā quāpiam fuisse nomine Comben, cui cognomen fuerit Chalcidi, quod prima arma ærea cōfecerit. Ea viro cōiuncta, centū liberos enixa dicitur: sicuti proditum est in Eubœicis annalibus, & atque testatur Aristus Salaminius.



## Thessala mulier.

In veneficas, malarumq; peritas artium dici solitū. Propterea quod ea gens, præter cæteras hoc nomine notata est. Id quod ex Apuleiano asino, pluribusq; scriptoribus alijs fati liquet. Vnde Horatius in Odis. Quæ saga, quis te soluere Thessalis Mag<sup>9</sup> venenis, quis poterit deus? Eam superstitionem in Thessalos à Medæa profectam existimât: quæ quū illâ e fugeret, per aërem vecta, scriniolum veneficijs, ac magicis herbis plenum deiecerit, eaq; sparsa suppullulasse.

## A E Q V A N I M I T A S.

In re mala, animo si audi & iuste & iniuste.  
bono vtare, adiuuat.  
Iactare Iugum.

Magistratum gerens,  
Explanaatio.

In re mala, animo si bono vtare,  
adiuuat.

Meretur omnino Plautinus ille senarius ex Afinaria, vt inter adagia recēseatur. In re mala, animo si bono vtare, adiuuat. Docet autem fortiter ferendo vinci malum, quod vitari non possit. In quam rem est illud Virgilianum. Quò fata trahunt, retrahuntq; sequamur. Quicquid erit, superanda omnis

fortuna ferendo est. Rursus illud Ouidianum  
 Paupertatēmq; ferendo Effecere lenem, nec  
 iniqua mente ferendam.

Magistratū gerens, audi & iuste & iniuste.  
 Sūptum hoc adagium ex Solonis elegijs.  
 Admonet autem, vt qui in tractandis Reip.  
 muneribus versatur, patiētissimis sit auribus,  
 æquōq; animo, & bene & male audire cōsue-  
 cat: neq; facile populi vel laudibus, vel cōui-  
 cijs à recto dimoueat. Congruit huic illud  
 Sophocleū in Antigone. Sed quem insitue-  
 rit ciuitas, & parua eū audire oportet, æqua,  
 & his contraria. Potest & ad hoc accommo-  
 dari, quod quidā Romanus imperator dixit  
 se legitur, videlicet in ciuitate libera, linguas  
 item liberas esse oportere.

Iactare iugum.

Iactare iugum, est incommode ferre serui-  
 tutis necessitatem. Translatum à bubus iugo  
 nondum assuetis. Iuuenalis. Nec iactare iugū  
 vita didicere magistra. Proverbium simile est  
 illi, Contra simulū calcitrare. Congeminatur  
 enim infortunium, quod feras impatientius;  
 minuitur vero animi æquitate. Id docet supe-  
 rius Plautinum adagium, In re mala, animo  
 si bono vtare, adiuuat.

MALVM CONDVPPLICATVM.

Ne malorū memineras. Ignē igni ne addas.

Oleū camino addere.	noxiū esse, q̄ duoꝝ
Oleo incendium re-	bus.
stinguere.	Post Marathonē pu-
Morbū morbo ad-	gna.
dere.	Lis litem ferit.
Lutū luto purgare.	Litem parit lis: noxa
Pro cæco exoculatus	item noxam parit.
est.	Refricare cicatricem.
Præstat vni malo ob-	Illico hyems erit.
	Enodatio.

Ne malorum memineris.

Admonet adagiū non esse refricandam cō-  
memoratione præteritorum malorū memo-  
riam. Præteritarum nanq; calamitatum me-  
moria, illas sæpe congeminat, id q; si intem-  
pestiua sit. Thrasibulus, vbi ciuitatem Athe-  
nensium triginta Tyrannorum sæuitia libe-  
rasset, blēbiscitum interposuit, nequa præteri-  
tarum rerum mentio fieret. quam malorum  
obliuionem Athenienses amnestiā vocauerunt:  
Author Valerius Maximus libro quarto rerū  
memorabiliū, titulo de animi moderatio-  
ne. Istius igitur adagij vsus erit: quum admo-  
nebitur aliquem, ne præteritorum malorum  
memoria semet affligat: quādoquidem, quod  
factum est, infectum fieri non potest.

Ignem igni ne addas.

Ignem igni ne addas, id est, ne calamitatē  
adiungas calamitati: ne commotum magis

t. ij.

etiam commoueas: ne afflictum magis affligas. Diogenianus putat à Carbonario quodam esse natum, qui inualefcēte incendio cōflagrarit, clamans interim, ne incendium incendio addas.

Oleum camino addere.

Superiori prouerbio affinem habet sententiam, Oleū camino addere, pro eo, quod est, malo fomentum, ac velut alimoniam suppeditare, quo magis ac magis augetur. Horatius in Satyris. Adde poemata nunc, hoc est, oleum adde camino, id est, adde maioris infamiae materiam. Vsurpat hoc Diuus Hieronymus ad Eustochium. Vinum & adolescentia duplex est incendium voluptatis. Quid oleū flammæ adiicimus?

Oleo incendium restinguere.

Adagium istud usurpati solet, vbi quis ea admouet remedia, quæ malū magis ac magis exacerbāt. Veluti si quis animi tristitiam, foedis voluptatibus obruere conetur. Aut si quis offensū, iurgijs & cōuitijs velit placare.

Morbum morbo addere.

Morbū morbo addere, id est, conduplicare malū. Euripides in Alceſtide. Ne tu mihi morbo laboranti alterum Appone morbum: nam sat hoc premor malo. Eiusdem figure est Homericum illud. Vulneri vti nequis vulnus tibi forsitan addat. Sophocles item. Alterum



accumulasti morbo morbum.

Lutum luto purgare.

Lutū luto purgare dicitur, vbi res fordida fordibus tollitur: hoc est, quū sordes non tolluntur, sed aut mutātur, aut augentur etiam.

Pro cæco exoculatus est.

Omneis huiusmodi facetiarū formulæ pertinent ad adagiorum naturam, quum videamur corrigere quod dictū est, sed altero verbo quod vel idem polleat, vel magis etiam lædat. veluti si quis dicat, non furatus est, sed iuuolauit: non furatus est, sed rapuit.

Præstat vni malo obnoxium esse,  
q̄ duobus.

Aristophanes in cōcionatricibus senarium prouerbialē refert, quē vertit Erasmus ad hūc modū. Vni atq; geminis præstat inuolui malis. In prouerbium autem venit, quo vtimur, quoties vtrūq; malū euitari non potest. dāda tamen opera, quo declinemus alterum, & in id, quod minus habeat incommoditatis incurramus.

Post Marathonem pugna.

Huius adagij vsus est, vbi quis post calamitatem, in aliam nouam rursus incidit. Marathon locus est Atticæ, crebris cladibus insignis, vbi acerrima pugna fuit cum Persis. Si mille huic, Post bellum tumultus.

Lis litem ferit.

t. iij.

Adagium admonet refecādam esse iniuriā:  
nō retaliandam: alioqui quis erit recipiendū  
di mali finis, si vicissim contumelia cōtume-  
liæ reddetur?

Litem parit lis: noxa item  
noxam parit.

Senarius est prouerbialis in rixosos, & litū  
avidos, dici solitus: quibus lis ex lite, alia ex  
alia nascitur: negociū seritur ex negocio: In-  
iuria propagat iniuriam. Germanum est pro-  
ximo adagio, Lis litem serit.

Refricare cicatricem.

Quum dolor temporū spatīo iam mitior  
renouatur, *Refricari cicatrix dicitur*. Notum  
vnde metaphora ducta: nempe à corporali  
vulnere, quod iam coijt, cicatrice obductū:  
que si frictu denuo aperiat, recrudescit vul-  
neris pristini dolor. Dicimus & refricare me-  
moriā, & *suffricare memoriam*, pro eo, quod  
est, leuiter renouare, sed in malam ferè partē.

Illico hyems erit.

Aristoteles in problematis sectione xiiij. res-  
fert hunc versum, nullo citato authore, sed  
veluti vulgo iactatū. *Illico hyems fit, vbi Bo-*  
*reā accersuerit Auster*. Causam hanc adfert,  
quod Notus suapte natura nubē & imbrem  
affatim colligat. Proinde si hoc tempore Bo-  
reas accesserit, huius rigore cōgelascunt, atq;  
*ita protinus hyems*. Id tametsi vulgo simpli-

citer dictum apparet, tamen nos eò deflectere poterimus, vt dicamus ingens periculum imminere, si malum malo successerit: veluti si qui immodice discrutiat sese studij laboribus, amare etiã incipiat: aut si qui prius principi parũ gratus fuit, in plæbis etiam odium veniat: aut si regi vehemēter leni, placidòq; succedat admodum rigidus, aut cōtrà. Nam huiusmodi subitæ mutationes, maximos rerum motus solent excitare.

MALVM MALE VI-  
TATVM.

Fumum fugiens in ignem incidi.	Cucurnit quispiam ne pluvia madesceret,
Euitata charybdi, in Scyllam incidi.	& in fouea præfocatus est.
Nec cinerem vitans, in prunas incidat.	Ita fugias, ne præter casam.

Expositio.

Fumum fugiens, in ignem incidi.

Fumum fugiens in ignem incidi, id est, dũ vito grauius malum, in alterum diuersum incidi, quod & ipsum grauius sit. Hoc adagio etiam vtitur Plato, quum ait, populum, dum recusat ingenuis seruire, quasi vitato fumo, in flammam incurrere: videlicet vt seruis etiam seruire cogatur. Huc allusit Horatius, quum ait in sermonibus, Nam frustra vitiũ vitauit. t. iij.

ris illud, Site aliò prauū detorseris. Et in arte poëtica, In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

Euitata charybdi, in Scyllâ incidi.

Non dissimilem cum superiori prouerbio sensum habet. Sumptū autem ab Homericâ fabula, quæ narrat Vlyssēm, dum metu Charybdis propius ad Scyllam nauem admouet, sex è comitū suorū numero perdidisse. Quisdam aiunt Scyllam, Nisi Megarensium regis fuisse filiā: quæ propter aureū cūnem adēptum patri, in monstrum hoc marinū cōuersa sit, vt meminit Pausanias in Corinthiacis. Seruius vero indicat Scyllam Phorcī, & Cretheidis nymphæ filiā fuisse: quam quū amaret Glaucus, Circe (quæ illius amore tenebatur) quòd eum in Scyllâ propensiorē esse videret, fontem in quo nymp̄ha lauare consueuerat, magicis venenis infecit. In quem quū illa descēdisset, pube tēnus in varias mutata est formas. Nam id Circe peculiare, in ferarū figuram homines vertere. Horrens itaq; suā deformitatē, sese in mare præcipitem dedit, ac fabulæ præbuit argumentū. De rei veritate, diuersa est scriptorū opinio. Salustius putat esse saxam in mari prominens, quòd procul visentibus muliebrem formā imitetur: in quòd illisi fluctus, quoniā & luporū eiulatū, & canum latratū videntur imitari, finxerūt ille



lam à pube huiusmodi feris succinctam esse. Nō pauca alia ex instituto omitto, quæ Eras- mus in hanc rem adfert. Adagio autē trifariā vti licebit: vel quū admonebimus, si quando in eas rerum angustias deuentū fuerit, vt cis- tra dispendiū discedi nō queat, è duobus ma- lis, id quod leuius est eligamus, videlicet Vlyf- sis exemplo: & magis in eam vergamus par- tem, vbi sit minus iacturæ. Quod genus, si quis pariter & de salute, & de pecunia peri- clitaretur, malit propior esse pecuniæ, q̄ vitæ periculo: propterea quod facultatū iactura, vtcūq; sarciri potest: vita semel amissa, nunq̄ restituitur. Vel quū ostendemus negociū an- cept, & periculosum, in quo summa mode- ratione sit opus, vt in neutrā pecces partem. Hic iam non habebitur ratio, vtrū maius sit periculum: verū hoc tantū intelligitur, ingēs vtrobiq; discrimē subesse. Prioris exemplum fuerit. Memento longe satius esse in dispēdij Scyllā incidere, q̄ in valetudinis charybdim. Præstabilius est in rei pecuniariæ iacturā, ve- lut in Scyllam incurrere, q̄ in ifamiæ Charyb- dim incidere. Posterioris modi sit hoc exem- plum. Hoc curandū, vt ita populo studeas, ne principis offendas animū. Cautè circūspe- ctēq; rem gerito, memor tibi inter Scyllam & Charybdim esse cursum. Tertius fuerit mo- dus, si inuertas hoc pacto. Dum parum eru-

ditus videris times in arrogantis opinionem incurristi, hoc est planè, quod dicitur, Dum Scyllam vitas, in Charybdim incidisti.

Ne cinerem vitans, in prunas incidas.

Ne cinerem vitans, in prunas incidas, hoc est, ne sic defugias malum hoc, aut illud, vt in aliud longe maius incurras.

Cucurrit quispiã ne pluuia maderet, & in fouea præfocat<sup>9</sup> est.

Istius adagij vsus sit, vbi quis leuius malũ incautius fugiens, in maximũ incurrit. Videtur è vulgo sumptum ab Apostolio.

Ita fugias, ne præter casam.

Extat apud Terentiũ in Phormione cum primis venustum adagiũ, Ita fugias, ne præter casam: quo quidem admonemur, ne sic aliud vitiũ fugiamus, vt in aliud maius incauti deuoluamur. Nos trapte culpa facimus (inquit) vt malos expediat esse dum dici nimiũ nos bonos studemus, & benignos. Ita fugias, ne præter casam, quod aiunt. Verba sunt Demiphonis senis semet accusantis, quod dum auari famam, plus satis cupide studeret effugere, stulti reprehensionẽ incurrisset. Donat<sup>9</sup> adagij metaphorã hunc ad modũ enarrat (si modo commentũ hoc Donati videtur esse) Ita fugito, ne tuã casam prætermittas, quæ sit tibi tutissimũ exceptaculum. Aut ita fugi<sup>9</sup>

as, ne præter casam, vbi custodiri magis, & prehēdi fur, & multari verberib<sup>9</sup> potest. Aut verbū erat (inquit) furē exagitātis, & interea prouidētis, ne ante casam transeat, ne in prætereundo etiam inde aliquid rapiat. Primum interpretamentum Erasmo magis arridet.

## M A L V M A S S V E T V M.

Callum ducere. Neque enim ignari sumus.  
 Assuevit malis. Nota res mala optima.  
 Dies adimit ægritudinem. ma.  
 Malorum assuetudo.

## Elucidatio.

Callum ducere.

Prouerbiales metaphoræ sunt, Callum ducere. &, occalescere, si quidem ad animū detorqueatur. Quintilianus libro duodecimo. Et ingenio adhuc alendo callū inducere. Sæpicule legimus apud Marcum Tullium, occaluisse aures.

Assuevit malis.

In eum, qui ferendis contumelijs assueuerit, congruet illud ex Odyssææ ꝑ. Jam minime plagas tolerare rudis, neq; iactus.

Dies adimit ægritudinem.

Menedemus in Heautōtimorumenō Terentiana, nominatim adagij vice refert, Aut

ego (inquiēs) profecto ex ingenio egregie ad  
 miserā natus sum: aut illud falsum est, quod  
 vulgo audio dici, diem adimere ægritudinē  
 hominibus. Eodē spectasse videtur Sopho-  
 cles in Aiace flagellifero: qui scripsit, Tēpus  
 esse facilem deum, videlicet quod omnia le-  
 niat, molliatque. Vnde Ouidius. Quod male  
 fers assuesce, feres bene: multa vetustas Le-  
 nit. Euripides in Alceſtide. Tempus dolorem  
 leniet.

Malorum assuetudo.

Qui malis assuevit, ac permulta tulit, cō-  
 modius fert & aliud, si quod incidit infortu-  
 nium. In quē conuenit illud Homericū sum-  
 ptū sub Vlyſſis persona, iam tuli & ante malū  
 multū, multūmq; laborum Fluctibus & bel-  
 lis: age & hoc accesserit illis.

Neq; enim ignari sumus.

Vbi quis ad tolerantiam præsentium incom-  
 modorū, animat sese præteritorum malorum  
 recordatione, non infestiuiter vsurpabit illud  
 Homericū, ex Odyſſeæ libro v. Obdures ani-  
 me, & quōdam grauiora tulisti. Id æmulans  
 Virgilius, O passi (scribit) grauiora, dabit de-  
 us his quoq; finem. Durate, & vosmet rebus  
 seruate secundis. Cōsimiliter Horatius in O-  
 dis. O fortes, maiorāq; passi Mecū sæpe viri.

Nota res mala optima.

Plautinum illud in Trinumo prouerbiali



schemate dictū videtur, Nota res mala, opti-  
 ma est. Dictum est autem sub persona senis,  
 suadere conātis amico, ne vxorē tametsi ma-  
 lam repudiaret, aliam ducturus. Propterea  
 quòd plerūq; sit, vt qui cōmutat primū, pro  
 malo peius accipiat, tum ignotū pro noto:  
 postremo insuetū, pro familiari. Tantū enim  
 valet assuetudo, vt mala, quibus assueueri-  
 mus optima videantur. Cōtrā, quæ sint opti-  
 ma, propter insolentiam pessima videantur.  
 Adagium itaq; deterret, ne temere nouandis  
 rebus studeamus, vitemūsq; vitium illud maxi-  
 mū, quod Græci φιλόκαινον appellat, id est,  
 nouarū rerum appetentiā: cui comes alterū  
 veluti germanum, quod ἀψινονον vocāt, quo  
 mox fastidiuntur paulo ante adamata.

MALI RETALIATIO.

Neoptolemi vindicta. Dedi malum, & acce-  
 Temeraria mala. pi.

Cædimus, in q; vicem Qui quæ vult, dicit:  
 præbemus crura sa- quæ nō vult audiet  
 gittis. Eodē bibere poculo.

Expositio.

Neoptolemi vindicta.

Istius adagij vsus sit: vbi quis patitur ea-  
 dem, cuiusmodi patrauit in alios. Id Pausa-  
 nias in Messeniæ refert, cuius verba vertit  
 Erasmi hoc modo. Sane peruasit ynde quaq;

Lacedæmonios Neoptolemea (sicuti vocāt) vindicta. Siquidem Neoptolemo Achillis filio, qui Priamum in ipsis palatij focis occiderat, vicissim euenit, vt & ipse apud Delphos ad Apollinis aram occideretur, Atq; hinc ortum, vt vbi quis idem patitur, quod in alios fecit, Neoptolemeam vindictā appellent.

## Termeria mala.

Veteri prouerbio dicuntur Termeria mala, quæ sunt ingentia: quoties mala, quæ quis in alios impegit, aliquando in ipsius caput reuertantur. Huius adagij meminit Plutarchus in vita Thesei, qui quum Herculis exemplo terras obiret, nocentes (quos superasset) eadē poena solitus est afficere, quam illi per sententiam in alios exercuissent. Nā Hercules Domasum de rupe editissima præcipitē dedit: Busyridem parentauit. Antæum palæstra superatum occidit. Cygnū gladiatorum more confecit. Deniq; Termerū humana capita confringentem, verberibus itidem contudit. Vnde in eos, in quos sua malefacta retorquentur, prouerbio dicitur, Termeriū malum. Est autem supplicij genus, vel in primis fauorabile, quū poena sceleri respondet, quemadmodum de Thuryno fumī venditore, qui fumo necat⁹ legitur: Et Perillo, quē Phalaris æneo impositū tauro, suo ipsius inuento perdidit. Cædim⁹, inq; vicē præbem⁹ crura sagittis.

Persius satyra quarta, Cædimus, in q; vicē præbemus crura sagittis: id est, vicissim capimus, & capimur: ridemus, & ridemur: mordemus, & mordemur: lædimus, & lædimur. Sumptum à militia.

Dedi malum, & accepi.

Beticum adagium est, quo licebit vti quoties eiusmodi permutatio videbitur facta, vt malum pro malo sit redditū: & par pari relatum. Veluti si quis improbū generū dedisset: ac nulum item improbam recepisset. Recensetur & explicatur à Plinio Iuniorē in epistolis. Cecilius (inquit) Classicus homo fœdus & aperte malus, consulatū in ea parte non minus violenter, q̄ sordide gesserat, eodē anno, quo in Africa Marius Priscus. Erat autē Priscus ex Betica, ex Africa Classicus: inde dictum Beticorum (vt plærunq; dolor etiā venusos facit) non illepidū ferebatur. Dedi malum, & accepi.

Qui quæ vult, dicit: quæ nō vult audiet.

Si dixeris, quæ vis: quæ nō vis audies. Diuus Hieronymus in Rufinū, nominatim pro verbis loco citat, Nihil super hoc audies (inquit) nisi illud è triuio, Quū dixeris, quæ vis: audies, quæ nō vis. Terentiū in Andria. Si mihi pergit, quæ vult, dicere: quæ non vult audiet. Adagij sensus clarus est: signat quidē, vni cuiq; talia dici solere, qualia ipse alijs dicat.

Eodem bibere poculo.

Eodem poculo bibere, est iisdem affici in commodis, malisq; communibus obnoxium esse. Plautus in Cassina. Ut senex eodem hoc poculo, quo bibi, biberet. Translatū vel à bibendi certaminibus: vel ab ijs, qui metuunt venena. Idem hodiēq; nostrati vulgo tritissimum manet. Etenim si quando minantur, se parem gratiam relaturos: aiunt se de eodem porrecturos poculo.

MALVM ACCERSITVM:  
AVT RETORTVM.

Ilíensis Tragædos cō duxit.	ipsum struxisti.
Suo iumento sibi ma lum accersere.	Ex ipso boue lora sus mere.
Suo sibi hunc iugulo gladio, Suo telo.	Mala attrahēs ad sese, vti Cæcias nubes.
Suo ipsius laqueo ca ptus est.	Omnes attrahens vt magnes lapis.
Incidit in foueā, quā fecit.	Neqd suo suat capiti. Spontanea molestia.
Suo ipsius iudicio pe rit Sorex,	In cælum expuis.
Captātes capti sum⁹.	In tuum ipsius malū lunam deduces.
In venatu periit.	Eurycles.
Hanc technam in te	Dares Entellum proa uocas.



Atlas cælum.	In me hæc cudeſ faba.
Coruus serpentem.	Faber cõpedes, quas
Bis interemitur, qui suis armis perit.	fecit, ipse gesset.
Colubrum in sinu foſ uere.	Ipsi testudines edite, qui capistis.
Ipsæ sibi mali fontem reperit.	Nostris ipsorum alis capimur.
Capra gladium.	Carpethius leporem.
Prudens in flammam mittere manum.	Cornix scorpionem.
Calidum prandiũ co medisti.	Cornutã bestiã petis, Irritare crabrones.
Malum consilium cõs ultori pessimum.	Octipedem excitas.
Bæotijs vaticinare.	Anagyrim cõmoues, Suem irritat.
Camelus desiderans cornua, etiã aures perdidit.	Leonem stimulas, Leonem radere.
Bellerophõtes literas Phoci conuiuium.	Fontibus apros: flo ribus Austrum.
Turdus ipse sibi ma lum cacat.	Malum bene conditũ ne moueris, Mouere Camarinam.
	Pyraustæ interitus, Ipso cratere.

## Interpretatio.

Iliensis Tragædos conduxit.  
 Vsurpatur, vbi quis prouocat quempiam,  
 vnde sua audiat probra. Veluti si Troiani ac  
 cersant histrionẽ, qui ipsis calamitates, quas  
 semel pertulere, de nouo quasi renouet. Lucia

nus. Itaq; planè idè nobis accidit, quod Iliensibus: vt qui istum ceu *Tragædum* quempiã aduersus nos excitauimus, qui Phrygum cãtet calamitates.

Suo iumento sibi malum accersere. Qui ipse sibi malorũ est author, suo iumẽto sibi malũ accersere dicitur, tanq̃ suo sumptu, suaq; opera, quasi suopte plauastro, maiorum sarcinam adportet sibi. Sumpta metaphora à plaustris onerarijs. Nam id quoq; significat iumentum, authore Gellio. Aut sumptum est prouerbiũ ab animalibus tergo vestantibus onera.

Suo sibi hũc iugulo gladio, *Suo telo.* *Suo gladio,* suo ve telo ingulari dicitur, qui suis ipsius dictis retincitur: aut qui suopte inuẽto, dolore capitur: deniq; in quem quocũq; modo, seu dictum seu factum retorquetur, quod ab ipso profectum sit. Eodẽ pertinent & illa Ciceronis, *In tuum ipse mucrone incurras* necesse est. *Rursum.* Hic est defensionis tuæ mucro, in eum incurrat oratio tua necesse est. Neq; vehemẽter hinc abludivit *Liuianum* illud, *Sentiebat Hannibal suis se artibus peti.*

Suo ipsius laqueo captus est.

Huius adagij vsus est, quum dolus in alterũ excogitatus, in caput authoris recidit, ita vt non raro consueuit accidere. Refertur in

Odis Dauidicis psalmo nono, In ipso (inquit) laqueo, quem absconderant, cōprehensus est pes eorum. Nota metaphora, nempe mutuo sumpta ab ijs, qui instructis pedicis, auibus, aut feris insidias tendunt.

Incidit in foueam, quam fecit.

Eundem habet sensum, Incidit in foueam, quam fecit: referturq; in Odis Dauidicis psalmo septimo, Lacum fodit, & aperuit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Trāslatum vel ab ijs, qui foueis effossis, aut reliquis id genus decipulis, feris insidiantur: vel à bellis, in quibus aliquoties suffossis cuniculis, hostis hostem captat.

Suo ipsius indicio perit forex.

Terentianum est istud, idq; in Eunucho, ubi sic scribitur. Egomet meo indicio miser quasi forex hodie perij. Donat<sup>9</sup> admonet esse prouerbiū in eos, qui suapte voce produntur. Atq; hinc existimat ductam metaphorā, quòd soricum proprium sit, vel stridere clarius, q̄ mures: vel strepere magis quā obrodunt friuola, ad quam vocem multi se intendētes, quī per tenebras noctis, trāsigūt eos.

Captantes capti sumus.

Quum res præpostere euenit, vt ipsi circumueniamur ab ijs, quibus conabamur imponere. Id quod non raro solet usu venire, vt in eas incidamus pedicas, quas alijs struxerat

mus. Sæpe enim fit, vt qui simulat amorem, quo puellam in amorem pelliciat, ipse vero incipiat amare. Et qui dat operam, vt inuitatiunculis alium conetur efficere temulētum, ipse reddatur ebrius: & qui finitimum moliatur imperio depellere, ipse suum amittat imperium. Translatum aut à bello: aut piscatione, ceu venatu.

In venatu perijt.

Eundem habet sensum, In venatu perijt. Lucianus in Toxaride. Et ipsa venatu perijt, hoc est, dum adolescentem venatur, studēteq; irretire, etiam ipsa sese perdidit. Quinetiam illa ipsa, Venari laudē, Aucupari famā, pro uerbiales sunt metaphoræ. Et expiscari, pro sciscitari, atq; exquirere.

Hanc technam in teipsum  
struxisti.

Eandem habet sententiam cum illo, Suo ipsius laqueo captus est, Lucianus. Itaq; cōmentum in tuum ipsius exitium reperisti. De heredipeta dictum: qui veneno, quo senē appetiuerat, ipse forte fortuna captus interiit.

Ex ipso boue lora sumere.

Ex ipso boue lora sumere dicuntur, qui quo lædunt quempiam, id ab ipso quem lædunt, accipiunt. Veluti si quis versibus incesseret eum: à quo carminis componendi rationem didicisset. Aut tyrānus pecuniam extorqueat



à ciuibus, qua satellitium ad opprimendam ciuitatem alat. Metaphora sumpta est ab agricolis, qui lora cédunt è boum tergoribus, quibus boues vinciunt.

Mala attrahens ad sese, vti  
Cæcias nubes.

Sensus est versus senarij apud Græcos pro uerbo celebrati in eos, qui sibiipsis litium, ac negociorum materiam pariunt, accersuntque. Ductum ab eius vëti natura, cui nomen Cæcias, quem Plinius media inter aquilonem & exortum regione flare scribit: & vnum contra aliorum septentrionalium ventorum naturam nubes non pellere, sed attrahere.

Omnes attrahēs vt Magnes lapis.

Confine est superiori. Metaphora ducta à natura lapidis, ferrum ad se trahētis, & attractum tenentis: quem quidam eundem putāt cum eo, quem Heracleum vocant.

Nequid suo suat capiti.

Terentius in Phormione prouerbiali figura dixit, Nequid suo suat capiti, pro eo, quod est, nequid mali illi cōciliet. Respondet illi Homero Odysseæ π. Cur tu Telemacho mortem suis, exitiumque?

Spontanea molestia.

Celebratur inter Græcos bellus & elegans trimenter, cuius sensus est. Vltroncus dolor est parare liberos. Dici non potest, quantum

& q̄ molestum negocium sit, educare filios: presertim quum adeò pauci sint qui parètum officio respondeant. Verum hanc molestiam, nō est, cui possint imputare, quum liceat casū libem viuere. Longius trahī potest, ad eos, qui sibi sponte periculū ac molestiam accersunt. Adeoq; simillis propemodum conditio est, tollentium liberos & scribentium libros. Tuendum, emendandum, quod scripsens, & tamen non est, quem incusemus: quum nobis liberum sit dormire.

In cælum expuis.

In cælum expuis, id est, facis quod in tuum ipsius recidat caput: aut obloqueris ijs, qui facile possint lædere. Siquidem qui in cælum expuit, primum videtur cælites ipsos afficere cōtumelia: deinde fit sæpius, vt sputum in ipsius faciem recidat. Adagium confine illi, Aduersus stimulum calcitrare.

In tuum ipsius malum lunam deduces.

Maleficæ mulieres incantamentis quibusdam lunam in terram detrahere credebantur antiquitus. Vnde Virgilius, Carmina vel cælo possunt deducere lunam. Prouerbiū igitur hinc sumptū, dicebatur de ijs, qui suis ipsorū artibus sibi malum accerserēt. Quod genus, si quis callidis rationibus effecisset, vt accerseretur aliquis, deinde eueniret, vt ab eo, quē

accersendum curasset, subuerteretur.

Eurycles.

Eurycles vulgato cognomine dicebatur, qui de se, suisq; incommodis aliquid diuinaret. Nā hoc nomine vates fuit quispiam Etasirmythos cognominatus.

Dares Entellum prouocas.

Conueniet vti, si quando quispiam iuuenili temeritate lacesset aliquem, nō perinde prōptum ad suscipiendum certamen, verum intolerādum, si semel inierit. Qui senum ferme mos, vt libenter suffugiant negocia: suscepta pertinaciter gerant. Sumptum ex quinto Æneidos: vbi Dares quispiam viribus fretus, & ferox iuuenta, vitro profliens in mediū, quē vis ad certamen prouocat. Assurgente nemine, deterritisq; reliquis, iam perinde quasi victor, præmium flagitat ab Ænea. At Entellus senex, & iam pridē ab huiusmodi genere certaminum feriat, infligante partim Aceste, partim veterum victoriarum memoria, tandem surgit cestibus dimicaturus. Is diu suo consistens loco, iuuenem insolentius circumsilientem tulit: donec frustrato ictu lapsus, pudore sic recanduit, vt Daretem iam longe imparē plane confecturus fuerit, nisi eū Æneas intercedens eripisset.

Atlas cælum.

Atlas cælum, subaudiendum, suscepit. Dici

v. iij.

ERASMI ADAGIORVM

folitum de ijs, qui sese magnis & molestis in-  
uoluūt negocijs, ipsi q; sibi malum accersunt.  
Nam hic cælum hospitio exceptit. Deprehen-  
sus autē quòd illi struxisset insidias, præcep-  
sus est in mare Atlânticum. Nota est fabula  
de Atlante, cælū humeris & vertice sustinēte.  
Coruus serpentem.

Coruus serpentem, subaudiēdum, rapuit,  
aut simile aliud verbū. Dicitur, vbi quis suo  
ipsius inuento perit. Sumptum ex Apologo  
quodam Æsopi. Coruus esuriens serpentem  
in aprico dormientem conspiciatus rapuit: à  
quo morsus perijt. Cognatum illi, quod pau-  
lo post sequetur, Cornix scorpionum.

Bis interimitur, qui suis armis  
perit.

Mimus est prouerbialis, incertū cuius: qui  
signat, magis dolere incōmoda, quibus ipsi  
dedimus occasionem. Natū apparet ex Æso-  
pico Apologo: quem Gabrias quidam versi-  
bus iambicis complexus: quos quidē versus  
traduxit Erasmus ad hūc modū Q uondam  
icta pectus aquila vulnus inspicit, Multum q;  
lachrymans præ dolore constitit, Pennatum  
vt autem spiculum cernit, papæ, Ait ala me  
aligeram graui exitio dedit.

Colubrum in sinu fouere.

Colubrum in sinu fouere dicitur, qui com-  
plectitur amore, studioq; prosequitur homi-



nem ingratum, & aliquando per occasionem nociturum. Sumptum est ab Apologo quodam, qui Æsopi nomine fertur. Eum Gabrias quidam iambicis carminibus expressit: quæ vertit *Erasmus* hoc modo. *Sinu fouebat quidam agricola viperam Gelu rigentem: at hæc calorem vt senserat, Ferit fouentem, moxque perimit vulnere. Ingrati ad hunc benemeritos tractant modum.*

Ipse sibi mali fontem reperit.

Sensus est senarij Græci prouerbio celebrati in eos, qui sibi ipsi malorum causa essent.

Capra gladium.

Eodem pertinere videtur, Capra gladium, subaudi, reperit. In eos, qui ipsi reperiunt, quo pereant. Ortum ab huiusmodi quodam euentu. Olim quum Corinthij Iunoni Ærææ rem diuinam facere pararent, cuius Iunonis statuam aiunt à Medæa positam fuisse, atque ij, qui ad hostiam præbendam erant conducti, defosso sub terra cultro, oblitos sese adsimilarent, Capra pedibus exscalpens eum eruit, prodiditque itaque ita mactata est.

Prudens in flammam mittere manum,

Diuus Hieronymus quodam in loco prouerbium usurpat huiusmodi: Prudens in flammam manum immitto, pro eo, quod est, sciens expono me discrimini, malis que obijcio. Sumptum videri potest ab historia Mutij Sceuolæ.

Calidum prandium comedisti.

Plautinum est illud. Calidum hodie prandium comedisti, id est, fecisti quod tibi magno malo sit futurum. Ab his sumptū, qui se noxijs, ac lætiferis ingurgitant cibis, postea ventris tormina sensuri.

Malum consiliū cōsultori pessimū.

Senarius est prouerbialis in eos, in quorū caput recidit, quod alijs perperam consuluerunt. Siquidē (vt Græci dicunt) Sacra quedā res, est consilium. Atq; vt est libenter accipiendū, quū res postulat, ita est religiose, citrà que fraudem dandum, si quis egeat. Alioqui non defuturum est numen aliquod, quod pœnas repetat ab eo, qui rem sacram, ac diuinā perfidia violarit. Aulus Gellius noctūm Atticarum libro quarto, capite quinto, putat adagium ex historia quadā natum: quam vt longiusculam adscribere non libuit.

Bœotijs vaticinare.

Abominātis est sermo, peride vt dicimus. Hostib⁹ ista vaticinare. Capitū cane talia demēs Dardanio. Et, Hostium vxores, pueri q; cæcos sentiant motus oriētis austri, & æquoris nigri. Et, Hostibus eueniant cōuluia talia nostris. Aptius dicetur in eum, qui tristia vaticinatur, si quando præcabimur, vt ea in ipsius caput recidant. Zenodotus ab euētū natum scribit. Olim (inquit) quum Thebani de

belli euentu consulerent oraculum, vates quæ  
 tum Dodonæ responsitabat, ait eos fore vi-  
 ctos, si quid impie patrasent. Itaq; consule-  
 torum quidã arreptã Myrtilam (nã id mulie-  
 ris fatidicæ nomen) in leberẽ aqua calida fer-  
 uentẽ, qui forte inibi aderat, inijcit. Sunt qui  
 narrẽt Bombum diuinum quendã Thebanis  
 de belli successu sciscitantibus, respondisse fu-  
 turum, vt q̄ plurimos vincerent, si prius quẽ-  
 piam è ducibus immolassent. At illos Bom-  
 bum ipsum interemptũ immolasse. Atq; hinc  
 ortum prouerbiũ.

Camelus desyderans cornua, etiam  
 aures perdidit.

Conuenit in eos, qui dum peregrina sectã-  
 tur, ne sua quidem tuentur. Sumptũ ex Apo-  
 logo de Camelis, qui per oratorem cornua à  
 Ioue postularunt. Ille offensus stulta postula-  
 tione, aures quoq; resecurit.

Bellerophontes literas.

Subaudiendũ verbũ aliq̄d accõmodũ sentẽ-  
 tiæ, veluti, adfert, aut aliud aliq̄d. Locus erit  
 huic prouerbio, quũ quis literas veluti cõmẽ-  
 datitias perfert: quẽ cõtra ipsũ sint descripte.  
 Vulgo literas Vrize vocãt. De literis Bellerõ-  
 phõteis Erasmus adscribit fabulã: quæ, quia  
 longiuscula, huc adscribenda non est visa.

Phoci conuiuium.

Dicitur, vbi quis suo malo conuiuas acci-

pit. Tametsi nihil vetat, quo minus longius etiam traducatur: nempe ad quosvis, qui læduntur ab ijs, de quibus benemeriti fuerint. Aiunt Phoco cuiusdam filiam fuisse iam nuptijs maturā. Is procos (nam erāt cōplures) conuocare solitus præmia statuebat, & cōditionibus subide nouis propositis, nuptias prærogabat. Quā ob rē indignati iuuenes, Phocum in conuiuio trucidarunt. Atq; hinc natū prouerbiū.

Turdus ipse sibi malum cacat.

In eos dici solitū, qui sibiipsis ministrarent exitij causam. Siquidem visum (authore Plinio) nō prouenit, nisi maturatū in ventre, ac redditū per auū aluum maxime palumbiū, ac turdorum. Quoniam autem visco capiuntur aues, ipsæ sibi malum cacant.

In me hæc cudetur faba.

Terentius in Eunucho. At enim isthæc in me cudeť fabula. Hoc est, Donato interprete, in me malum hoc recidet: in me hæc vindicabitur culpa. Translatum vel à faba, quæ cū siliquis exuitur ac batuitur, aut fustibus intertunditur, ita vt fit in areis more rusticorum: non ipsa perinde laborat, sed id demū, in quo cuditur. Alij malunt ad male coctam fabam referre: quæ si quando non maduerit, sed dura permāserit, ab iratis heris supra coqui caput saxo nonnunq̄ cōminui consueuit;



tanq̄ fabam viciscentibus non coquū, quum  
vniuersum interim malū ad coquū pertineat.

Faber compedes, quas fecit,  
ipse gessit.

Cōpetit in eos, qui sibi ipsi authores sunt  
malorū. Videē è Theognide poeta sumptū,  
qui sic ait. Vincula nemo sibi cudit charissi-  
me Cyrne. Huic simile quiddā vulgo dicit,  
Flagellum ipse parauit, quo vapularet. Idq;  
sumptum à pueris, qui coguntur aliquoties  
ipsi parare virgas, quibus vapulent.

Ipsi testudines edite, qui cæpistis.

In eos iacitur, qui posteaq̄ inconsulte quip-  
pam adorti sunt, aliorum implorāt auxiliū,  
quos suo negotio admisceāt. Parœmia nata  
ex Apologo, q̄ sic habet. Piscatores aliquot  
iacto reti, testudines eduxerunt. Eas quum  
essent inter sese partiti, neq; sufficerent omni-  
bus comedendis, Mercurium forte acceden-  
tem inuitarunt ad conuiuiū. At is intelligens  
se neutiquā humanitatis gratia vocari, sed vt  
eos fastidito cibo subleuaret, recusauit: sus-  
citq; vt ipsi suas testudines ederēt, quas cæ-  
pissent.

Nostris ipsorum alis capimur.

Conuenit in eos, qui ipsi præbent occasio-  
nem sui malī. Natū videtur ab Apologo hu-  
iusmodi. Aquila iecta sagitta, quū inspexisset  
iaculum ad imaginem pennarū effectū, imis-

tatūmq; dixit, Hæc non ab alijs, immo pen-  
nis proprijs capimur.

**Carpathius leporem.**

Carpathius leporem, subaudiēdū, querit,  
aut aliud aliquot verbū, quod sentētiae sit ac-  
commodū. In eos dicitur, qui sibi rem noxiā  
accenserent. Hinc deductum adagium: quod  
quū in Carpathiorū insula lepores nō essent,  
illi curarunt importandos alicunde. Verū ubi  
ei<sup>9</sup> animātis magna vis increuisset (vt est mi-  
ra fecūditas) fruges isule populari cœperūt.

**Cornix Scorpionum.**

Cornix Scorpionum, subaudi, rapuit. Qua-  
drat in hos, qui parant eos lædere, vnde tan-  
tundem mali sint vicissim accepturi. Quēad-  
modū Cornix correpto Scorpio, arcuata illi<sup>9</sup>  
us cauda, vulnus accepit letale, perijt q;.

**Cornutam bestiam petis.**

Torquetur in eum, qui lacessit eū, qui pa-  
ratus sit retaliare iniuriā, quēmq; nō nisi tuo  
malo prouoces. Huc spectauit Horati<sup>9</sup>, quū  
ait in Odis, Parata tollo cornua.

**Irritare crabrones.**

Irritare crabrones dicūtur, qui illos prouo-  
cant, à quibus malū allaturi sunt, siue qui alie  
quos in suam prouocant perniciē. Plautus in  
Amphitrione. Irritabis crabrones. Quod dis-  
ctum est à poëta in mulierū ingeniū: quibus  
tratis si repugnes, magis prouoces, neq; sine

tuo malo discedas. Est autē crabro insecti genus affine vespis pertinacissimū, aculeoq; pestilētissimo. Siquidem refert Plinius naturalis historiæ libro vndecimo, capite xxj. Crabro nū ictus haud temere sine febris esse. Additq; traditū à quibusdam, ter nouenis huius animantis punctis, interfici hominem.

Octipedem excitas.

Octipedē excitas, id est, Scorpiū excitas. Hoc est, illū prouocas, qui tibi exitiū sit allaturus. Scorpio nāq; pedes sunt octo: ac plærūq; sub saxi abdītus cubat: quē nō nisi suo periculo aliquis suscitet, ppter venenū, qđ in cauda gestat. Anagyrim cōmoues.

In eos torqueſ, qui sibi ipsi malorū auctores essent, quiq; in suā ipsorū pernitiē quēpiā irritarent. Vnde ducta sit parœmia, varie narratur ab authoribus. Vide Erasmus.

Suem irritat.

In auidū rixarū dicebat. Sus enim agrestis prouocatus, rectā petit eū, à quo prouocat⁹ est. Sic enī narrāt venādi periti, si quis suem lancea protēsa prouocarit, etiā si iam ille sequebatur aliū quēpiā, ilico vertere cursum, & in puocatorē tēdere, ne cuspidē qđ vitata.

Leonem stimulas.

In eos quadrat, qui potentē, ac ferocem in suum ipsius exitium prouocant, atq; extimulant. Notissima est metaphora.

## Leonem radere.

Leonē radere dicuntur, qui feroces & præpotentes arte tractant, & illudunt magno suo periculo. Notissima quoque metaphora.

Fontibus apros: floribus Austrum.

Vsurpatur prouerbiū, ubi quis optat nocitura. Nam ventus floribus inimicissimus, præcipue Auster, ob violentiam. Virgilius in Bucolico. Eheu quid volui misero mihi, floribus Austrū Perdītus: & liquidis immisi fontibus apros.

Malum bene conditū, ne moueris.

In eos dicitur, qui sua stultitia sibi turbas excitant: aut qui mala iam tēpore sepulta resuscitant, renouantque. Huic simillimum est illud, Sopitos suscitāt ignes.

Mouere Camarinam.

Mouere Camarinā, est sibi ipsi malū accerere. Vnde natū adagium Seruius Grammaticus explicat. Camarina (inquit) palus est iuxta oppidū eiusdem nominis: quæ quū olim siccata, pestilentia creasset, consuluerūt oraculū, an penitus eam desiccare præstaret. Vesituit deus Camarinā moueri. At illi exsiccauerunt, non obtemperantes oraculo, & cessauit quidem pestilentia, sed per eam ingressis hostibus, pœnas dederunt.

Pyraustæ interitus.

In eos dicebatur, qui sibi ipsi exitium accerere.



cessit. Ait enim Zenodotus, Pyraustā insectū esse, quod lucernis aduolet, atq; ita exustis a-  
 lis concidat, pereatq;. Meminit de pyrausta &  
 Plinius libro vndecimo, capite trigesimo sex-  
 to, Gignit (inquit) aliqua & contrarium natu-  
 ra elemētum. Siquidem in Cypri ærarijs for-  
 nacibus ex medio igni maioris muscæ magni-  
 tudine, volat pennatum quadrupes, appella-  
 tur Pyralis, à quibusdam Pyrausta. Quandiu  
 est in igne viuit: quum euasit longiore paulo  
 volatu, tūc emoritur. Quod si placet ad hoc  
 referte adagium, conueniet & in eos, qui ces-  
 siterit intereunt. Nec inuenuste deflectetur in  
 eos, qui nunq̄ viuere possunt, nisi in propria  
 patria. Si cōtingat agere peregre, rebus om-  
 nibus offenduntur.

Ipsa cratère.

Mala dicuntur ipsa cratère contingere illis,  
 in quos recidit, quod per insidias in alios mo-  
 liebantur. Craterem enim quasi malorū fon-  
 tem vocant.

MALVM IMME-  
 DICABILE.

Chironium vulnus. Non libetat podagra  
 Podex lotionē vincit. calceus.

Explanatio.

Chironium vulnus.

Immedicabile malum, Chironium vulnus  
 x. j.

prisci vocabant. Chiron in bello aduersus Cētauros ictus ab Hercule, vulnus immedicabile accepit in pede, vnde & perijt. Hinc natū prouerbiū.

Podex lotionem vincit.

Calistratus apud Aristophanis interpretem adagium hoc retulit, ad eos, qui sese in malum aliquod adigunt: propterea, quod ea corporis pars, etiam si lauetur, semet rursus inquinat: ita vt ipsa sit in causa, quo minus lauari possit. Quadrabit etiam, vbi quid frustra fieri significabimus: veluti si quis nocentem ē carcere redimat, atq; ille mox iterato cōmisso, semet eōdem præcipitet. Aut si quos recōcilies, mox in pristinā relapsuros simultatem: aut castiges incorrigibile ingenium, quod genus est mulierū. Conueniet & in illos, qui suo ipsius vincūt malo. veluti, si quis morum intractabilitate obtineat, ne posthac obiurgetur à præceptore. Putant adagiū videri sumptum ab ijs potissimum, qui cita sunt alio, quos Nonius foriolos appellat. Itidē & morbus dicitur vincere artem, curam ve medici, quum est immedicabilis.

Non liberat podagra calceus.

Plutarchi est ista sentētia prouerbialis, *Nec podagra liberat calceolus, nec preciosus anulus vnguium vitio, nec diadema capitis dolore.* Plutarchus vtitur ad hunc modum, *Si di-*

uitiæ, reliquaq; fortunæ munera, non tollunt morbos corporis: quanto minus mederi possunt animi malis?

MALVS VICINVS.

Salsuginosa vicinia. Si iuxta claudum habites subclaudicare  
 Aliquid mali propter vicinum malum. disces.

Explicatio.

Salsuginosa vicinia.

De sterili, agresii, atq; inhumana vicinia dicebatur. Trãfferri potest vel ad negociũ multati quidem laboris, at parũ frugiferum: vel ad vicinos molestos. Traductum ab agris marifinitimis, qui plerunq; solent ad culturam inhabiles esse. Proinde Virgilius etiam terram salsam, vt minime feracem damnat. Adhuc videmus & homines ipsos litorales ferè ceteris inhumaniores, tanq; immanitatis nonnihil ex immanissimo contrahant elemento.

Aliquid mali propter vicinũ malũ.

Dorippa apud Plautũ in Milite Nunc ego verũ esse illud verbum experior: aliquid mali esse propter vicinũ malũ. Quibus ex Plauti verbis satis liquet hanc sententiã vulgari sermone fuisse celebratã. Eã Hesiodus eleganter expressit in opere, cui titulus Opera & dies, Siqua domi ( inquit ) inciderit tibi res: tunc ilico missis Adsunt vicini zonis, cinguntur at

## ERASMI ADAGIORVM

ipsi Affines: noxa est, vicinus vt improbus ingens: Contrà ita maxima commoditas, si cōmodus adsit, Deest honos huic, bona quem vicinia deficit: at nec Intereat bos, ni vicinus vbi improbus adsit. Hæc Hesiodus. Neq; tantum inter priuatos vicinos hæc sententia locum habet: verum etiam experimētis obseruatum est populos à vicinis subuersos: quorū exempla adscribit Erasmus. Admonet autem parcemia, vti bonorum conuictū & consuetudinem expetamus: à malis nos, q̄ maxime possumus, abducamus.

Sí iuxta claudum habites, sub claudicare disces.

Sententia est Plutarchi in libello de liberis educandis, Quæ quidem admonet perniciosam esse improborum hominum consuetudinem: propterea, quod quum corporis, tum maxime animi vitia contagio serpunt in vicinū. Naso, Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi. Multaq; corporibus transiitione nocent. Id Aristoteles existimat potissimum vsu venire in morbis oculorū, quod ea corporis pars, maxime sit mobilis. Item in scabiæ, quod in summa sit cute, & humore glutinoso, ad vicium permanet. Postremo in omnibus morbis, qui è spiritu corrupto nascuntur, vt pestis, quod spiritus facile ab alio in alium traiciatur. Deniq; est occultus quidam naturæ cōsensus, qui



fit, vt oscitare incipiat, qui viderit oscitantē:  
 & micturiat, qui meientē conspexerit (vt au-  
 thor est Alexāder Aphrodiseus) Et balbutire  
 discit, quisquis assidue cum balbo viuit. Mo-  
 rū autē scabiem affricat conuictor cōuictorī.

## CONTAGIO MORVM.

Oscitante vno, deinde oscitat & alter.

Corrūpunt mores bonos colloquia praua.

Expositio.

Oscitante vno, deinde oscitat &  
 alter.

Dicēdum, quoties exemplo peccati, statim  
 prouocatur aliquis ad simile facinus Fit au-  
 tem hoc occulta quadā naturæ vi, vt qui vi-  
 derit oscitantem, cogatur & ipse oscitare.

Corrumpunt mores bonos collo-  
 quia praua.

Prouerbialis sententia significans, tales nos  
 esse, qualia sunt quotidiana colloquia: tales  
 euadere, qualia frequenter audimus. Eodem  
 pertinet ille Menandricus senarius: quē diuus  
 Paulus Apostolus in prima ad Corinthios  
 epistola citat, Mores bonos (inquit) cōuictus  
 inficit improbus. Consimilem huic sententiā  
 refert Aristoteles nono moralium libro. Cele-  
 bratur & senarius à Græcis, qui latine sic ha-  
 bet. Malus ipse fies, si malis conuixeris. Iam  
 vero quod de colloquio dictū est, idem oportet

tet & de studijs accipere. Qui vitā omnem in Ethnicis conterūt literis, gentiles euadūt. Qui præter obscenos autores nihil euoluūt, moribus obscœnis reddātur oportet. Etenim lectio colloquium quoddam esse videtur.

## ILLECEBRA MALI.

Lotum gustauit.

Periculosum est canem intestina gustasse.

Explicatio.

Lotum gustauit.

De ijs dicebatur, qui diutius in peregrinis regionibus hærerēt, velut obliti reditus. Neq; inconcinne dixeris in eos, qui simulatq; semel voluptatem inhonestam degustarint, ad pristina studia reuocari non queunt. Sumptum à fabula Lotophagorum: de quibus meminit Homerus Odissæe libro nono, Narrans quemadmodum Vlyssis socij gustata apud Lotophagos populos herba Loto, redire ad nauim noluerint nisi verberibus adacti.

Periculosū est canē intestina gustasse.

Admonet adagium haud facile temperare à peccando, qui semel illecebram illam velut authoramentum vitiorū degustarit. Quem admodū, qui semel scortū attigerit: qui semel periurio rem auxerit: qui semel aulicā vitam sit expertus. Effertur & ad hūc modum apud Lucianum, Neq; canis desiturus est, qui se

mel corium edere didicerit.

INAEQUALIS PENSATIO.

Ne verba pro farina. Diomedis & Glauci  
 Umbra pro corpore. permutatio.  
 Palubem pro coluba. Si vinum postulet, pu-  
 gnos illi dato.  
 Pilos pro lana. In parte vel igne præ-  
 Pro malo cane suem. detur aliquis.  
 reposcis.  
 Malū bonum pēsātū.

Enarratio.

Ne verba pro farina.

Aduersus eos iaciebatur, qui beneficiū ver-  
 bis, non re dabant. Qui ferè est magnatum  
 mos: vti suos splendidis promissis alant. Be-  
 ne autem admonet in Pandectis Pomponius  
 Iureconsultus, Peculium re, non verbis augē-  
 dum esse. Quadrabit item in eos, qui benefi-  
 cium pollicitis rependunt. Aut qui consolantur  
 oratione, quum auxilio sit opus.

Umbra pro corpore.

Huius adagij vsus fuerit, quoties aliquis  
 magnū quiddam videbitur assequutus, quū  
 nihil tandem auferat præter titulum, aut spes  
 meras. Mutuo sumptū ab Æsopica fabula de  
 cane, qui dum umbram carniū (quod ea ma-  
 ior appareret) captat, veras amisit carnes.

Palumbem pro columba.

Conueniet, ybi quod deterius est, & adulte

x. iij.

rinum, pro eo, quod est præstantius ac legitimum supponitur. Sumptum ex epistola Morixæ (nescit cuius Erasmus) ad Chremetem: cuius verba ipse Erasmus vertit sic. Redemptā tibicinam (quam forte amabat) sponsa; stolam amictam mihi induxit, colubæ loco palumbem (vt aiunt) meretricem pro sponsa.

Pilos pro lana.

Proverbialiter apparent dicta etiam illa, apud Theocritū in Odœporis, de re vehementer inæquali: aut de negotio supra modū absurdum: quæ sic vertit Erasmus. Quis vice lanarum setas detondeat vnq̄? Quis capra pro primipara vilem velit amēs Emulgere canē?

Pro malo cane suem reposcis.

Pro malo cane suem reposcis, id est, pro re vili preciosā. Sus enim esculētus, canis haudquā vescus est. Refertur à Diogeniano.

Malum bono pensatum.

Quoties natura dotem aliquam egregiam largitur, verum eadem eam aliquo vitio pensat, istius adagij vsus solet esse. Aut quū quis beneficiū suum aliquo vitiat maleficio, quædrabit illud ex Odysseæ v. de Demodoco musico dictum, quod sic vertit Erasmus. Hūc alios vltra dilexit musa, dedit que, Atq; boni, atq; mali quiddam. nam lumina ademit. Ac dedit emulgere suavi pectora cantu.

Diomedis & Glauci permutatio.



Quæ refertur apud Homerū Diomedis & Glauci permutatio, abiit in puerbiū, quoties inæqualem cōmutationem significamus: hoc est, deteriora pro melioribus reddita. Quo quidem adagio laudatissimi authores passim vtuntur, quoties officium, aut munus longe impari munere pensatur, aut cōtrā. Aut quoties aliquis rem pecuniariam auxit, sed samæ dispendio. Magistratū assequutus est, sed iactura bonæ mentis. Lautam fortunā reperit, sed amisit animi tranquillitatē. Admissus est in amicitia principis, sed excidit ab amicitia. CHRISTI. Vide apud Erasmus fabulam prolixam, ex qua sumptum adagium.

Si vinū postulet, pugnos illi dato.

Huius prouerbij vsus est, vbi p bonis rebus expectatis, diuersa accipiuntur. Sumptū ex Tragoedia quapiā, de Cyclope & Vlyse. Est autē notissima fabula, quēadmodū apud Homerum, Vlysses Polyphemo Cyclopi vinum petenti subinde porrigit, quo simulatq; iam temulentus, sopitūsq; iaceret, palo preussit oculū illi perterebravit. Putant metaphoram à pueris ductam, qui petentes non petenda, nonnunq; colaphos recipiunt.

In parte vel ignē prædetur aliquis.

Suidas admonet dictum de ijs, qui parum æqua referant in cōmune. Quū enim res cōmunis cōmissa fuerit manibus vnius, aut pati

ERASMI ADAGIORVM

corum, pars maxima penes eos hæret, qui diuidunt. Quid enim nõ prædetur, qui prædatur ignem: qui sic est natura cõmunis, vt ipse nihilo minus possideas, posteaq̃ & alijs fueris impartitus.

ALIBI DIMINVTVM,

ALIBI REDDITVM.

Claudus optime virum agit.	Quod alibi diminutum, exequatur alibi.
Nõ omnia possumus omnes.	Semper seni iuuenulam subijce.
Facta iuuenũ: consilia mediocriũ: vota senum.	Non omnis fert omnia tellus.

Elucidatio.

Claudus optime virum agit.

Dici solitũ: vbi quispiã suam sortẽ vel partem egregiã, antepõnit alienæ tametsi præstantiori. Ab Amazonũ apophthegmate nactum aiunt. Tradũt morem Amazonibus fuisse quõdã, vt pueros masculos detorta tibia, coxãve claudos efficeret. Porro quũ bellum esset illis aduersus Scythas: atq; illi eas conarẽtur illicere, vt ad sese desciscerẽt, dicẽtes futurũ, vt posthac non cũ claudis, ac mutilis, sed cũ integris viris rem haberent: Antianira Amazonũ dux respõdit ad hunc modũ, Optime claudus virũ agit. Animaduersum est etiã

illud nostris tēporibus plerūq; , qui tibijs sunt mutilis, aut alio quopiā membro trunci, eos ad vsum Veneris reliquis magis idoneos esse, nimirū paria faciēte naturā. De claudo, quare sit salacior cæteris: causam reddit Aristoteles in problematis, quòd in hoc parū alimētū deorsum delabatur, ob crurium vitium, plus autem superiora petat, & in semen vertatur.

Non omnia possumus omnes.

Non omnia possumus ōnes, apud Virgiliū in Pharmaceutria puerbialis est sentētia, qua vix tritiorē aliā reperies. Sumpta videtur ex Homero, apud quem Iliados ꝑ, Polydamas sic alloquit̃ Hectorē. Haudquaꝑ poteris sortirier ōnia solus. Nāq; alijs Diui bello pollere dederūt, Huic saltandi artē: voce huic, citharāq; canēdi. Rursum alij insuevit sagax in pectora magnus Iuppiter ingeniū: at multis est utilis ille. Item Odysseæ 8. Nō ita cælestes tribuunt sua dona quibusvis, Seu formam, siue ingeniū, virē sive loquēdi. Est etenim informis species, cui cōtigit: atqui Linguae dote deus pensat dispendia formæ. Eodē pertinet, quod scribit Theognis, Sunt pauci (inquit) quibus iisdē & virtus suppetit, & res. Felix, cui simul hæc sunt data forte deūm.

Facta iuuenū: cōsilia mediocriū: vota senū.

Sensus est verius moralis apud Græcos, prouerbio celebrati: cuius quidem prouerbij

meminit Aristophanes Grammaticus. Hyperides in oratione contra Autoclem, ex Hesiodo citauit. Sensus per se liquet, nempe ad regendam adhibendos iuuenes. Nam viribus ætas ea præpollet. In consiliū asciscēdos mediocris ætatis viros: propterea, quòd in his nonnihil detricto virium vigore, valet tamen vsu rerum aucta prudentia. Senes utpote religiosi, solent à superis optima precari. Cæterum neq; viribus iam vtilis, neq; mente satis constantes ætatis vitio.

Quod alibi diminutum, exequatur alibi.

In eum, in quo desyderatur virtutis aliquid, sed cuius iacturam, alia quapiam dote cōpensat. Veluti si quem intelligi velimus primum eloquentem, sed admirabili tamen iudicio: aut qui sit indoctus quidē, sed bene nūmatus, competet illud ex Homeri Iliados libro K. Qui ore quidem deformis erat, pedibus tamen acer.

Semper seni iuuenulam subijce.

Sensus est Græci senarij prouerbialis, ad monētis, vt prouectioris ætatis viri puellam ducant, magis q̄ anum: ne si frigus accesserit frigori, languēte venere, steriles existant nuptiæ. Quamq̄ nō inepte trahetur ad alios itē vsus, quoties significabimus, ita rerum consuetudinem temperandā, vt quod alibi dimis-



nutū sit, aliunde suppleatur: videlicet vt seni conuictor addatur iuuenis, quo senilis ætatis tristitiã huius hilaritas moderetur. Rursum iuuentutis exultantiam, senilis seueritas tēpetet. Item vt loquaculus adiūgatur plus satis taciturno: audaculus timido: pauper diuiti.

Non omnis fert omnia tellus

Vt Virgilianum illud, Nō omnis fert omnia tellus, prouerbium erit, si traducatur ad diuersas igenij dotes: aut nō quidvis à quouis esse petendum. Ita prouerbij rationē habebit illud Theocriticū, ex Cyclope. Illa quidem producit hyems, illa educat æstas: quū significabimus aliud agendū iuueni, aliud seni: alijs atq; alijs temporibus, diuersis moribus vtendum.

S P E S P E R T I N A X.

Ægroto dum anima	tur.
est, spes est.	Adhuc aliquis de <sup>o</sup> respicit nos.
Spes alunt exules.	
Adhuc cælum volui <sup>s</sup>	Spes seruat afflictos,
	Expositio.

Ægroto dum anima est, spes est.

Sententia est prouerbialis, admonens, ne in afflictissimis quidem rebus spem abijciendam. M. Tullius ad Atticum. Vt ægroto dū anima est, spes esse dicī. Sic ego quoad Pōpeius in Italia fuit, sperare non destiti. Sum<sup>o</sup>

ERASMI ADAGIORVM

ptum videtur adagium ex Theocriti Batto:  
cuius versus eleganter vertit Franciscus Phi  
lelphus, ad hunc modum.

Fidere Batte decet, meli<sup>9</sup> cras forsã habebis.  
Sperandũ est viuis: nõ est spes vlla sepultis.  
Nũc pluit:& claro nũc Iuppif æthere fulget.  
Spes alunt exules.

Vsurpari solet, vbi quis excussus à pristina  
fortuna, semper id agit, vt restituatur. Ab hu  
mano sumptum ingenio, quo fieri videmus,  
vt nullus ita sit exul, quin & velit, & speret  
futurum, vt aliquando postliminio redeat in  
patriam.

Adhuc cælum voluitur.

Quoties significabimus adhuc superesse  
spem, & nõdũ omne tempus, quod melioris  
fortune solet occasionem adducere, exactum  
esse, conueniet illud Theocriticũ ex Chariti<sup>9</sup>  
bus, Nondum lassatum est voluendis mensi<sup>9</sup>  
bus anni Cælum.

Adhuc aliquis deus respicit nos.

Quum in rebus vehemẽter afflictis, nega<sup>9</sup>  
bimus nos prorsus abiecisse animũ, verũ esse  
spei nõ nihil, cõueniet illud Homericũ, quod  
à Priamo dicitur, libro Iliados ω. Numen ad<sup>9</sup>  
huic aliquod dextram mi obtẽdit amicum.

Spes seruat afflictos.

Proverbiũ significat, id quod extat in sensu  
tentijs è comœdijs collectis, illud videlicet,

Spes seruat hominem, rebus in duris bona.  
 Notum est Nasonis illud, Spes bona dat vi-  
 res: animum quoq; spes bona firmat. Vitare  
 spe vidi, qui moriturus erat. Deinde Pinda-  
 ricum illud apud eruditos penè cessit in pro-  
 uerbium, Spes altrix senectæ.

## S P E S F R V S T R A T A.

Coruum delusit hian-  
 tem.

Thesaurus carbones  
 erant.

Bolus ereptus è fau-  
 cibus.

Murè ostendit pro le-  
 one.

Concupiuit assam fa-  
 rinam.

Ne per soniū quidē.  
 Alena iacis.

Larus parturit.  
 Parturient mōtes, na-

scē, ridiculus mus.  
 Lupus circum puteū

choream agit,  
 Lupus hiat.

Aurificē te futurū cre-  
 debas.

Quærens obsonium,

vestem perdidit.

Ne quære mollia, ne  
 tibi cōtingāt dura.

Duos insequēs lepos-  
 res, neutrum capit.

Hic funis nihil attra-  
 xit.

Fluuius non semper  
 fert secures.

Spem precio emere.  
 Semper agricola i no-

uum annum diues.  
 Nucleū amisi, reliquit

pignori putamina.  
 Præuertit ancoræ ias-

trum deus.  
 In caducū parietē in-

clinare.  
 Scipioni arūdineo in-

niti.

## Explanatio.

Coruum delusit hiantem.

Proverbiali figura dictum est ab Horatio, in eum, qui captatorem suū, arte frustratus fuerat, Coruum delusit hiantem. Nam hæc auis cadauerib⁹ (id quod & vultur facit) imminet. Plærunq; (inquit) recoctus Scriba ex quinqueviro coruū deludet hiātem. Loquitur de Corano, qui Nasicæ socero, spe testamenti per dolum ostentata, moriens nihil præter plorare reliquit. Videtur autem adagium effectum & imitatū ad illud, *Lupus hiat. Ut* itidem dicere liceat, *Lupum delusit hiantē; & Coruus inhiabat.*

Thesaurus carbones erant.

In eos competit, qui spe sua frustrantur, quiq; magnificis rebus expectatis, meras nuigas reperiunt. Ex euentu copiam natū videtur, quo quispiam thesauri spe fodiens, carbones defossos inuenit. Eaq; res in risum, vulgicq; sermonē abiit. Nā antiquitus carbones in terra defodi solent, ad indicandos agrorū terminos, propterea quod (vt testatur in opere de ciuitate dei diuus Augustin⁹) nulla res durabilior, magisq; perpetua, quàm carbones sub terra defossi.

Bolus ereptus è faucibus.

Bolus eripi è faucibus dicitur, quoties comeditas aliqua, quæ iam propemodū tenetur



batur, præter expectationem subito præripitur. Terētius in Seipsum excruciatē. Crucior bolū tantū mihi esse ereptū subito è faucib⁹. Bolū autē dixit, quod Græci vocāt βλαμόρῃ id est, morsum. Metaphora per se liquet.

Murem ostendit pro leone.

Proverbiali figura dictum, Murem ostēdit pro leone, pro eo, quod est, ingentia pollicis & fortia, longe diuersa exhibuit. Synesius in epistola quadā ad Anastasium. Quum inclinasset (inquit) in illū bis, aut ter, ac de plaustro (quod aiunt) conuictis insectatus, nihilq; non in eum esset vociferatus, cuiusmodi vel à meipso dicta fuisse, maximi fecerim, Deinde de murem pro leone exhibuit scelus.

Concupiuit assam farinam.

In eum dicebatur, qui domesticam tenuitatem pertesus, apud alios lautiores vitā quæsisset. Dictum est autem in Platonem, qui relictis Athenis ter in Siciliam ad Dionysium nauigauit, quo fortunam suam redderet lautiores, quemadmodum interpretantur æmuli. Nā hāc profectionem probro illi datā fuisse, testatur etiam Aristides in oratione, qua tueretur oratores quatuor, aduersus Platonis calumniā. Et Diogenes (authore Laërtio) quū animaduersisset Platonem in opiparo quodā conuiuio, à reliquis tēperantem cibus, & oleis dūntaxat vtētem, taxauit hominis ambitios

sam abstinentiam his verbis, Quid homo sapiens quum ob huiusmodi mensas in Sicilia nauigaris, nunc appositis non frueris? Ad quae verba ita Platonem respondisse narrat Laertius. Per deos (Diogenes) & illic plerumque oleis, atque id genus tibus utebar. Ad quod rursus Diogenes. Quorsum igitur attinebat Syracusas nauigare? Num id temporis Attica ferebat oleas? Theocritus in Cyniscis. Nam puto & hic assae correptus amore farinae. Porro farinam assam & nouam, lautiores victus rationem vocat: propterea quod priscos pulteduntaxat victitasse legimus, videlicet cibano coquendi panis vsu nondum reperto.

Ne per somnium quidem.

*Ne in somno quidem, Graecis proverbialiter dictum est, pro eo, quod est, nulla ratione, nullo tempore. Alioqui nemo ferè tam omnini felicitate destitutus, quin aliquando vel somniet latiora quæpiam. Lucianus in Gallo ait, regibus ne per somnium quidem aliqua re incunda frui licere. Solent autem vel extremae fortis homines, aliquando magna quædam somnare, quemadmodum apud Lucianum (in citato dialogo) Micellus, qui per somnium opulētissimus, experrectus, Cerdo quispiam erat Iro penè pauperior. Nam somnare, sperandi genus est. Vnde & Virgilius in Buccolicis, spes inanes, amantium somnia vocat.*

Aliena iacis.

Hoc vti solent pro uerbio, quoties res parū ex animi sententiā cadit. Translatum ab ijs, qui ludunt alea, quibus iacientibus interdum ea cadunt, quæ minime ad victoriam sunt ac commoda.

Larus parturit.

Dicebatur in eos, qui pollicerentur ingētia deinde nihil promissis dignum præstarent. Est enim larus avis, multa plumarum copia circumfecta, cæterum carnibus exiguis. Pariens autem vociferatur.

Parturient montes: nascetur ridiculus mus.

Hoc Horatianum carmen in arte poetica sumptum est ex senario pro uerbiāli Græco, quem sic vertit Erasimus. Mons parturiebat, deinde murem prodidit. Qui quidē dici solis est in homines gloriosos & ostētatores: qui magnificis promissis, tū vultus, vestitusq; auctoritate, mirā de se mouēt expectationem. Verum vbi ad rem ventum est, meras nugas adferūt. Porphyrius ex Æsopi apologo quosdam adagiū natū existimat: qui fertur eiusmodi. Quum olīm quidam rudes, atq; agrestes homines viderent in monte terram intumescere, moueri q; concurrūt vndiq; ad tam horrendum spectaculū, expectantes, vt terra nouū aliquod, ac magnū portentum ederet,

y. ij.

monte nimirum parturiente: foréq; vt Titanes rursus erūperent, bellū cū dijs redintegraturi Tandem vbi multū, diūq; suspensis, attonitisq; animis expectassēt, mus prorepfit è terra, moxq; risus omnium ingens exortus.

Lupus circū puteum choreā agit.

In eos dicitur, qui sumpta inaniter opera, spe sua frustrantur. Aiunt enim lupo morem esse, vt si quando fitiat, nec tuto se possit demittere, circum puteū oberret, frustra inhias aquæ, quam non possit contingere. Sunt qui parcemiam inde ductam existimēt, quod aliē quādo veniat vsu, vt lupo pecudem aliquā, aut hominē infectetur, qui postea q̄ se in puteū quempiam altiorem metu demiserit, obambulat ille, velutiq; saltantium in modum in orbē circumagitur, prædæ cupiditate, qua tamen potiri nequeat.

Lupus hiat.

Dicebatur si quis re multum sperata, multūq; appetita, frustratus discederet. Aiunt enim lupum prædæ inhiantem rictu latè ducto accurrere. Qua si frustratur, hiasobambulat. Lucianus in Gallo. Ingrediebar itaq; quū parū abfuisset, vt lupo hias discederē.

Aurificem te futurum credebas.

Parcemia cōueniet, vbi quis ingentes spes animo concepit, sed discedit frustratus. Nam tam aiūt parcemiam ab huiusmodi quodam



euentu. Inualuerat aliquando fama apud vulgus Athenienſiũ in Ilymetto monte, magna auri fragmenta videri: quæ à formicis illis pugnacibus ſeruarentur. Itaq; quidam creduli, ſũptis armis, exierũt illas expugnaturi. Qui quum re infecta, fruſtraq; ſumpto labore redirent in urbem, iriſi ſunt à cæteris ciuibus, illud obtrectantibus. Tu autem aurificem te futurum arbitrabare.

Quærès obſonium, veſtem perdidĩ.

Iſtius adagij vſus ſit, vbi res peſſime cadit. Aut quũ puſilla quædã captãtes, maiora perdimus. Refertur à Suida, & ab alijs, non indicantibus vnde ſit natũ. Quamq̃ obſcurum nõ eſt, ab euentu proſectum eſſe.

Ne quære mollia, ne tibi contingant dura.

Congruit in eos, qui dũ nimis improbe, ac moroſe petũt quæ volunt, offenſis ijs, à quibus petunt accipiunt ea, quæ nolunt. Aut in eos, qui dum præter modũ captant voluptatem, incidunt in moleſſiam.

Duos inſequens lepores, neutrum capit.

Huius prouerbij ſenſus eſt, Qui ſimul duplex captat cõmodũ, vtroq; fruſtratur. Eſt etiam in Græcorum collectaneis, & citra figurã: quod ſic vertit Eraſmus. Ambo concupiſcēs, neutrum aſſequutus es.

Hic funis nihil attraxit.

Hoc prouerbio ( quos ex Senario Græco prouerbiali sumptum est ) significabāt operā frustra sumptam, neq; ex sententia euenisse, qđ quis conabatur. Ab hamato piscātibus fū niculo trāslatū, q sepe hamū retrahūt inanē.

Fluuus non semper fert lectres.  
 Non semper secures fert fluuius, id est, nō protinus tibi speres idem, quod alijs feliciter cessit. Natum ab Apologo Æsopico. Cuidam cædenti syluā, securis ē manibus excidit. Mercurius inuocatus reddidit argenteam. Negāti suam esse, reddidit auream; hanc quoq; suam esse neganti, ferream tandem restituit, & illas insuper donauit. Alius quidam eundem euentum sperans, data opera, passus est elabi sibi securim. Ea quū perisset, nec Mercurius imploratus adfuisset, ex postulanti, prior ille respondit ad hunc modum. Nō semper secures fert fluuius.

Spem precio emere.  
 Spem precio emere, est lucrum incertum, & in euentu situm, certo affectare dāno. Terrentius in Adelphis. Ego spē precio nō emo. Hanc sentētiā Leno refert illi, Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrū. Quadrabit potissimum in eos, qui spe rerum adducti maximarū, principum fauorem muneribus, obsequijsq; captāt. Nā is, quid aliud,

quæ spem precio emunt? Figura mutuo sumpta videtur à quodam emptionis genere, in quo consuevit alea rei, non res emi. Veluti si quis retinè iactum emat in piscando: aut missilium prædâ in venatu: aut siquid aliud eiusmodi. Qua de re multa fit mentio in Pandectis, titulo de contrahenda actione.

Semper agricola in nouum annum diues.

De ijs distitatum, qui spe futuri compendij diuites sunt: ac sibimet expectatione rerû ampliarum blandiuntur. Ductû à colonis, qui semper proximæ æstatis vberioreu prouentum sibi pollicentur, eaq; spe, iam sumptus nonnullos audent facere.

Nucleum amiss, reliquit pignori putamina.

Plautus in Captiui duo, Nucleum amiss, reliquit pignori putamina. Verba sunt Hegionis, vbi rescuisset sibi impositum esse, & herum amissum pro seruo, seruum pro domino retentum. Is enim ex quo fructus expectabatur, aufugerat, eo relicto ex quo nihil emolumenti poterat capi. Per se manifesta est allegoria.

Præuertit ancora iactum deus.

Adagij vsus fuerit, vbi res præter spem euenit. Traductum à nautis, quibus accidit serpennero, vt quum parant sese, vt ancoram

faciant, in portum appulsuri, repellantur à vē-  
tis, & in mediam tempestatem reuocentur.

In caducum parietem inclinare.

Prouerbiali figura dicimur in caducum pa-  
rietem inclinare, quum nitimur, cōfidimusq;  
rei parum firmæ. Ducta metaphora ab ædi-  
ficijs. Hadrian⁹ imperator de Cōmodo ado-  
ptato, & imperij successioni destinato, dicti-  
tare consuevit, In caducum parietem inclina-  
mus: perdidimus & quater millies sestertiū,  
quod populo & militibus, pro adoptione Cō-  
modi dedimus. Caducū autem parietem vos  
cabat, quod esset valetudinarius, & rebus ge-  
rendis inhabilis esse videretur. Item qui senis  
præsidio nititur: qui forma superbit: qui in ca-  
ducis fortunæ bonis, vitæ præsidia collocat,  
rectè dicetur in caducum inclinare parietem.  
Huic proximum est Maronis illud, In te om-  
nis domus inclinata recumbit.

Scipioni arundineo inniti.

Ad eandem formam pertinet, quod apud  
Hebræos in proverbio fuisse videtur, Arun-  
dineo inniti baculo, de eo, qui spes suas figit  
in his, qui non solum non possunt esse præs-  
idio, verumetiam noceant destituto. Siquidē  
arundineus scipio, non modo non sustinet ine-  
nitentem, verumetiam manum penetrat, ac  
vulnerat. Adagium nō admodum abludit ab  
illo, Ficulnum auxilium.



Actum est.	mutuo tres drachmas.
Nullus sum.	
Pignus in morem.	A quinq; scopulis desilire in fluctus.
Perierunt bona.	
Ad restim res redijt.	Omniibus armis, præsidij'sq; destitutus.
Suspendio deligenda arbor.	Tenuis spes.
Ad porcellū da mihi	

Explicatio.

Actum est.

Prouerbialiter his verbis (etiā hodie) desperationē significamus. Terentius in Eunucho, Actum est sicut peristi. Donatus existimat Actum est, sumptū à iure: Illicet, à iudicio: Peristi, à supplicio. Nam hæc tria pariter verba incremēto quodam indicant desperationem. Quoniā autē fas non erat rescindere iudicum sententiā, & eadem de re bis iudiciū adipiscier (vt ait Terentius) vulgo receptum est, vt de negocijs desperatis, actum est, dicitur. Etiam si postea repertū est, vt quidam per iudicem, in integrum restituerentur. Aut certē ideo dictum est, actum est, quod quicquid iam peractum est, hoc iam infectū esse non potest, Iuxta prouerbiales sentētias, quæ testantur, ne deo quidem permissum esse, vt quod factum sit, efficiat infectum.

Nullus sum.

Proverbiales sūt & illæ apud Comicos hyperbole, Nullus sū, & Occidi, & Perij, quibus desperationē, aut ingens malū significamus. Euripides in Iphigenia in Aulide, Nihil eras, sed perditū fortunā consternauerat. Sumptū videri potest ab Homero, apud quē Odysee libro nono Vlysses fingit sibi nomen *outris*, id est, nullus, innuens se p̄p̄modū perijisse. Atq; huius nominis cōmēto decept⁹ est Cyclops.

Pinus in morem.

Pinus siue piceæ ritu perditus dicitur, qui fundit⁹, radicibusq; perijt: ita vt nullo pacto restitui possit. Nam piceam succisam negant suppullulascere.

Perierunt bona.

Hippocrates à Mindaro superatus, huiusmodi scripsit epistolā, Perierūt bona: innuēs rem male cessisse. & hinc ductum adagium.

Ad restim res redijt.

Terentius in Phormione. Opera tua ad restim, mihi qdē res redijt planissime. Hoc adagio summa rerū desperatio significat. Nā in hac solent quidā amentes ad laqueū cōfugere. Iuuenalis. Ferre potes dominā saluis tot restibus vllā? Eodē pertinet etiā illud, Suspensio deligenda arbor, quod quidem adagium proxime sequitur.

Suspensio deligenda arbor.

In re vehementer indigna, neq; vlllo pacto toleranda, veteres arborē suspendio deligendā esse dicebāt. Inde natū, q̄ olim in Theophrastū Philosophū præcipuū, meretricula quæpiā nomine Leontiū ausa sit scribere. Plinius secūdus in præfatione historiarū naturæ, Ceu vero nesciā aduersus Theophrastū, hominē in eloquentia tantum, vt nomen diuinā inde inuenerit, scripsisse etiam fœminā: & prouerbiū inde natū, suspendio arborē deligendā.

Ad porcellū da mihi mutuo tres drachmas

Dicebat ab eo, qui mori decreuisset: aut q̄ vellet initiari. Nā initiādi cōsueuerūt imolare porcū. Suidas ex Aristophane citat. Est autē in pace. Aristophanis verba sic vertit Erasim⁹. Qui porcā emā mihi mutua nūc tres drachmas. Initiādus sum prius, ac mortē oppetā.

A quinq; scopulis desilire in fluctus.

Hoc vsurpari solet ab ijs qui iā impatientes præsentiu malorū minant̄ semet in quoduis potius malū præcipitatos, q̄ vt perpetiantur. Cōsine nimirū illi, quod iā relatū est, Suspendio deligēda arbor. Ad hoc alludit pastor ille Virgilianus. Præceps aërij specula de montis in vndas Deferat: extremū hoc minus morientis habeto.

Omnibus armis, præsijsq; destitutus.

Hominem inermem, & omnibus destitūtū præsijs, indicabimus versu Homero,

ERASMI ADAGIORVM

qui est in Iliade : quem traduxit Erasmus ad hunc modū. Et clypeo simul & galca nudatus, & hasta.

Tenuis spes.

Spem infirmā, incertāmq; poëtæ tenuem vocāt: eāmq; figuram ceu prouerbialē anōtarūt interpretes, nominatim Suidas. Aristophanes in vespis. Spes ista tenuis quæpiā est, qua nitimur. Frigidam spem dixit Euripides in Iphigenia Aulidēsi, Spes frigida qdē.

PRAETER SPEM, BONVM  
AUT MALVM.

Coturnix Herculem.	immunitatem.
Omnia secūda, saltat senex.	Mopso Nisa datur.
Homo homini deus.	Glaucus poto melle resurrexit.
De <sup>9</sup> ex improviso ap parens.	Inesperabilem vitā viuuis.
Deorum manus.	Subitum remedium periculi.
Negocium ex ocio.	
Faciunt & Sphaceli	

Declaratio.

Coturnix Herculem.

Senarius Græcis prouerbij vice celebratus, sic ab Erasmo versus est. Seruauit Herculem coturnix strennuū. Hunc Zenodotus negat apud vllum veterum scriptorū inueni-



ri. Cæterum dici solitum de his, qui in periculo seruati essent ab his, à quibus minime sperarent. Adagionis originem ad huiusmodi fabulam referunt. Coturnicem quandã Herculi in delitijs fuisse: cuius nidore quã viua incederetur, ille mortuus, sit in vitã restitutus.

Omnia secunda, saltat senex.

Locus prouerbialis, quo cõueniet vti, quoties res prius in periculum adducta, præter expectationem feliciter exierit. Seruius enarrans illum Maronis versiculũ, ex tertio Æneidos libro, Lustramurq; Ioui: votisq; incēdimus aras, Adagiũ refert, explicatq; his verbis. Sciendũ sane moris fuisse, vt piaculo cõmisso ludĩ celebrarentur. Nam quã iracundiã matris deũ Romani laborarēt, & eam nec sacrificijs, nec ludis placare possent, quidam senex statutis ludis Circensibus saltauit: quæ sola fuit causa placationis. Vnde & natũ prouerbiũ, Omnia secunda, saltat senex. Alia omitto, quæ Erasmus in huius prouerbij enarratione ex eodem Seruio, & Verrio apud Festum Pompeium refert.

Homo homini deus.

Dici solet de eo, qui subitã, atq; insperatã attulit salutem: aut qui magno quopiam beneficio iuuat. Antiquitas enĩ nihil aliud existimabat esse deum, q̃ prodesse mortalibus. Vnde frugum, vini, legum authores, & quĩs

cūq; ad vitæ commoditatem aliquid attuliffent, eos pro dijs habebat antiquitas. Adeo, vt & bēluas quasdam pro numinibus coluerit: velut apud Ægyptios Ciconiā: quod serpētes (qui certo anni tēpore ex Arabicis paludibus subuolant) obuiam profecta, arcere, cōficeréq; credatur. Apud Romanos Anserē, quod Capitolinā arcē, expergefactis clangore custodibus, ab irruptione Gallorū seruarit.

Deus ex improuiso apparens.

In eos dicitur, quibus in rebus perplexis præter spem exoritur aliquis, qui salutē adferat, negocij q; difficultatē expediāt. Sumptū à cōsuetudine Tragœdiarū, in quarū plerisq; machinis quibusdā deus aliquis ostēdebatur: Id q; nō in scena ipsa, sed è sublimi, qui repente cōmutatis rebus, fabulæ finē imponeret.

Deorum manus.

Deorum manus, olim per ironiam (vt opinatur Erasmus) dicebātur efficacia illa phar-maca, quæ plurimis ex rebus, & è longinquo petitis conficiuntur: quibus hodie, tum medici, tum pharmacopolę vulgo faciūt imposturam: quorum mixturas taxatas à probatis authoribus, ostendit Erasmus, id q; in huius adagionis explicatione.

Negocium ex ocio.

Ex ocio negociū. Hemistichiū est iambricum vsurpandum vbi res præter opinionem

euenit, & inde tumultus oboritur, vnde tranquillitatē, & ociū sperabamus. Author Suidas: nec indicat vnde sit natum.

Faciunt & Sphaceli immunitatem.

Athenis celebratū prouerbiū de his, qui quouis pretextu, quod volūt assequuntur. Natum autē ab euentu huiusmodi Pisistratus tyrānus decimas exigebat ab Atheniēsisibus, eorum quæ in agris prouenissent. Itaq; quū aliquando obambulare, viderētq; senem quēdā in saxis quibusdā, hoc est loco petricofo laborātem, rogabat, quosnā fructus inde colligeret. At is respōdēs, Dolores (inquit) & Sphacelos, atq; horum decimas exigit Pisistratus. Potrō tyrāns admiratus hominis libertatē, decimas Atheniēsisibus remisit. Ea res in vulgi sermonē abiit, etiā Sphacelos immunitatē patere. Sphacelus autē morbi genus, quod ex immodica defatigatione solet accidere. Quisdam putant esse tormina articulorum: quidā ossium tabem.

Mopso Nisa datur.

Figura prouerbialis videtur & illud apud Virgilium in Pharmaceutria, Mopso Nisa datur: quū præter omniū spem res præclara contingit cuipiā prorsus indigno. Vt nihil iam nō posse sperari, vel à quouis appareat, Mopso Nisa datur. quid non speremus amantes? Est autē emphasis in nominibus. Nam Mopsum

ERASMI ADAGIORVM

dicens, intelligit infimum, abiectissimūque  
pastorem. Nisam puellam insigni forma.

Glaucus potō melle resurrexit.

Dici solitū, quoties aliquis vulgari rumo-  
re dictus mortuus, denuo prodit in publicū,  
& quasi rediuuius apparet ijs, quibus per-  
suasum fuerat eum vita defunctū esse. Satis  
constat ab euentu natum. Nempe Glaucum  
quempiam præter omnī expectatiōē, gu-  
stato mellito pharmaco reualuisse. Eam rem  
in iocum popularem versam fuisse. Quidam  
enarrant in hunc modum. Glaucus quidam  
potō melle, ob bilē penè exanimatus est. Ad  
hunc multis accurrentibus medicis, polydos  
herba (quā Draconē vocant) eum restituit.

Inesperabilem vitam viuīs.

Inesperabilem vitam viuīs, id est, viuīs vi-  
tam mirificā: & quam ne sperare quidē aude-  
ret quisq;: aut in qua non spes alat animū, sed  
ipsæ res adsint. Adagiū ex Pindaro sumptū.

Subitum remediū periculi.

Quū indicabimus rem in extremū discri-  
men adductā, actūmq; fuisse, ni subita salus,  
ceu deo quopiam immissa protinus affulsis-  
set, conueniet illud ex Iliados 9. Ni ilico sen-  
sisset genitor diuūm, hominumq;.

MALVM VERTENS BENE.

Nunc bene nauigani, quū naufragium feci.



Laqueus auxiliari videtur.

Bellum haudquaquam lachrymosum.

Elucidatio.

Nunc bene nauigavi, quum  
naufragium feci.

Huius adagij vsus esse solet, quoties id, quod videtur incommodum, fortuna praeter spem vertit in bonum. Zenon Cittiensis, qui relictis prioribus praceptoribus, Cratelis auditor esse coepit, naufragio eiectus dixisse legitur, Bene facit fortuna, quum nos ad philosophiam admonet.

Laqueus auxiliari videtur.

Dictitari consuevit, quoties incommodum alicui verteretur in bonum. Veluti si quis Turca, bello captus seruiret apud Christianos: sique hac occasione nostrae religionis sacris initiaretur.

Bellum haudquaquam lachrymosum.

Hoc vsurpatur, vbi victoria contigit citra caedem & sanguinem. Aut vbi quis est periculo suo quopiam negotio sic extricauit sese, vt nullo suo malo discesserit: siue quum rixosi verbis inter se digladiantur, nec est quicquam periculi, ne veniatur ad manus. Aut vbi certamen agitur eiusmodi, vt neutri parti quicquam accidat incommodi, velut in conflictatione literaria, in qua victus discedit eruditior: victor amicitior. Natum aiunt est vetusto quodam oraculo Dodonaeo, quo responsum Lacedaemonijs aduersus

Arcadas pugnaturis, Bellū sine lachrymis futurū. Deinde cōtigisse illis victoriam nemine prorsus interfecto. Nos itē incruentā victoriā vocamus, quum nulla cæde cōtigit victoria.

## IVSTITIA.

Partitio, non præfocatio.	lapidem: non ad lapidem amussim.
Iustitia in se virtutem cōplectitur omnē.	Ne moueto lineam.
Homines frugi omnia rectè faciunt.	Ex æquo partire.
Exigua res est ipsa iustitia.	Æqualitas haud parit bellum.
Trutina iustius.	Quæ non posuisti ne tollas.
Iustitiæ oculus.	A sacris abstinendæ manus.
Iustitia iustior.	Nemo quenq̄ ire prohibet publica via.
Maras.	Hæc iustitia.
Rhamnusus.	Quod alijs vitio veritas, ipse ne feceris.
Prienensis iustitia.	Urban⁹ nihil æqui cogitat.
Rectam ingredi viā.	
Dum clauum rectum tencam.	
Ad amussim applica	

## Explicatio.

Partitio, non præfocatio.

Olīm quū ij, qui viribus præpollerent, cibū eriperent imbecillioribus, manus interim in

illos iniicientes, excogitatum est, vt fortibus ex æquo diuideretur epulum. Iamq; à pauperibus exclamari cœptum, Partitio, non præfocatio, siue strangulatio. Eaq; vox in prouerbium abiit. Adagio licebit vti, siquãdo significabimus, non esse locum violentiæ, sed ex æquitate iuris oportere tractari negocium.

Iustitia in se virtutem complectitur omnem.

Versus est prouerbialis, quem refert Aristoteles libro moralium Nicomachiorũ quinto. Extat autem in elegijs Theognidis. Chæremon virtutum omnium summam prudentiæ tribuit. Cuius est hic versiculus. Cuncta vniuersim, qui sapit rectè, obtinet.

Homines frugi, omnia rectè faciūt.

Docet adagiũ quosdam improbos homines, certis in rebus nonnunq̃ esse vsui, ac præclare se gerere: verũ vbiq; ac perpetuo præstare virum integrum, atq; inculpatũ, id demum eius esse videtur, qui natura, verèq; sit probus. Ad quam sententiam allusit Euripides in Hecuba, Quisquis (inquit) malus, nil aliud ille, q̃ malus, Frugi vsq; frugi est, nõ enim ingenium grauis Fortuna vitiat: sed probus semper manet. Idem in Iphigenia Aulidensi. At qui probus, Ispalàm est semper probus. Huic mire concinit illud literarum arcanarũ. Stultus vt luna mutat, sapiens permanet vt sol.

Exigua res est ipsa iustitia.

Hoc prouerbio significabant non multum adferre momēti, si probus sis, nisi talis etiam habearis: & opīnionē lōge plus valere, q̄ rem ipsam. Multo melius Æschylus apud Plutarchum de Amphiarao. Neq; enim (inquit) vīderi, at esse vir cupit optimus, Mētis profunde testimonio fruens. Rectius admonet Socrates, vt talis quisq; sit, qualis haberi velit.

Trutina iustius.

Prouerbium est de ijs, qui insigni incorruptaq; sunt æquitate. Est autē trutina id libræ genus, quo vel minutissimū ponderis momētum sentitur, dignosciturq;: & exactam æqualitatem æquilibrij nomine appellant.

Iustitiæ oculus.

Iustitiæ oculus, dicitur syncerus & incorruptus iudex: aut ipsum etiam syncerum iudiciū. Sumptū apparet ex illa Chrysippi descriptione apud Aulū Gelliū: in qua iustitiæ oculos tribuit acras, rectos atq; immotos, quōd cum, qui rectē sit iudicaturus, non oporteat huc, aut illuc ab honesto oculos deflectere. Celebratur & hic senarius prouerbialis. Est oculus æquitatis omnia intuens.

Iustitia iustior.

Prouerbialis hyperbole de vehementer integris, & incorruptis. Huius est figuræ, cuius sūt & illa, Nequitia nequior, Superbia super-



bior, Pulchritudine pulchrior &c.

**Maras.**

Hoc nomine ferūt fuisse quempiam apud Berceam Syriæ ciuitatem, ditissimū quidem illū; verū nihilominus humanū & officiosum in omnes, tum ciues, tū hospites. Vnde vulgo receptū, vt id vocabuli tribueretur viris, qui ad multorum vtilitatem nati viderētur.

**Rhamnusia.**

Eudemus in dictionibus rhetoricis admonet, id cognominis olim ceu prouerbio additum sapientibus, ac moderatis viris nec explicat adagij rationem. Vnde cōiectare licet, vel ab eius gētis moribus ductum: vel à dea Rhamnusia, quæ modū in omni negotio docet adhibendum.

**Priensis iustitia.**

Suidas ostendit conuenire, quum significamus aliquē in iudicādo plurimū antecellere. A Biante Priensi sumptum. Cuius integritas in iudicandis causis in prouerbium abiit, vt qui in iudicando plurimū valeat, ille in iudicando præstantior Biante Priensi dicatur.

**Rectam ingredi viam.**

Rectam ambulare, siue ingredi viam dicitur, qui nusq̄ deflectit ab honesto. Aristides in Pericle. Vt ordine incedatur, & recta seruetur via, iuxta prouerbium.

**Dum clauum rectum teneam.**

z. iij.

Dum clauum rectū teneam, id est, dñi meo fungar officio. Significat non imputandum euentum parum prosperum artifici, modo is prestiterit, quod artis est. Quintilianus. Nani & gubernator (inquit) vult salua naue in portum peruenire: si tamē tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator: dicetq; notum illud, Dum clauū rectum teneā. Videtur hemistichium è poëta quopiā sumptum.

Ad amussim applica lapidem: non ad lapidem amussim.

Plutarchus in cōmētario, cui titulus, Quo pacto quis intelligere possit se profecisse, Trochaicum hunc prouerbialem refert, Lapis amussi est applicandus, non amussis ad petrā. Admonet vitam ad leges esse corrigendam: non cōtra, leges ad mores nostros trahendas esse, vt id faciamus quod honestum sit: non id rectum existimemus quod facimus.

Ne moueto lineam.

Ne moueto lineā, id est, Ne mutato leges, neq; præterito fines rerum præscriptos. Trāslatum à more veterum, qui metam ducta linea signabant, in qua præmium propositum erat, quod auferret victor. Ducebatur & altera linea pro carceribus, vnde cursus erat initium. Igitur vtraq; linea prouerbij ministravit occasionem.

Ex æquo partire.

Quadrabit in iudicem, aut principem, quæ oportet æquabile ius reddere. Trāslatum ab ijs, qui conuiuū, aut hæreditatem partiūtur.

Æqualitas haud parit bellum.

Æqualitate continetur concordia. Inæqualitas discordiarum est mater.

Quæ non posuisti ne tollas.

Citatur à Platone libro de legibus vndecimo, tanq̃ ex poëta quopiam. Conuenit in successores: & in eos, qui repetunt, quod non crediderunt. Item in eos, qui sibi postulāt acceptum ferri, quod non præstiterunt.

A sacris abstinendæ manus.

Vulgo creditum est, fatū instare ei, qui sacris reb⁹, ac deo dicatis manus iniecerit: aut qui pios homines, aut certe fungentes sacris ministerijs oppugnant, veluti pôtificem Romanum, episcopos, abbates, etiam si parum fuerint pijs moribus. Quod propemodū iam olim dictū est ab Homero Iliados 2. Cū diuo certare viro simulatq; cupit quis, Cuiq; deus benè vult: malū huic breui imminet ingens.

Nemo quēq; ire prohibet publica via.

Proverbij speciem habet & illud Plautinū. Nemo ire quenq; prohibet publica via. Quo significant rerum communium æqualem omnibus vsū esse: neq; cuiq; vertendum vitio, quod ius publicum concedit. Plautus ad Ienē

ERASMI ADAGIORVM

sum turpiculū deflexit, nempe ad vsum scortati publicitus proflantis.

Hæc iustitia.

Diuūm hæc iustitia est, magnus quos claudit olympus. Dici solitū, quoties pœnas darent scelesti, veluti dijs ipsis vltoribus. Sumptum est ex Homero.

Quod alijs vitio vertas, ipse ne feceris.

Quod damnaturus sis in alijs, in te ne admiseris. Ad hæc sententiã faciet illud ex Iliadō ↓ Immo aded si quisq̃ alius patrare pararet Tale aliquid, dānaretis, vitioq; daretis.

Urbanus nihil æqui cogitat.

Admonet rusticanam vitam innocētiorem esse, vt quæ sola cū solis habeat commercia terris. Contrā, qui degunt in vrbibus propter cōtagia negociorū & hominū, astutiores eua dere. Potest & huc accommodari parœmia: quod eximie morū ciuilitati & vrbane blandiloquentiæ, ferè comes esse solet astutia. Contrā qui moribus sunt subagrestibus, ijs plerunq; fides est certior, animusq; syncerior.

INIUSTITIA.

Dat veniam Coruis: Zaleuci lex.

vexat censura Co<sup>o</sup> Malū lucrum, æquale  
lumbas, dispendio.



Declaratio.

Dat veniam Coruis: vexat censura Columbas.

Dat veniam Coruis: vexat censura Colūbas, id est, Pona legū exercetur in humiles quospiam; & à quibus ob ingenij māfuetudinem aliquid emolumentī potest auferri, Rapacibus autē ignoscitur. Sumprū ab apophthegmate Solonis, qui leges aranearum telis adsimiles dicebat: quod ī illas si quid leuius aut imbecillū incutrerit, hæret: sin maius aliquid, dissecat, ac fugit.

Zaleuci lex.

De dicto, mandatoq; nimis rigido dicitur. Hinc ortū. Zaleucus quidā Locrensibus ijs, qui vocātur Epizephyrijs, leges tulit acerbiores: quales feruntur & Draconis fuisse leges apud Athenienses, verè Draconis (vt ille dixit) non hominis. Adagium cōuenit cū illis, *Manliana imperia, & Phalaridis imperium.*

Malum lucrum, æquale dispendio.

Hesiodi carmē traductū sic habet. Ne male lucreris: mala lucra æqualia damnis. quæ quidē sententia cum mortalium omniū, tum præcipue negociatorum, non serinijs, sed peccatori inscribi digna. Docet autem, non esse lucrum, quod iactura bonæ mentis cōparetur: neq; quicq; vtile esse, quod non idem sit honestum. Sophocles Hesiodiā sententiā latius

extulit, Non vñdecunq; (inquit) lucra gaude  
 quætere. Plærosq; siquidem turpibus de quæ  
 sibus Auferre damnū, non salutē videris. In  
 quam sententiā fertur & senarij ille, At tur  
 pe lucrum adducit infortunium.

## RIGOR.

Summū ius summa Ad viuum refecare.  
 iniuria. Radit vsq; ad cutem.

## Enarratio.

Summū ius, summa iniuria.

Significat tum maxime discedi ab æquitas,  
 quum maxime superstitione hæretur legū  
 literis: id enim summū ius appellant, quū de  
 verbis iuris contenditur, neq; spectatur, quid  
 senserit is, qui scripsit. Id quod carpit Colu  
 mella primo rei rusticæ libro. Nec sane est (in  
 quit) vindicandū nobis, quicquid licet. Nam  
 summū ius antiqui, summā putabant crucē.

Ad viuum refecare.

M. Tullius libro de amicitia dixit, ad viuū  
 refecare, pro eo, quod est, rē exactius, ac mo  
 rosius excutere. Idem in libris de finibus dixit,  
 Pressius agere, pro exactius & accurati⁹.

Radit vsq; ad cutem.

De eo dicebatur, qui nimīū exacte videre⁹  
 tur agere cum aliquo. Sumptū à tonsoribus,  
 qui quosdā per pectinem radunt, relictis p  
 lorum quasi stirpibus, quosdā citra pectinem

ad viam vsq; cutem. Cognatum est superio-  
ri, Ad viuum refecare.

V I S I N I V S T A.

Leonis catulum ne alas.	Nō mouēda moues. In antrum haud legis- tinum, stimulū im- pingis
Leonina societas.	Abstinēda vis à regi- bus.
Atticus aduena.	Cyclopica víta.
Centaurice.	Cymia terra.
Mars rex.	Martis campus.
Rus ciuitas.	In caput præcipitari.
Hospes indigenam.	Elucidatio.
Priusq; sortiaris, com- munia deuoras.	

Leonis catulum ne alas.

Æschyli sententia prouerbialis refertur a-  
pud Aristophanē in Ranis, his verbis. Catus-  
lum ne alas leonis in Republica. Ac maxime  
ipsum ne leonē alas ibi. Quod si quis alitus,  
obsequendū moribus. Admonet ænigma, nō  
esse fouendam potentiā, quæ leges possit op-  
primere. quòd si forte talis quispiā extiterit,  
non esse è Rep. decertare cū illo, quē neque-  
as nisi magno Reipublicæ malo deuincere.

Leonina societas.

Leonina societas dicitur, quū òne cōmodū  
ad vnū aliquē redit, reliquis vi fraudatis, qua-  
lis fermè solet esse, cū regibus, aut præpotētis

bus plebeie fortis hominib<sup>9</sup>. Sumptū apparet ex Æsopi Apologo, qui talis circūfertur. Leo, Asinus, & Vulpes, societatem inierant, vt quod venatu cæpissent, id in cōmune partirentur. Prædam vbi nacti erant, Leo, iubet vt asinus partiatur. Ille vt est stolidus, in tres æquas portiones distribuit. Qua gratia mox indignatus Leo, quòd cæteris æquaretur, a<sup>o</sup> sinum adortus dilaniat. Restabat vulpes. Eã de integro partiri iubet, illa totã fermè prædam Leonĩ attribuit, sibi vix paucula quædã seruans, Leo cōprobata distributione rogat, quisnam illam artem partiendĩ docuisset. Et vulpes, Calamitas (inquit) asini.

Atticus aduena.

In violentos & feroces vicinos dicebatur. Duris apud Zenodotum ait ex Atticorum moribus natum: quòd olim finitimos ex sedibus suis exigere cōsueuerint. Craterus inde manasse putat, quòd Athenienses, qui Samũ missi fuerãt, indigenas expulerint. Proinde, pprie quadrabit i eos, qui ita nuper in munus aliquod asciti sunt, vt superiores eijciãt.

Centaurice.

Centaurice fieri dicebatur, quòd immaniter, ferociter, inciuliter ve fieret. Sumpta voce à Centaurorum moribus.

Mars rex.

Suidas interpretatur congruere in princio



pem, qui non legibus Rempublicam tractat. Sunt qui dicant hoc natum à Persis, quibus imperabat Timótheus, qui quoniã Atheniẽsum Rempublicam, diutina rerum omnium prosperitate tuebatur, Mars rex appellatus est, idq; cessit in prouerbiũ.

Rus ciuitas.

Dicitur, vbi quis in vrbẽ neglectis legib9: vi, próq; sua libidine rem gerit. In ciuitatibus enim legibus ex æquo viuatur: in agris licentius agitur. Epicharmus apud Diogenianũ, E ciuitate (inquit) rus facis. Quadrabit etiã in ciuitatem, in qua legum non magnus habetur respectus.

Hospes indigenam.

Hospes indigenam, subaudiendũ, eiecit. Vfus erit, quũ alienæ professionis quispiã aliũ in propria vincit arte. Quod genus si Theologus in arte Grammatica superet Grammatices professorem. Aut si arrogatus, aut adoptiuus, filium eiiceret è familia.

Priusq; sortiaris cõmunia deuoras.

In eum competit, qui non expectata partitione, rem inuadit. Ductã metaphorã indicat Suidas à conuiujs, in quibus antiquitus mos erat, è cibis suã cuique portionẽ distribuere. Porro prouerbiũ sumptũ est ex equitibus Aristophanis, Q uãdo publica (inquit) anteq; illa sortiaris, deuoras.

Non mouenda moues.

Quadrabit in eos, qui moliuntur aliquid: aut qui res sacras violant: aut qui pacta mutant, siue qui conuitijs incessunt eos, quibus ob authoritatē debetur reuerentia. Zenodotus inde natū putat, quod fas non sit mouere, neq; aras, neq; sepulchra, neq; sacella, quibus reuerentia quædam, ac religio debetur.

In antrum haud legitimum, stimulum impingis.

Dicterium in Philadelphum, qui sororem exemplo Iouis vxorem duxerat: quo quidē offensus ille, capitis supplicium sumpsit de eo, qui dixerat.

Abstinenda vis à regibus.

Qui dicet haud temere manū immittendam in reges, potentes, aut viros deo dicatos, adducet illud ex Odyssæ π. Res dira, ac plena pericli est Regale occidisse genus.

Cyclopica vita.

Cyclopica vita dicebatur, quæ esset vita vehemēter effera, ac barbara: quæ neq; legibus, neq; disciplina ciuili cōstet: neq; religione deorū gubernetur. Qualem describit Homerus Odyssæ libro nono, sub persona Polyphemi. Cuius verba sic vertit Erasmus. Despis, aut certè longinquis hospes ab oris Hic ades: vt qui me iubeas cura' ve moueri. Siue timore deū, neq; enī Cyclopica turba Cura'

mus summumve Iouem, ditiosve beatos.

Cyrnia terra.

Cyrnia terra, dicebat regio latrocinij infamis: cuiusmodi ferunt olim fuisse Cynnum. Est autem Cynus insula quaedam mellificio nobilis. Prouerbiū non ineptè detorquebitur in hominem alieni rapacē, ac violentum.

Martis campus.

In eos torquebatur, qui militari cōfidentia pręditi viderentur, quiq; rē vi, nō iudicio gererēt: nō doctis dictis, sed pugnis. Nō ex iure manu confertū, sed improbis clamoribus: & quibus ius est in armis. Ceterum in quo quis valet, id Græci campum illius vocant.

In caput præcipitari.

In caput præcipitari, hoc est præcipitē dari, dicebāt in eum, qui per summā cōtumeliā expellerētur: vel poti⁹, qui fundit⁹ perderet. Est in Luciani libello de mercede conductis.

MAGNIFICA PROMISSA.

Aureos mōres polliceri.	ἐπαύλια δῶρα. Modio demetiar.
Aureus in Olympia stato.	Verba importat Hermodorus.
Charetis pollicitationes.	Alybātij hospitis munera.
Albū panē pinso tibi.	Helperidum mala.
Ariolari.	Ad pileum vocare.

Ego faciã omnia moꝝ Spondæ noxa præsto  
re Nicoftrati. est.

Expoſitio.

Aureos montes polliceri.

Proverbialis eſt hyperbole de ijs, qui im-  
menſa promittunt, ſpẽſq; ampliffimas oſten-  
tant. A Perſarum arrogantia ducta hyperbo-  
le: qui propter auri venas, mōtes aureos ia-  
ctabant. Plautus in Sticho: Neq; ille ſibi me-  
reat Perſarum montes, qui eſſe aurei perhi-  
bentur. Diuus Hieronymus in Rufinum. Vt  
quũ montes auri pollicitus fueris, ne ſcortẽũ  
quidem numum de theſauris tuis proſeras.

Aureus in Olympia ſtato.

Quem ſummo præmio dignum Græci ſi-  
gnificant, ei dicere ſolent, Aureus in Olym-  
pia ſtatuerẽ. Lucianus in Pſeudologiſta, Au-  
reus (vt aiũt) in Olympia ſtato. Quod is ho-  
nos id ætatis præcipuus haberetur loco tam  
celebri, ſtatuum inter illuſtres viros habere.

Charetis pollicitationes.

Dici ſolitũ, vbi quis facile, ac benigne p-  
mittit, iuxta illud Naſonis. Promittas facito,  
quid enim promittere lædit? Pollicitis diues  
quilibet eſſe poteſt. Natũ à Charete quodam  
Athenienſiũ duce: qui quidvis cuius pollice  
batur, at nõ præſtabat item, quod receperat.  
Hunc Charetem nunc fermẽ reges & ponti-  
fices imitantur, dũ omnibus omnia promit-



tunt, neq; recusant quicq̄, vt saltem spe lætos à se dimittāt: atq; vltro etiam inuitent, vt rogentur, spe videlicet illectantes.

Album panem p̄nso tibi.

Dici etiam solitum, vbi quis magnarū rerum spes amplas ostendit. Hinc ductum adagiū, quod videlicet Græcis albus panis in delitijs fuerit, Id quod locis aliquot testatur Lucianus, nominatim in libello De mercede seruiuentibus, Ne per somnum (inquit) quidem vnq̄ albo pane saturatus.

Ariolari.

Ariolari prouerbio dicebatur, qui nihil adferret certi, nihilq; præsentis emolumenti, verum in diem modo pollicitaretur. Ita Dorio Leno in Phormione Terentiana, adulescenti Phædriæ pecuniam daturum se promittenti, Ariolare. Sumptum à diuinis, qui prædicunt euentura. Futurorum autem nulla certa cognitio, quemadmodum eleganter dictum est à Pindaro: qui ait, cæcam esse rerum futurarum sciētiam. Mortalibus autem multa præter spem euenire.

Ἐπαύλια δῶρα.

Ἐπαύλια δῶρα dicebantur magnifica munera. Sic enim appellabantur apud Græcos, quæ postero post nuptias die, sponsæ pater adducebat sponso, pompæ cuiusdam specie. Præcedebat enim puer, candida toga, facem

aa. j.

gestans ardentem. Post hunc canistrifer. Post hunc longa series adportantiū aurū, pelues, reliquāq; supellectilem: interdū & dorē ipsā.

Modio demetiar.

Proverbialis hyperbole, ingens & cumulatū sperantis emolumentū. In magna liquidem rerum exuberantia, non heminis, neq; congijs, sed modio metimur. Suidas integrū citat senarium, quem sic vertit Erasmus. Modio metiar acceptum à patre argentum.

Verba importat Hermodorus.

In eū dicebatur, qui præter verba nihil adferret. Quæmadmodū Laches in Ecyra Terentiana Pamphilum filium rogat, num vnā duntaxat sententiam secum è Lemno reportasset. Aut in eos conueniet, qui verba vedit pecunia, quod in Poëtas, aduocatos, sumi veditores, atq; in id genus homines rectè dici poterit. Natum aiunt ab Hermodoro quodā Platonis auditore: qui commentarios ab illo conscriptos in Siciliam deportare consueuerit, atq; inibi veditare. Vnde Siculi (vt sunt dicaces) rem in prouerbiū verterunt, dicentes, Hermodorum pro mercibus importare verba. Cæterū sophistæ & philosophi lucubrations suas λόγους appellāt, id est, sermones.

Alybantij hospitis munera.

Eustathius interpres Homeri, putat rectè prouerbio dici posse, quoties fit, vt aliquis fa-

so iactet se magna largitū esse: seu verbis dū taxat, non re præstet beneficium. Nam apud Homerū vitimo *Odyssæ* libro *Vlysses* ignoto habitu cum *Laërte* patre colloquens, adsimulat se *Alybantium* esse *Aphidantis* opulentissimi viri filium: & quondā *Vlysses* exceptū hospicio, muneribus amplissimis donatum à se dimisisse.

Hesperidum mala.

*Hesperidū* mala largiri dicebantur, qui magna, splendidaq; largirentur. Notissima est fabula. Huc alluisse videtur *Maro* in *Buccolico* carmine, *Aurea mala (inquit) decem miscras altera mittam.*

Ad pileum vocare.

Ad pileū vocare, pro eo, quod est, ad libertatem inuitare, aut promissis ingentibus seditionem commouere, prouerbiali figura dixit *Macrobius* libro *saturnalium* primo. Dicit aliquis (inquit) nunc me dominos de fastigio suo deijcere: & quodam modo ad pileum seruos vocare. Atq; hæc quoq; verba sublegit è *Seneca*: qui epistola quadragesima septima scribit in hunc modū. Dicit nunc me vocare ad pileum seruos, & dominos de fastigio suo deijcere. Metaphora ducta à veterū cōsuetudine, qua serui quū statū mutarent, ac mitterentur, capite raso pileum accipiebant.

Ego faciā omnia more *Nicostrati*.

aa ij.

Ego faciã omnia more Nicostrati, pro eo capitur, quod est egregie. Nam hũc Nicostratum aiũt comœdiarum actorem fuisse talem, qualis apud Romanos prædicatur fuisse Roscius. Itaq; propter artis famam, in vulgi sermone abiit.

Spondæ noxa præsto est.

Illum sæpe poenitet, qui pro alio spõdet, siue fideiubet. Nam qui pro altero fideiubet, id pollicetur, quod non sit in ipso situm præstare: nẽpe fidem alienam. Fideiubemus autem pro eo, cui creditur pecuniã: & sæpe fit, vt fideiussor cogatur creditori numerare pecuniã. Fideiubemus & apud iudices, de sistendo reo, atq; illo fallente, plectũtur vades. Spõdæ autem noxa præsto est: vnũ est ex tribus illis apophthegmatis, quæ pro foribus tẽpli Delphici ab Amphictionibus inscripta erãt: quæ quidem sic habebãt, Nosce teipsum. Ne quid nimis. Spondæ noxa præsto est.

## SVBITI INTERVENTVS.

Etiam si lupi meminisses.

Lupus in fabula.

Explicatio.

Etiam si lupi meminisses.

Etiam si lupi meminisses, subaudiendum, interuenisset. Dicitur solitum, quoties præter ex-



pectationem interuenit is, de quo fuerat mē-  
tio. Cognatū ei, quod proxime sequitur, Lu-  
pus in fabula.

Lupus in fabula.

Quoties is, de quo sermocinamur, de im-  
prouiso colloquentibus interuenit, Lupū esse  
in fabula dicimus, adesse eum ipsum signifi-  
cantes, de quo fabula narratur. Quod inde  
sumptū putat Donatus, quòd lupus ei, quē  
prior uiderit, uocem adimere dicitur. Verum  
id commentum Erasmo friuolum, nihilq; ad  
rem attinere uidetur: qui quidem alia duo ex  
ipso adfert Donato, quæ omittere uisum est.  
Quū autem forte fortuna in medio sermone  
interuenit is, cuius mentio fiebat, cōuenit car-  
mē Homericum ex Iliados ꝛ. quod traductū  
sic habet. Iamq; aderant ipsi, nondum sermo-  
ne petacto.

VOTVM.

Vtinam cōtingāt ea,	Etiā dormiēs sōniat.
quæ sunt inter Cho-	Non quiduis contin-
rinthū & Sicyonē.	get, qd optaueris.
Omne es alienum ce-	Quæcunq; in somnio
pe, & multa aliū.	videntur.
Votum munificum.	Qui amant, ipsi sibi
Alia dantur, alia ne-	somnia fingunt.
gantur.	Quid nō fies, profes-
Canis panes sōnians,	ctus Arbelas?
	aa. iij.

Semper superioris anni meliora.

Declaratio.

Vtinā contingant ea, quæ sunt inter  
Corinthum & Sicyonem.

Conueniet, vbi quis optat ingentia. Poterit & per iocū torqueri in eum, qui quod alie qui nō potest, id votis tamen quasi somniat. Eustathius enarrans Iliados secundū librum, ait hūc versum olim proverbio fuisse celebratū, Vtinam sint mea, quæcunq; sunt inter Corinthū & Sicyonem. sensus est carminis Homerici, Id inde venit in adagium, quod vrb vtraq; esset opulentissima, agriq; longe feracissimi interiacerent.

Omne es alienū cepe, &amp; multa alliū.

Vniuersum æs alienū cepe, & multa alliū, subaudiendum, esset. Adagium cōuenit, quū quis obstrict<sup>9</sup> multo ære alieno, optat vt paruo dependere possit, quicquid debet.

Votum munificum.

Competit, vbi quis animo spes regias concipit, iamq; voto diues est. Nihil enim voto hominis liberalius. Largitur liquidē cui libet, quantuncunq; petit.

Alia dantur, alia negantur.

Quoties è duabus naturæ dotibus altera contigit, altera negata est: veluti ficui formæ decus adsit, desit ingenij laus. Siue quum è

duobus postulatis alterū, dūtaxat impetra-  
tur: quadrabit illud Homericū ex Iliados π,  
Annuit hoc illi diuūm pater, abnuī illud.

Canis panes somnians.

Sunt quibus prouerbiali figura dictum vi-  
detur illud apud Theocritū in Piscatoribus,  
Siquidem omnis Panes in somnis canis ario-  
latur, at ipse Pisces. Sēsus est, vnicuiq; ea per  
somnia occurrere, quæ impense delyderat,  
quibūsq; magnopere deditus est. Aristoteles  
non solum homini, verumetiam cæteris ani-  
mantibus somnia tribuit, etiam si id in canis-  
bus est eidentissimū: quippe quos audimus  
sæpenumero dormiētes venationē somniare;  
quæ res haud difficile deprehenditur ex ra-  
tione latratus, quem edunt sopiti.

Etiam dormiens somniat.

Hoc prouerbio etiam hodie vtīmur, quo-  
ties significamus, aliquē toto pectore rei cui-  
piam addictū, deditūmq;. Siquidem ijs eue-  
nire solet, vt quæ interdū voluerint animo,  
noctu somnient. Aristophanes in Nebulis. Et  
dormiens equestre studium somniat. De iuue-  
ne dictum est, qui studio alendorum equorū,  
rem patriam omnem absumperat. Et Clau-  
dianus. Omnia, quæ sensu voluūt vota diu-  
no, Tēpore nocturno reddīt amica quies &c.

Non quidvis continget, quod  
optaueris.

Qui negabit omnia cōtingere homini, quę sperarit, animoq; concæperit, accommodabit illud ex *Odyssææ* 7. Frituola scilicet existunt, & inania quędã Somnia: nec quodcunq; vides, sic euenit omne.

Quęcunq; in somnio videntur.

De votis immodicis dicitur. Nã quicquid optaris, id somniare contingit quibuslibet: sicut Mycillus ille Lucianicus diuitē se, ac præpotentem somniat. Et infimæ sortis homines nonnunq̃ reginarū coniugiū somniāt. Pastor quidam apud Theocritū in *Ecloga* nona sic ait. Possideo, quęcūq; solēt sub nocte videri: Cōplures & oues, multas idem ipse capellas.

Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt. Virgilius in *Pharmaceutria*. Credimus, an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt? Seruius prouerbialiter admonet dictum à Poëta. Nã quod quisq; sperat, facile credit. Et tarde, quę credita ledunt, Credimus. Metus autē & spes (vt elegāter & verē scripsit Lucianus i *Pseudomante*) diuinationē & auguria repererunt. Qui impense cupiunt, suis votis vndecunq; blandiuntur: et quidvis in omen optati euentus trahūt. Rursum, qui misere metuūt, quavis ex re solatium formidinis aucupantur.

Quid non fies, profectus Arbelas? De eo dici solitum, qui peregre proficiscēs ingentia sibi pollicetur, fretus gentis (ad quā



demigrat) inscitia, barbarieq: Siquidē Arbelā Siciliæ ciuitas, cuius ciues male audiebāt olīm, vt stupidi; & quib⁹ facile imponeretur.

Semper superioris anni meliora.

Huius adagij vsus est, quū præsentia displicent, & anteferuntur antea. Diogenianus admonet, id acclamatū ab Atheniēsisibus in reb⁹ Macedonicis. Huc pertinet Horatianum illud, Laudator tēporis acti Se puero.

EXCELLENTIA, INAE-  
QUALITAS.

Aquilam noctuæ cō- paras.	Aquilæ senecta. Eqs albis præcedere.
Cicadæ apem compa- ras.	Culicem elephāti cō- ferre.
Achātida vincit cor- nix.	Multis parasāgis præ- currere.
Cancros lépori com- paras.	Testudinē equus inse- quitur.
Testudinē Pegaso cō- paras.	Pica certat cū Lusci- nia.
Senecta leonis, præ- stātor hinnulorum iuuenta.	Bubo canit Luscinia. Tibiam tubę cōparas
Camelus vel scabio- sa, complurium asi- norū gestat onera.	Quāto asinis præstā- tiores muli. Multi discipulī præstā- tiores magistris.

Hinnulus leonem.	Hercules & simia.
Minervæ felem.	Quū sis nanus cede.
Nihil ad Parmenonis suem.	Corui Luscinijs hono ratiores.
Post lesbium cantorem.	Seruus seruo prestat, dominus domino.
Indignus qui illi ma- tellam porrigat.	Inter cæcos regnat strabus.
Aquila in nubibus.	Alpha penulatorum.
Solus sapit.	
Formica camelus.	

Enarratio.

Aquilam noctuæ comparas.

Cõpetit in res supramodũ impares. Aquila nanq; auis est visus acerrimi, adedũ vt non cõnuens aduersus solem intueatur. Et sunt, qui tradant hanc auẽ hoc experimento probare, degenerẽ sine sint pulli, an genuini. Contra noctua, solis lumẽ modis õmbus refugit.

Cicadæ apem comparas.

Idem cum superiori signat. Nam cicada, quum maior, tum canora est: quũ apis fit & minuto corpusculo, & penè muta. Lucianus in Rhetorũ doctore, Inuenies tanto voce superiorem, quanto tuba superat tibia: apes cicadæ.

Acanthida vincit cornix.

Calpurnius Buccolicus poëta, Ecloga sexta. Astyle credibile est si vincat Acãthida cornix, Vocalẽ superet si turpior Ædona bubo. Acã-

thiſ enim vocalis eſt auis, & in primis ca-  
nora, Cornix vero obſtrepera quidem, ſed mi-  
nime canora.

Cancros lépori comparas.

Adagiũ dicitur de valde diſſimilibus, Lé-  
potes quãdoquidẽ curſus celeritate præſtãt:  
quum cancri tardiffimi ſint.

Testudinem Pegalo comparas.

Dicitur de rebus nequaquã inter ſe cõſerene-  
dis. Pegasus equus erat volucer, ſi fabulis cre-  
dimus. Testudine vero nihil tardius.

Senecta leonis, præſtantior hinnu-  
lorum iuuenta.

Proverbiũ ſignat, ſenectutẽ viri fortis ac  
ſtrẽnui, præſtãtiorẽ eſſe iuuenta quorũdam  
ignauorũ, & imbecillium iuuenũ. Fiet venus-  
ſtus ſi longiuſcule tranſſeratur. Veluti ſi quis  
ingeniũ docti ſenis, & exercitati, præferat in-  
genio parum eruditi iuuenis. Dicitur nõ in-  
eptẽ & in ſenectutem crudam, viridẽmq; ani-  
mũq; viribus adhuc pollentẽ: in quam cõpe-  
tet illud Euripidis ex Ioue. Tardus quidem  
pes: animus eſt velox tamen. Eodẽ pertinet  
illud eiufdẽ in Andromacha. Grãuis ſenex,  
& iuuenibus compluribus præſtat.

Camelus vel ſcabioſa complurium  
aſinorum geſtat onera.

De ijs fertur, qui uſque adeo præcellunt  
quofdã, vt etiam ſenes, aut alioquin ægroti,

præstantiores tamen sint illis integris. Aut de  
iis, qui rebus parū prosperis, tamen plus va-  
lent, ob pristinæ fortunæ reliquias, quàm alijs  
rebus integris.

Aquilæ senectæ: Corydæ iuuenta.

Consuevit dici de viuida viridiq; senectæ:  
quæ præstantior sit aliquorum iuuenta. Nam  
anus aquila præstat Corydo auiculæ, etiam  
ætate integra. Citra allegoriam extulit Euripides  
in Andromache. Multis enim (inquit)  
iuuenibus antestatur senex, Cui mens adest ge-  
nerosa.

Equis albis præcedere.

Quando aliquem alijs, quapiã in re longe  
superiorē significabant longq; antea intere-  
uallo, eum albis equis præcedere dicebãt: vel  
quòd antiquitus equi albi meliores haberen-  
tur: vel quòd victores in triũpho albis equis  
vectari soleãt: vel quòd albi equi fortunatio-  
res & auspiciatiores esse credant, vt ad eque-  
stre certamen referamus metaphorã. Quòd  
quidē indicat Apuleius quũ ait, Postq; ardua  
montium, & rosca cespitũ, & glebosa cam-  
porũ emerſi, me equo indigena per albo ve-  
hens, iam eo quoq; admodũ fessio. Neq; enim  
temere addidit, vel indigena, id est, Thessali-  
co: vel albo: nam vtrũq; pertinet ad emphas-  
sim pernicitatis.

Culicem Elephantĩ conficere.



Culicem Elephanti cōferre dicuntur, qui minima maximis cōparant. Libanius ad Casilum. Ego vero perinde sum, quasi culex cū elephante collatus. Huius generis est & Virgilianū illud, Sic canibus catulos similes: sic matribus hœdos Noram: sic paruis componere magna solebam.

Multis parasangis præcurrere.

Multis parasangis præcurrere dicitur, qui longo interuallo præcedit, multisq; partibus superior est. Id quo magis ad animi res transferetur, hoc erit venustius: Veluti si dicas Catonem sapientia reliquos multis præcurrere parasangis &c. Parasangam autem Persæ triginta stadiorum spacium vocant.

Testudinem equus insequitur.

Hoc ad agionis vti conueniet, quum rem præpostere & absurde geri significamus. Adagiū finitimū est illi, Testudinem Pegaso cōparas: & illi, Citius testudo leporē præuerterit.

Pica certat cum Luscinia.

Theocriti carmen ab Erasmo versum sic habet, Haud fas est, picas contendere cum philomena: quo quidem significant, non cōuenire, vt indocti cum doctis certēt. Pica autē auis est molestæ garrulitatis: Luscinia vero est summe musica.

Bubo canit Luscinia.

Prouerbiālī figura etiā dictū est ab eo

dem Theocrito in Thyrside: Bubôq; mōtānus philomenis occinat ipsiſ. Quadrat quū infans ſuadere conatur eloquenti; aut inertus dicitur docere doctiſſimum.

Tibiam tubæ comparas.

Conuenit in res valde impares: propterea quòd exilē vocē edat fiſtula, tuba prægrādē.

Quāto aſinis præſtantioreſ muli.

Theognidiſ illud iſſiſſimā prouerbij faciē habet, Noriſ vti quanto muli aſinoſ ſuperēt. Dicendū vbi quiſ longo interuallo præcedit.

Multi diſcipuli præſtantioreſ magiſtriſ.

M. Tulliuſ libro epiſtolarū familiarū nono, ſcribēſ Varroni, ſenariū hunc refert, Plurimiq; diſcipuli magiſtroſ anteeunt. Ad varioſ uſuſ accommodari poteſt, vel ad ſimplicē ſenſum, putā frequenter euenire, vt diſcipuloſ eruditione ſuperet eum, à quo literaſ, aut artem quāpiam didicit. Aut per iocum, quum ſignificabimur improbitate vinci, qui malitiſ doctor ſuit: veluti ſi quiſ deciperetur ab eo, cui viam ac rationem imponendi demōſtraſſet aliquādo. Siue quū quiſ ordine, conditiōneq; inferior, tamen pluſ valet, quām iſ, qui non parere, ſed imperare videtur.

Hinnuluſ Leonem.

Prouerbialiſ eſt allegoriā, Hinnuluſ Leonem, ſubaudiendum, cæpit, vicit, aut prouocat, aut id genus aliquid pro ratione ſententiæ

tiæ, quoties præpostero rerū ordine, qui viri-  
bus multo est inferior, superat potentio-  
rem. Non incōcinne trahetur ad id quoq; quoties  
fit, vt lōge inferior laceffat potētiorē, aut mul-  
tis partibus indoctior, certet cū eruditissimo.

Mineruzæ felem.

Mineruzæ felē, subaudiendū, cōparas. Quū  
multo inferiora cōparātur cū præstātoribus,  
quòd leuicula quapiā in re cōueniant. Quid  
enī habet Minerva dea cū fele cōmune, præ-  
ter glaucorē oculorū? Nā is oculorū color Mi-  
neruzæ tribuitur: q; & noctuis adest, & felibus.  
Est & hoc felibus cōmune cū noctuis, quòd  
& noctu cernūt, & pariter insidiant muribus.

Nihil ad Parmenonis suem.

De æmulatione dictū, quæ lōgo interuallo  
abesset ab eo, quod imitaretur. Hinc natū, qd  
Parmenon quispiā fuit ex hominū eorū ge-  
nere, qui nostris etiā tēporib⁹, varias animā-  
tiū & hominū voces ita scitē imitātur ac re-  
presentāt, vt audiētibus tantū, nō etiā vidē-  
tibus, veræ, nō imitatæ voces videātur. Neq;  
desunt, quos hoc artificiiū maiorem in modū  
delectet. Parmenon igif hac arte vulgo, vt iu-  
cūdissimus, ita etiā celeberrim⁹ fuisse phibe-  
tur. Quē quū reliqui conarent æmulari, ac p-  
tinus ab omnibus diceretur illud, Rectē quis-  
dē, verū nihil ad Parmenonis suem. Quidā  
prodijt, verā fuculam sub alis occultantē ge-

flans. Huius vocem quū populus imitatitiū esse crederet, statimq; sicuti solent, reclamarent illud, Quid hæc ad Parmenonis suem vera sue deprōpta, ac propalām ostensa, refellit illorum iudiciū, vtpote non ex vero, sed ex imaginatione profectum. Non intempestiūter vtemur hoc adagio, quoties aliquis opinione deceptus, de re perperam iudicat. Veluti si quis epigrāma parum eruditum, ac neotericū supra modum admiraretur, persuasus antiquū esse. Rursum si quod antiquū esset & eruditum, ceu nuperū dānaret. Tantum enim valet hæc imaginatio, vt eruditissimis etiā viris in iudicando frequenter imponat.

Post Lesbium cantorem.

Hoc adagio significabant aliquem nō primas, sed secundas tenere partes. Finitimum superiori, Nihil ad Parmenonis suem. Lacedæmonicū prouerbiū, hac natum occasione. Quū Lacedæmoniorū res, seditionibus tumultuarentur, cōsultum oraculum iussit, vti Lesbium cantorē accerferēt. Accersitus itaq; Terpander Lesbicus nimirum Antissens, & ad Lacedæmonios missus, Is canendo sic illorū animos delinuit, vt seditionem omnē sedaret, redactis in concordiam ciuibus. Qua ex re factum est, vt Lacedæmonij Lesbij cantoribus primas in arte musica partes tribue-



rent: & si quem aliū canentem audissent, pro-  
tinus dicerent, Post Lesbium cantorem.

Indignus, qui illi matellā porrigat.

Hyperbole prouerbialis est, de vehemēter  
inæqualibus, ac ne vlla quidem ex parte con-  
ferēdis. Martialis. Dispereā, si tu Pyladi præ-  
stare matellā Dignus es: aut porcos pascere  
Perithoi. Nā sordidissimū obsequium est mi-  
seri *matulam exhibere, quo qui sic indis-*  
*gnus, is videlicet nimio inferior videtur.* Ex-  
tat & hodie vulgo tritissimus sermo, Indign<sup>9</sup>  
est, qui illi calceos detrahat.

Aquila in nubibus.

Pleriq; interpretantur hoc adagium de re  
magna quidem illa, sed quam nō facile sequas-  
ris. Alij de ijs, qui longe reliquis præcellunt.  
Aristophanes in Auibus. Aquila in nubibus  
fies, id est, longe reliquis præcelles. Interpres  
admonet alludere poētā ac oraculū, quon-  
dam Atheniensibus redditum: quo prædices-  
batur futurum, vt Atheniēses tanto interual-  
lo reliquas vrbes superarent, quāto aquila in  
nubibus reliquis auibus esset sublimior.

Solus sapit.

Narrat Diogenes Laerti<sup>9</sup> Chrysippū philo-  
sophum vsque adeo sibi placuisse, vt cōsultus  
à quodam, cui potissimum filium suum phi-  
losophiæ præceptis instituēdum traderet, sibi  
cōmittendū respōderit. Nam si quem (inquit)

bb. j.

alium me præstantiorem arbitrarer, ipse apud hūc philosophiæ darem operam. Vnde & illud Homericum de eo vulgo iactatū fuisse, Quod solus sciret, reliqui vero vmbre ferrentur. Est autem apud Homerum Odysseæ, de vate Tiresia, cui vni proserpina dederit, vt etiā vita defunctus sciret, reliquas vmbas volitare, & eas quidem nihil aliud, q̄ vmbas. Aptè igitur prouerbium dicitur de ijs, qui tãto intervallo reliquos omnes post se relinquant, vt illi nihil nisi vmbre præ his esse videantur, Planèq; nugæ, & deliria.

## Formica camelus.

De vehementer inæqualibus: & modo minimis, modo maximis: quod perinde sit, quasi repete camelus in formicam vertatur. Lucianus in prima Saturnalium epistola, Nam vt nūc viuatur (inquit) à nobis formica camelus, quemadmodum prouerbio dicitur. Loquitur de opibus inæqualiter inter mortales distributis, vt huic plurimum supersit, huic muleum desit. Neq; intèpestiue dicitur in eos, qui sibi non constant, in vtranq; partem immodici. Quod genus hominum Euripides describit in Troadibus. Quid ita modo hos, modo in hosce mores transilis? Odisti acerbe: amasq; nimium quemlibet.

## Hercules &amp; simia.

Adagium conuenit in minime congruētes.

Simia quandoquidem dolis valet: Hercules vero viribus antecellit.

Quum sis nanus, cede.

De pusillis dictum. Nani enim homunciones appellantur infra modum humani corporis, & prodigiöse breuitatis. Iuuenalis. Nanū Atlāta vocamus. Quadrabit in tenues & humilis fortunæ homunculos: ac quemadmodum ait Horatius, moduli bipedalis, qui potentes sumptu conantur æquare.

Corui Luscinij honoratiores.

Huius prouerbij vsus esse solet, quum indocti doctis præferuntur: improbi probis: blaterones eloquentibus,

Seruus seruo præstat: dominus domino.

Seruóq; seruus potior est: herúsq; hero. Senarius est prouerbialis, admonens in eodē hominū genere, non statim omnes æquales esse, verum hominum habendam esse rationem, non tātum cōditionis. Veluti generosus antecellit suo pte genere plebeium: verum, est nō mediocre discrimē inter generosum, & generosum: itidem inter plebeū & plebeium: aded vt quosdam plebeios nonnullis ingenuis anteponas. Aristoteles libro Politicorū primo. Quædam ministeria honoratiores: quædam autem magis necessaria. Et iuxta prouerbiū, Heróq; herus, seruóq; seruus est prior.

bb. ij.

ERASMI ADAGIORVM

Inter cæcos regnat strabus.

In regione cæcorum rex est luscus. Inter indoctos, qui semidoctus est, doctissimus habitus. Inter mendicos, qui paululum habet nummorum, Cræsus est.

Alpha penulatorum.

Martialis epigramatû libro secundo. Quem non lacernis, Publius meus vincit Non ipse Cordus, alpha penulatorum. Alpha vocauit precipuum, & quasi primatem, prouerbiali nimirum figura. Idem alias iocatur in quendam offensum, quod eum dixisset Alpha: moneturque ut huius iniuriæ talionem faciat, seque vicissim Besta (si velit) appellet. Translatum à notulis litterarum, quibus Græci numerum indicant. Eisdem signiferos & antesignanos appellant: metaphora sumpta à militia.

DIFFERENTIAE.

Longe, lateque.	pinis.
Bis per omnia.	Ne punctum quidem.
Mysorum ac Phrygum	Valeat amicus cum ini-
termini discreti sunt.	mico.
Seiuncta sunt Merihæ	Pastillos Rufill <sup>9</sup> olet,
& Siloam fluentia.	Gorgonius hircum.
Quid distent ara lus	

Elucidatio.

Longe, lateque.

Quum ingens discrimen significant, longe,



latéq; distare dicunt. Citātur in Pādectis hæc ex Vlpiano, Si vsus fūdi sit relictus, minus vsq; esse, q̄ vsufructum, lōge, latéq; distare nemo dubitat. Translatum videtur ab agrorum mensuris.

Bis per omnia.

Hoc prouerbio discrimen ingens, ac lōgissimū interuallum significabant. Vnde quæ pugnantissima inter sese viderentur, totóq; dissidere genere, ea bis per omnia inter se discrepare dicebant. Adagium ex arte musica tuo sumptum est. Plutarchus, & quicunq; veterū, vel apud Græcos, vel apud Latinos de musicæ disciplina conscripserunt, Harmoniarum metam figūt in ea, quæ vocatur, *Δις δις παντων*, id est, bis per omnia. Plura super hac re est videre apud Macrobiū, & Erasmi in huius adagij enarratione.

Myforum ac Phrygum termini discreti sunt.

Strabo libro Geographiæ duodecimo tradit de Phrygijs ac Mysijs prouerbium vulgo iactatum fuisse, istud videlicet, Sunt separati Myforum termini Phrygūq; sed finire, perq̄ est arduum. Huius rei causam adducit: quòd hi populi nō satis stabiliter tutati sint suas sedes: sed subinde aliūde aliò depulsi, terminos incertos reddiderint. Manēt & in hodiernum diem passim id genus de finibus gentiū rixæ,

bb. iij.

longa serie temporū omnia confundente. Isto autem adagio licebit vti, de rebus toto genere inter sese dissidētibus: veluti si quis sentiēs lōge aliud spectare philosophū: aliud Oratorē, dicat, Sūt separati Myforū termini, Phrygūq;. Aut de hominibus, inter quos nihil conuenit, nihil commune intercedit: vt apud Euripidem Achilles. Separatæ sunt meæ res à bonis Agamemnonis.

Seiuncta sunt Merrhæ & Siloam  
fluenta.

De lōgo intervallo dissitis inter sese, dici solet. Veluti si quis dicat, inter amicum & adulatorem plurimum interesse. Adagium finitiū est superiori: quod neotericum esse apparet: & dubiū, an ab Apostolio additum ex literis ecclesiasticis. Siquidē Marra, vocatur locus, in quo Moses aquas pestilentes & amaras iniecto ligno, dulces reddidit, ac salubres. Cæterū ad aquas Siloam missus est à IESV cæcus euāgelicus, quo visum reciperet. Vnde apparet salutare fuisse, dissimillimas aquis Marre.

Quid distent æra lupinis.

Pronebrij faciē habet, quod est apud Horatium in epistolis, Nec tamen (inquit) ignorat, quid distent æra lupinis, id est, nouit discrimē rerum vilium & preciosarum. Agit autem Horatius de ijs, qui beneficia non ita cō

ferunt in quosvis, vel vt abijciant: sed ita col-  
locant, vt expendant & eius meritum ac di-  
gnitatem, cui præstant: & precium muneris,  
quod largiuntur. Porro lupini vilitatē prouer-  
biallyter notauit & Iuuenalis, Tunicā (inquit)  
mihi malo lupini: Quæ si me toto laudet vici-  
nia pago.

Ne punctum quidem.

Diuus Hieronymus in epistolis, Et aposto-  
licæ voluntatis sequentes vestigia, ne punctū  
quidem (vt dicitur) aut vnguem transversum  
ab illius sententijs recedamus. Apud Mathe-  
maticos punctum minimum quiddam est in  
dimensione corporis: aded vt diuidi nō possit,  
quod imaginatione porrectum in longum, li-  
neam efficit: rursū in latum porrecta linea,  
superficiem efficit. Ad eundem modum Te-  
rentius in Andria, Tum temporis ad hoc mi-  
hi punctum est.

Valeat amicus cum inimico.

Quadrat in eos, qui toti ad se spectant, nec  
amici magis, quā inimici rationem habent: cu-  
iusmodi fertur Timon ille Misantropos apud  
Lucianum. Plutarchus in cōmentario de dis-  
cernendo adulatore ab amico. Si nequaquā pla-  
cet illud, Valeat amicus cum inimico.

Pastillos Rufillus olet, Gorgonius  
hircum.

Paræmias speciem præ se gerit illud Horatius  
bb. iij.

tianum in sermonibus. Pastillos Rufillus olet,  
 Gorgonius hircum. Dicendū vel in duos ali-  
 quos diuersis laborantes vitijs: vel in eūdem  
 sui dissimilem: nempe modo loquaciorem q̄  
 fat sit: modo impēdio taciturnum: interdum  
 pueriliter ineptum: interdum Catone seuerio-  
 rem: nōnunq̄ profusum: nonnunq̄ sordidum.  
 Siquidem vt vitio dandū, si quis hircū oleat:  
 ita adæque vituperandū, si quis oleat vnguen-  
 ta. Nam pastilli pillulæ sunt vnguentariæ. Al-  
 terum spurci est: alterum mollis.

## ÆQVALITAS.

Æqua concertatio. Pertinax contentio.  
 Pari iugo.

Declaratio.

Æqua concertatio.

Quum significabimus duos ex æquo pas-  
 ratos ad disceptādum, rixam' ve, licebit accō-  
 modare carnē Homericum, ex Iliados libro  
 quinto, Illi inter sese, iā iam pugnare parātes  
 Obtendūt, parit' eq; manus, præacutāq; pila.

Pari iugo.

Pari iugo dixit Plinius in epistolis, pro eo,  
 quod est, pari studio, pari q; conatu. Quadra-  
 bīt in eos, qui negocium commune certatim,  
 ac simili cōtentione agūt. Translatū à bobus,  
 idem plaustrū æquali iugo trahentibus. Huic



finitima sunt, quæ scribit diuus Hieronymus ad Augustinum, Romæ (inquit) dicuntur esse quæ plurimi, qui possint, & audeant tecum congregari, & in disputatione sanctarum scripturarum iugum ex æquo ducere. Extat & Græcis prouerbiū. Ego & tu idē trahimus iugū.

Pertinax contentio.

Quoties ostendemus obstinatā, ac muliebrem æqualium inter ipsos contentionē: quū neuter altero vult inferior videri, cōueniet illud, quod Iliados libro tertio, Iuno dicit ad Iouem. Ipsa etiam dea sum: genus inde mihi, vnde tibi ortus.

VINCERE ET VINCI.

Palnam ferre.	Hastam abijcere.
Solus currens vicit.	Mea est pila.
Extremum occupet scabies.	Quid nisi victis dolor?
Dare manus.	Victi non audent hiscere.
Herbam dare.	Tolle digitum.
Harena cedere.	

Explicatio.

Palnam ferre.

Palnam ferre, & Palnam tribuere, & Palnam præripere, & his consimiles orationes, tametsi propter frequentem vsum simplices esse videantur, tamen prouerbiali schemate

dicte sunt. Neque enim palma per se victoriam significat, sed arborē perpetuo virentē frondibus. Quae autem ab hac potissimū sumpta sit metaphora, illud arbitrat̄ Erasmus in causa fuisse, quod (quemadmodū in cōiūualibus quæstiōibus refert Plutarchus) hæc vna fuerit cōmunis omnium sacrorū certaminum corona: quum alioqui singuli ludī peculiāres quosdam arbores, aut herbas haberēt, quibus victores insigniebātur: Veluti laurū, oleam, myrtū, apium. Præterea sunt, qui putent hanc arborem initio Phœbo sacrā fuisse ante laurum, & antiquissimū victoris insignie fuisse palmam, nō aliam quāpiam arborem. Quam ob rem autē hæc arbor potissimū delecta sit ad eum vsum ab antiquis, Aulus Gellius causam reddit libro noctium Atticarum tertio, capite sexto. Palmam igitur ferre, est victoriam reportare: & Palmam tribuere, victoriam dare: quēadmodū Præripere palmā, significat victoriam præripere.

Solus currens vicit.

De ijs, qui vincunt nemine cōtra certante. Ductū à stadijs. Nilul autē est negocij vincere, si nemo tecū certet. Concinne dicitur in eos, qui sibi placēt, quasi pulchre causam suā probarint, quū nullus adsit, qui cōtra disputet: in quos cōuenit etiam illud, Desertā causam vincere. Itē illud, Citra puluerē vincere.

Extremum occupet scabies.

Olim pueri cursu certantes, clamare solebant. Occupet extremū scabies: hac adhortātes voce singulos ad cursum, ac male precantes ei, qui fuerit omnium postremus. Id deductum est in adagiū: quo utebantur, qui significarent sese, quocumq; modo velle vincere, neq; cōmissuros, vt inter postremos sint. Ita qui per fas, nefasq; rem augment, ne nō sint inter optimates, qui malis artibus emergūt ad magistratus: qui rationibus quibuslibet, ample venantur sacerdotia, possunt alij respondere, Extremū occupet scabies. Quānq̄ nihil vetat, quo minus in bonā partē detorqueamus, vt si qui summis virib<sup>9</sup> adnuitur, ne ab aequalibus, eruditione, aut rectē factis, aut officijs ab amico superetur, dicat, Occupet extremum scabies.

Dare manus.

Horatius dixit dare manus, p̄ eo, qd̄ est, se victū agnoscere. Nā qui se victori dedunt, ne interimantur, vltro manus ad vincula offerunt. Horatius in Odis. Iā iam efficaci do manus sciētiae. M. Tullius in sermone de amicitia, Ad extremū det man<sup>9</sup>, vinciq; se patiat̄.

Herbam dare.

Herbam dare, pro eo, quod est, victorem agnoscere, ac se victum fateri, passim obuiū est apud doctos. Inde sumptum quod (vt est

author Festus Pōpeius) id erat pastoralis vi-  
tæ iudiciū: propterea quòd antiquitus, cursū  
aut alio quopiam certamine superati, herbā  
ex eodem statim loco decerptam aduersario  
porrigebant, victoriæ agnitæ symbolum. Fe-  
stinius erit adagiū, si ad literariā victoriā  
transferatur.

Harena cedere.

Schemate prouerbiali, Harena cedere, ca-  
pitur pro desistere à certamine, & victoriā v-  
trò concedere. Translatū à pugna gladiato-  
ria. Sic & Horatius, Iam Scythæ lassō medi-  
tantur arcu, cedere campis.

Hastam abijcere.

Hastam abijcere, dixit M. Tullius in ora-  
tione pro Murena, p̄ eo, quod est, causæ dis-  
fidere, & contentionē relinquere. Translatū à  
militia. Desperat enim, quisquis arma in bel-  
lo abijcit, & aut fugam spectat, aut mortem  
expectat.

Mea est pila.

Mea est pila, id est, vicī: & voti sum com-  
pos: aut res mihi in manu est, apud Plautum  
in Truculēto. Sumptum à notissimo pilæ lu-  
do, quum insequentibus multis, vnus aliquis  
præstātor occupat. Consimili figura dixit in  
Cassina, Sed si nūc vult hera facere officium  
suū, nostra omnis lis est, id est, vicimus. Tra-  
ducta metaphora à iudicijs.



Quid nisi victis dolor?

Vsurpandum vbi palam fit in contumeliã quippiam. Sumptum à dicto Brenni palam illudētis Romanos in appendēdo auro, quod stipulatus fuerat ab illis, desperātib⁹ auxiliū, vt è Romanis finibus, abduceret Gallorū exercitum. Plutarchi verba sic vertit Erasmus. Itaq; quum placuisset, vti principes in colloquium venirent, Brennus, & Sulpitius: Romanorum ductor conuenit, vt Romani mille libras auri dependerent: hi simulatq; accepissent aurum, ex vrbe, atq; ex agris discederēt. Super his quū iusiurandū intercessisset, iãq; aurum esset adductū, Galli q; pactę fidei immemores, initio furtim, mox palam deprimebant lancem, Romanorū aduersus illos coorta est indignatio. At vero Brēnus tanq̄ per ludibrium, & irridēdi causa, ensem vnā cū baltheo exutum lancibus apposuit. Porro Sulpitio roganti, quid hoc esset rei? Quid enim aliud (inquit) nisi victis dolor? Atque id dictū iam in prouerbiū abiit.

Victi non audent hiscere.

Qui vincuntur, silentio vincētis sunt. Sensus est carminis ex Pindaro traducti: quod Plutarchus citat in libello cui titulus, Quo pacto quis vtilitatem capere possit ex inimicis. Conuenit cum superiori adagio, Quid nisi victis dolor?

Tolle digitum.

Tolle digitum, id est, victum te fatere. Nā hoc signo, qui in conflictu succubisset, se inferiorē agnoscebat. Persius satyra quita. Nil tibi cōcessit ratio: digitum exere, peccas. Cognatū illi, quod iam notatū est, Dare herbā.

VICTORIA VTRISQVE  
TRISTIS.

Flet victor, victus interijt. Victoria non incrementa.

Testa collisa testæ.

Enucleatio.

Flet victor, victus interijt.

Vsurpatur adagiū, quoties vtraq; pars magno suo malo discedit. Ita vt plerunq; solet in bellis accidere. Item in litibus forensibus: in contentionibus. Nam Hesiodus duas facit Eridas: quarum altera pestifera sit mortalibus, altera frugifera. In priore certaminis genere, qui vicerit, discedit improbius: qui victus sit infelicius. In posteriore, qui superior euaserit, discedit clarior: qui superatus fuerit, discedit seipso melior.

Testa collisa testæ.

Testa testæ collidi dicitur, quū duo conflictantur vtriusq; malo. Aristophanes in Pace. Ac recalcitrās per irā testa testā vulnerat. Talis est ferē cōflictatio regum, inter se belliger

rantiū, qualis ollæ cum olla collisio: nōnunq̄ enim perit vterq̄. Certè non raro fit, vt neuter absq̄ grauiſſimis damnis discedat.

Victoria non incruenta.

Facit hoc tum corruptela iudicū: tum patronorum rapacitas, vt ferè litigantiū vtræq̄ partes plectantur, adeò, vt non raro pœniteat. etiam eum, qui vicit litem. In hos igitur cōueniet Homericum illud ex Iliados g. Nec hi sine sanguine pugnam Mīſcebant.

SECVRITATIS, ET TV  
TAE REI.

In tranquillo est.	Canis tanq̄ Delū nauigans.
In vado.	Porrectis dormire pedibus.
Duabus ancoris ful-	In vtramvis dormire
tus.	aurem.
In portu nauigare.	In vtrumvis dormire
Rem factam habere.	oculum.
Hermionis vice.	In dextram aurem.
In terra pauperem.	Equus me portat, alit
Mœnia Semyramidis	rex.
In tuo regno.	Extra lutū pedes ha-
In tuo laco, & fano	bes.
est situm.	Procul à pedibus e-
Intra suas præſepes.	quinis.
Aliud cura.	Extra telorum iactū.
In diem viuere: Ex tē	
pore viuere.	

Porro à Ioue, atque à Quid Achiros à tur-  
 fumine. re iudicatis?

Post principia. Quasi Millus canis.

Enodatio.

In tranquillo est.

In illum cōpetit, quem significamus iam  
 à periculo abesse. Terentius in Eunuchis. Tū  
 autē Phædræ meo fratri gaudeo esse amorem  
 in tranquillo.

In vado.

Metaphora prouerbialis, In vado esse, p  
 eo, quod est, in tuto, citraq; discrimen. Sum  
 pta à natantibus, aut nauigantibus. Terentius.  
 Omnis res in vado est. Vadū autem est aque  
 fundus, in quo quisquis cōstitit, is iam effu  
 git periculum ne mergatur,

Duabus ancoris fultus.

Dicitur de firmis, & immotis: & qui rem  
 suā probè constabilierunt. Ductū à nauibus,  
 intra portum tuto manētibus; à prora simul,  
 & à puppi proiectis ancoris.

In portu nauigare.

Allegoria prouerbialis, qua significamus  
 nos iam à periculo abesse. Propterea, quod  
 qui in medijs adhuc fluctibus nauigāt, hi vē  
 torum, & æstus arbitrio nauigant. Cōtrā, qui  
 iam intra portum sunt, nihil habent negocij  
 cum vndis ac vētis. Vnde vulgatissima me  
 taphora, hominē, in cuius præsidio conquies



scimus, portū appellamus: & qui sese ad tranquillam, tutā inq; aliquam vitæ rationem traducunt, in portum se recipere dicuntur.

Rem factam habere.

Rem factam habere, aliquoties apud Martialem legitur, pro eo, quod est, certam & indubitatam. Siquidem promissa parum certa sunt. Verum ijs demum queas fidere, quæ iam præstita sint, atq; exhibita. Velut ad Procillū, Tu factā tibi rē statim putasti. Rē factā dixit, quasi non promissā, sed paratā, atq; absolutā.

Hermionis vice.

Hermionis vice, addendum ex usu sententiæ verbū, quod eā expleat, puta, fuero tibi, aut, mea domus: aut, hæc vix erit vobis: aut aliud simile quippiam. Valet autem perinde, quasi dicas loco asyli tibi fuero: vel instar aræ, quæ te tutum reddat. Est Hermione templū in Peloponneso, sacrum Cereri, ac Proserpinae: ad quod qui cōfugerint, tuti sunt propter loci religionem.

In terra pauperem.

Egere præstat in solo, q̄ diuitem sulcare fluitus. Sarius est paululum habere turo, q̄ multum cum periculo. Nec placebāt cuidā opes de funibus pendentes: multo minus, quas eripere, ventis in manu est.

Mœnia Semyramidis.

De muris inexpugnabilib<sup>9</sup> dicebatur, egregiè

cc. j.

glēq; inunitis. Iuuenalis. Vbi dicitur altā Co  
 stilibus muris cinxisse Semyramis urbem.

In tuo regno.

Quod cuiusq; priuatū est, regnum eius dicitur. Sceuola apud Ciceronē in Oratore. Id nisi in tuo regno essemus, nō retulissemus, id est, in villa tua. Quinetiā vulgo iactatur adagium, suæ quenq; domi regem esse. Quod tamē ab ipsa vsq; antiquitate manasse viderur. Quandoquidem apud Homerum Odyssæe Δ, versiculus extat, sic traductus. Aedibus in nostris ego regem gesserō solus.

In tuo luco, & fano est situm.

In tuo luco & fano legitur apud Plautum, pro eo, quod est, in tua potestate, tuo arbitrio, tua tutela, tua manu. Trāslatum à fanis & lucis, numinibus dicatis. Nō nihil diuersum est, quod ait M. Tullius in oratione pro Anlo Cecinna. In meis castris, præsidijq; versaris, id est, mecū facis, & p̄ me pugnāt, quæ dicis.

Intra suas præsepes.

Simili figura dixit Plautus in Cassina. Scit, si id impetret, futurū quod amat intra præsepes suas, pro eo, quod est, certum, ac paratū. Nam quod intra septa nostra clausum sit: id tuto, certōq; possidemus. Dicitum est autē in senē dantem operā, vt ancilla (quam amabat) villico suo nuberet, hoc quidē cōsilio, vt insciēte vxore, quū liberet, ea ruri potiretur.

## Aliud cura.

Quū negabis esse causam, quur aliquis aut dubitet, aut sollicitus sit exempto scrupulo, accommodabis illud Homericum ex *Odissæ* κ. Alcinoe cures aliud. Item Terentius. Atqui iam repperi, aliud cura.

In diem viuere: Ex tēpore viuere.

In diem viuere, est presentibus rebus contentū viuere: atq; ex parato, minime securū de futuris. Quæ vita, Grecis dicitur *κοινὴ βίος*, id est, quotidiana vita: apud quos, q ad eum viuunt modum, nuncupatur *κοινὴ βίος*. Theocritus in *Idyllio* μ. Mortales sumus, haud sunt nobis crastina curæ. Persius. Atq; ex tempore uiuis, id est, citra sollicitudinem futurorum. Vnde & ex tempore dicere, id est, citra præmeditationem.

Canis tanq̄ Delum nauigans.

Dicitur in supinum, ociosum, securū, ac voluptariam agentem vitam. Nam Athenis facilis, ac tuta in Delū nauigatio. Vnde fiebat, vt qui illuc soluerent, inter nauigandū securi, nihilq; periculi metuentes canerent. Mos autem erat Atheniensibus, vt quotannis nauim solenni apparatu religionis causa, Delum mitterent. Id quod indicat Plato in *Critone*. Vnde consentaneum est, qui hac veſtabantur, hymnos quosdam in Apollinis laudem solitos decantare.

Porrectis dormire pedibus.

Hoc quoq; in supinos, ociosos, & securos torquetur. Ad eandem figurā pertinet, quod in Aristophanis Pluto dixit Mercurius. Sublatis pedibus requiesco, & supinus per ocium. Et per supinitatem, negligentiam, incogitantiamq; significamus.

In vtramvis dormire aurem.

In vtrāvis dormire aurem, est animo ocioso, securo, vacuóq; esse. Terentius in Andria, Faciam in vtrāvis aurē, ociosus vt dormias. Vtitur eo Basilius in epistola quadā, sed malā ī partē, ita vt supinā securitatē intelligi velit.

In vtrūvis dormire oculum.

Plautus in Pseudolo. De isthac re in oculū vtrūvis conquiescito. Sensum habet eundem cum superiore, In vtrāvis dormire aurem.

In dextram aurem.

Eodem sensu cū superiore adagio, in vtrāvis dormire aurē, Dixit Plinius, in dextrā aurē. Ita enim scribit Romano suo. Nihil quod in dextram aurem, fiducia mei dormias, non impune cessatur, id est, nihil est, quod sis securus. Sic enim admonent medici, vt in primo somno, qui profundissimus esse consuevit, in aurem dextram incumbamus. Quum experē recti redormire cupimus, in sinistram. Porro qui leui somno vult vti, in neutram incumbit aurem, quo facilius expergefiat.



*Equus me portat, alit rex.*

Ab illo, qui cōmodissime uiuat, vsurpatur prouerbiū istud. Natū autem hinc esse perhibetur: quōd iuuenis quidam sub rege Philippo stipendia faciebat. Is quum admoneretur, vt missionem peteret, seseq; à militia abdicaret, negauit se facturū, his verbis, *Equus me portat, rex me alit*: quibus quidem verbis significabat se cōmodissime uiuere, vt qui & pedibus alienis ingrederetur, & aliena pecunia pasceretur.

*Extra lutum pedes habes.*

*Extra lutum pedes habes*, id est, emerfisti è periculo: aut extra periculum constitutus es. A viatoribus sumptū. Et in luto dicuntur hæsitare, qui molestis inuoluuntur negocijs, vnde de se nequeant explicare.

*Procul à pedibus equinis.*

Hac voce etiam hodie vulgo vtuntur, quū significant fugiendū esse periculum: qua quidem voce monere consueuerūt, vt quisq; sibi caueret in certaminibus equestribus: quam deinde vulgus prouerbij vice vsurpanit.

*Extra telorum iactum.*

*Extra telorū iactū*, pro eo, quod est in tuto, citráq; periculum, solet accipi. Trāslatum à bellis, vbi qui nolunt feriri iaculis, longius femouent sese, q̄ vt possint contingi iactu telli: aut in loco à iaculis defenso se continent.

cc. iij.

Lucianus in votis. Optat quispiam pennas,  
vt è sublimi spectare possit dimicantes, ipse  
tutus à iaculis.

Porro à Ioue, atq; à fulmine.

Admonet non esse agendū cum præpoten-  
tib<sup>9</sup>, qui nutu possint perdere, siquādo libeat:  
maxime cū regibus, ac tyrānis. Habent enim  
fulmen, siquādo commoueantur. Porro Ioui  
fulmen attribuūt poëtæ: & reges quidam hac  
effigie suos colossos fingi voluerunt, authore  
Plutarcho: cuius est hæc cum primis elegans  
similitudo. Quēadmodū in vulnere (inquit)  
prius apparet sanguis, q̄ plaga: & quēadmo-  
dū prius emicat fulgur, q̄ tonitrus audiatur.  
Ita apud tyrānos, hoc est principes fermè om-  
nes, prius erumpit condemnatio, q̄ probatio:  
& perijt delatus, prius q̄ coarguatur.

Post principia.

Eādē fermè sententiam habet cum super-  
iore, Extra telorum iactum. Sūptum quoq;  
à bellis: in quibus summum periculum est ijs,  
qui in prima stant acie. Terētius in Eunuchō.  
Tu hosce instrue: hic ego ero post principia.  
Inde omnibus signum dabo. Erat autem hic  
locus timido nebuloni conueniens: id quod  
ridens Gnatho, Illuc (inquit) est sapere, vt ho-  
sce instruxit, Ipsus sibi canit loco. Donatus  
admonet eū vsū verbo militari. Porro Ve-  
getius libro de re militari secūdo testatur, p̄i

cipales in acie milites, dici proprie principia.

Quid Achiuos è turre iudicatis?

Non inconcinne torquebitur ad eos, qui in tuto cõstituti, de ijs iudicant, qui in periculo versantur. Quẽadmodũ faciũt ij, qui in turre, aut vallo sedentes, ociosi spectant, iudicantq; præliantes, ac in multis animi robur aut cõsiliũ desiderat: quod ipsi nequaquã præstaturi forent, si in eodem discrimine versarentur.

Quasi nullus canis.

Sapit & hoc prouerbium, quod apud Sisinum Capitonem adpopulum dixit Scipio Æmilianus, Nobis (inquit) reiq; publicæ præsidio eritis, quasi nullus canis. Nam nullus, est collare canum venaticorum, coriaceum, clauis ferreis confixum, eminentibus aduersus impetum luporum. Ad hunc igitur modum, certum, firmũq; præsidium significabimus.

#### NOTVS.

Domestice notus. Principes inter se noti.  
Intus & in cute. ti.

Explanatio.

Domestice notus.

In eum, qui sit notissimus quadrat: quod quidem venustius erit, si ad res animi traducatur: vt si quis dicat artem Rhetoricam, domestice alicui notam. Eiusdem generis est Plin.

ERASMI ADAGIORVM

nianum illud, in epistola ad Atticum Clemen-  
tem. Hunc ego, in Syria quū adolescentulus  
militarem, penitus, & domi inspexi.

Intus & in cute.

Intus & in cute notus, est modis omnibus  
cognitus: perinde quasi dicas, foris, atq; intus  
notus. Persius. Ad populum phaleras, ego  
te intus, & in cute noui: id est, alijs fucum fa-  
cito, mihi planè not⁹ es, neq; potes impostu-  
ram facere. Et summam cutem primam illā  
rei quasi frontem, ac speciem vocamus.

Principes inter se noti.

Qui dicet mutuum principum, aut eruditio-  
rum inter ipsos esse noticiam, etiam si dis-  
uersas, lōgēq; distitas habitent regiones, vsur-  
pare poterit illud ex Odissæ, Nō ignoti in-  
ter se sunt diui morte carentes. Quāq; semo-  
ti diuersa in sede morētur. Torqueri poterit  
& in Satrapas istos, qui tametsi belligerari vi-  
dentur, magnōq; rerum tumultu conflictari,  
tamen ipsi clanculum inter se colludunt: hoc  
tantum agentes, vt suam vterq; plæbem ex-  
hauriat: & imminuta reipublicæ autoritate,  
suam constabificent tyrannidem.

IGNORATIO.

In alio mundo.

In alieno foro litigare.



In tua ipsius harena. Prorsus ignotus.  
 Albus, anater sis, ne scio. Nomine tantum notus.

Non nouit natos. Latè viuens.

Explicatio.

In alio mundo.

Figura prouerbialis est, qua nunc etiã vulgaris utitur. Dicitur autem de ijs, qui longe, latèq; distident à moribus aliorũ: aut quibus omnia noua vidètur. Aut qui longe distiti sunt à patria. Plutarchus i Symposiacis. At Græcorum genus prorsus alienũ, ac peregrinũ à nobis, velut in alio quopiam mundo natorũ, ac viuentium. Hæc ille. Solet autem hoc vsu venire plerisq; mortalibus: vt si quãdo noui hospites in regionem longule à suo nido distitã peruenerint, nihil non horreant, non stupeant, non admirentur, perinde quasi in aliũ delati orbem.

In alieno foro litigare.

In alieno foro litigare, pro eo accipitur, quod est in re noua, cui que nondũ assueueris, versari. Habent enim diuersa fora, diuersas litium formulas, variãsq; tractandarũ causarũ rationes: quarũ qui rudis sit, is tãq; hospes in peregrina regione multa desyderet necesse est.

In tua ipsius Harena.

In tua ipsius harena, id est, in tua ipsius arte. Sumptum à gladiatoribus, solitis in harena

na diligētiari. Neq; vero parui referebat horum, nota an ignota dimicarent harena.

Albus, an ater sis, nescio.

Solet dici de homine vehementer ignoto. Quintilianus vndecimo oratoriarum institutio-  
tionū libro. Negat (inquit) se magnifacere ali-  
quis poëtarū, vtrum Cæsar sit albus, an ater  
homo. Catulli autem in Cæsarem hoc extat  
carmen. Nescio vtrū sis albus, an ater homo.

Non nouit natos.

Simillima huic figura est, natū nō noui, p-  
eo, quod est, prorsus ac modis omnibus igno-  
ro. M. Tullius libro familiarū epistolarū no-  
no ad Papitium. Nam mihi scito iam à regia-  
bus ultimis, allatas esse literas, quibus mihi  
gratias agant, quod se mea sentētia reges ap-  
pellauerim, quos ego nō modo reges appella-  
tos, sed omnino natos nesciebam.

Prorsus ignotus.

In hominem, quem nobis mirum in mo-  
dum ignotū videri volumus, per iocum tor-  
quebitur illud apud Homerum frequēs. Dic  
quis, & vnde venis, tibi vbi patria, atq; parē-  
tes? Cognatū illi, Albus, an ater sis, nescio.

Nomine tantum notus.

Horatius in sermombus sic scribit. Accur-  
rit quidam notus mihi nomine tantum. Hoc  
autem prouerbio vulgus tenuem quandā, ac  
vulgarem noticiā significat. Atq; id etiā plus

habebit veneris, si ad res animi traducatur: ut si quis dicat philosophiam alicui, vix etiã nomine cognitam.

Late viuens.

Late viuēs, siue, Falle viuens, id est, sic viue, ut nemo te sentiat in vita fuisse. Admonet adagiũ in humili fortuna vitã esse feliciorẽ, ijs qui obscuri viuunt, & à publicis negocijs ita semoti, ut quũ vita decessissent, nemo illos vixisse sentiret. De hoc adagio rectè dictum sit, necne, Plutarchus cõmentariũ conscripsit. Natum est autem ex Apollonij Tyanæ apophthegmate: ad quod alludit Horatius. Nec vixit male, qui natus, moriensq; fellit, id est, quem nemo sensit, nec prodeuntẽ in hanc vitam: nec excedentem è vita.

CONTEMPTVS ET  
VILITATIS.

Tineas pascere.	Ne guttam quidem?
Homo tressis.	Ne ramenta quidem:
Concha dignus.	Ne festuca quidem
Ne ligula quidem di-	ditior.
gnus.	Sacrum sine fumo.
Nec vno quidem di-	Aquila nõ captat mu-
gnus.	scas.
Ne numus quidem	Elephantus nõ capit
plumbeus.	murem.
Ne allij quidẽ caput.	Aquila thripas aspici-

ERASMI ADAGIORVM

ciens.	Ficulnus.
Aquilam cornix pro- uocat.	Carica musa.
Asinus compluitur.	Ficulnus gladius.
Súsq; deq; fero.	Telluris onus.
Manū non verterim.	Indus elephāt <sup>9</sup> haud curat culicem.
Asinus esuriēs fustem negligit.	Barbam vellere.
Pili non facio.	Medium ostendere di- gitum.
Quam curat testudo muscam.	Vitiosa nuce nō emā. Trium literarum ho- mo.
Nauci non facio.	Quatuor obolis non æstimo.
Flocci non facio: aut Floccifacio.	Sale emptum mancia- pium.
Fruſto panis.	Locrenſis bos.
Fumi ymbra.	Imi ſubſellij.
Fulgur ex pelui.	De ſece haurire.
Oppedere: & oppe- dere cōtra tonitrua	Munus Leuidentſæ.
Non eſt curæ Hippo- clidi.	Cicernus Bacchus.
Plūbeo iugulare gla- dio.	Tragicus rex.
Septimus bos.	Tricæ Apinæ.
De lapide emptus.	Nebulæ in pariete.
Seruorum ciuitas.	Calabri hoſpitis xea- nia.
Pomarius Hercules.	Cubito emungere.
Ollaris deus.	

Interpretatio.



## Tineas pascere.

Tineas pascere dicuntur, quæ neglecta, sicut pereunt. Ductum à vestibus: aut librís diu res conditis, & intactis. Horatius in sermonibus. Contrectatus ubi manibus fordescere vulgi Coeperis: aut tineas pasces taciturnus inertas: Aut fugiens Vticam: aut vincustus mittaris Ilerdam.

## Homo tressis.

Persius tressem agasonem appellat, contemptissimum homuncionem. Idem. Et centum Græcos curto cētusse licetur, id est, minimo. Tressem autem dixit, noue: quasi tribus assibus aestimandum. Assis autem erat ærei numusli genus. Persianum carmen sic habet in quinta satyra. Heu steriles veri quibus vnà quiritem Vertigo facit. Hic Dama est, non tressis Agaso.

## Concha dignus.

Rem nullius pretij concham dicunt Græcis quæadmodum Latini nauici, aut floccum. Unde quod contemptissimum, nulliusque rei significabant, id concha dignum dicebant.

## Ne ligula quidem dignus.

Ne ligula quidem dignus, dicebatur homo nequam, & nullius pretij. Quod prouerbij dicitur etiam hodiernis diebus apud Latinos vulgo iactatum.

## Nec vno quidem dignus.

De vilissimo dicitur. Translata metapho-  
ra à iactu talorum : in quo vnionis numerus  
infimus erat. Demum vbiq; in rationibus nu-  
merorum minimum quiddam est vnio: ac ne  
numerus quidem, vt autumant philosophi.  
Ex aduerso, quē multi pretij significāt, hunc  
multa re dignum, trita nimirū figura, dicūt.

Ne numus quidem plumbeus.

Numū plumbeū per hyperbolem prouer-  
bialem, pro minimo pecuniæ ponunt, Plau-  
tus in Cassina . Cui homini hodie peculi nus-  
mus non est plumbeus?

Ne alijs quidem caput.

Prouerbialis est hyperbole, Ne alijs quidē  
caput dedit: qua vsus est & Aristophanes in  
Vespis. Cōueniet autem in fordidum: & im-  
pendio parcum.

Ne guttam quidem.

Manet etiam hodie vulgo tritissimum, Ne  
guttam quidē dedisti, id est, ne minimū qui-  
dem dedisti. Aristophanes. At tu mihi da pa-  
cis vnā guttulam.

Ne ramēta quidē: Ne festuca qdē ditior.

Ne ramenta quidem ditior, hyperbole est  
puerbialis. Plautus in Rudētibus. Nunq̄ Her-  
cle hinc hodie ramēta fies fortunatior: perin-  
de quasi dicas, stupa ditior. Eundē sensum ha-  
bet, Ne festuca qdē ditior, p, ne minimo qdē.

Sacrum sine fumo.

Dicitur de nimiū tenui cōuiuio: & in quo nihil cocti obsonij apponitur. Translatum à pauperulorū sacris, molas, thusculum, lac, aut corollas offerētium: quū dii nidorē illum expectent, vnā cum fumo subuolantem.

Aquila non captat muscas.

Prouerbiū signat, summos viros negligere minutula quæpiā. Animus excelsus, res humiles despicit. Aut egregie docti nōnunq̄ in minimis quibusdam labuntur. Et maximis occupati negocijs, ad pusilla quædam cōniuent. Effertur & citra negationem adagium, hoc modo: Aquila venatur muscas, quoties magnis minima sunt curæ.

Elephantus non capit murem.

Parœmia significat, generosum & excelsū animū, negligere prædas viles, ac lucella minuta. Vir egregie doctus, non insectatur minutulos istos literatorū simios. Homo præpotens, non offenditur iniuriolis tenuium.

Aquila thripas aspiciens

De magnis, qui pusilla negligūt. Est thrips auicula quæpiā minutissima, quā aqla quū videat, vt est oculatissima, haud tamen dignat̄ p̄seq, vtpote prædā vnguib⁹ suis parū dignā. Ad hūc quidē modū Erasmi⁹ iuenit i Græcorū cōmentarijs: verū fateē se nescire, an mēdose. Nā thripas reperit vermiculi quoq; gen⁹ esse,

Aquilam cornix prouocat.

Tradunt peculiare cornicibus esse, irritare aquilam. Verum illa negligit prouocantē, intelligens nimirum sibi ab illa noceri nō posse. Locus igitur fuerit adagio, si quando leuiusculus quispiam homūcio, qui quidē neq; prodesse queat, neque lædere, maximis viris oblatrat.

Asinus compluitur.

Dictū est in eos, qui maledictis nihil omnino commouentur. Quēadmodū asinus obcutis duritiem adēdē pluuia nihil offenditur, vt vix etiā fustē sentiat. Cephisodorus apud Suidam in Amazonibus. Rides, at ego asini more verbis compluor.

Susq; deq; fero.

Apud Plautum, atq; alios authores prouerbialiter positū inuenitur, Susq; deq; fero: & sus'q; deque habeo, pro eo, quod est, nihil mea refert, nihil laboro, & sus'q; deq; habeo. Aulus Gellius libro noctium Atticarum xvj. scribit, Sus'q; deque ferre, idem valere, quod æquo animo esse, & quod accidit, non magni pendere: atq; interdū negligere & contēnere.

Manum non verterim.

Prouerbialis hyperbole, Manum non verterim, pro eo, quod est, nihil omnino laboro, Mea nihil refert. Nihil enim facilius, quā manum vertere.

Asinus esuriens, fustem negligit.



In eos cōgruit, qui ventris compendij gratia, quamvis contumeliam perferunt. Refert Aristoteles in libris moralibus, negās fortem esse censendum, qui quovis pacto toleret incommoda. Alioquin asinos longe fortissimos futuros, qui dum esuriunt, nullis verberibus à pabulo dimoueri queunt.

Pili non facio.

Est latinis hæc familiaris hyperbole, Nō facio pili, Ne pilo quidem melior, quum minimū quiddam momenti significant. Catullus. Non faciūt pili cohortem. Pili vilitas, etiam Græcis in prouerbio fuit. Vnde ἀξίος πειχῶς, id est dignus pilo. Quo durior erit trāslatio, hoc venustior. Nam pili non facio, præter hyperbolen, nihil penè habet figuræ. At ne pilo quidem doctior, Ne pilo quidem iniucūdior: Ne pilo quidē honoratior: atq; id genus orationes, quoniā paulo longius recedunt à simplici sermone, plusculum accipiunt gratiæ.

Quàm curat testudo muscam.

Adagium confine est illi, Nō curat culicem elephantus. Itē illi, Elephantus non capit murem: quibus prouerbijs signāt generosum animum, & excelsum, negligere prædas viles, ac lucella minuta &c. Suidas ex quopiā autore refert hæc verba, Agamemnon autem minoris faciebat Therisitæ maledicentiam, q̄ testudo muscas, quemadmodum prouerbio didd. j.

citur, Testudini nihil nocere possunt muscæ,  
propter testam, qua munita est.

Nauci non facio.

Nauci esse, & naucifacere, pro eo, quod est,  
nihil esse, & nihil facere, sæpicule apud Plau-  
tum reperietur. Quid autē nauci significet;  
seruus quidam Plautinus, quum crebrius ea  
voce esset vsus, tamē scire se negat. Plautus.  
Qui homo timidus erit in rebus dubijs, nau-  
ci non erit. Grammatici quidam (inter quos  
Pōpeius Festus) aiunt nauci significare nucis  
putamen, aut oleæ nucleum; aut eam mem-  
branulam, quæ visitur in medio nucis iuglā-  
dis interstita; deniq; rei cuiusvis putamen. Sūt  
& aliæ de nauci sententiæ, quas qui volet co-  
gnoscere, legat Festū, in dictione Naccæ.

Flocci non facio: aut floccifacio.

Eadem ratione dictū est, floccifacere, & ne  
flocci quidē facere, pro eo, quod est, ne rātuli  
quidē facere. Est autē floccus particula lanæ;  
quæ inutilis à vellere diuellitur, atq; euolat:  
aut certe simile quiddā nullius pretij, aut mo-  
mēti. Exempla passim apud authores obuia  
sunt, vt non videatur operæpretium hoc in-  
culcare loco.

Frusto panis.

Frusto panis, pro re quantūlibet pusilla ac  
vili, nostris quoq; temporibus vulgo dicitur.  
M. Cato in oratione quadā M. Cœlio vilitas

tē opprobrians nō loquendi tantum, verū etiā tacendi, Fruſto (inquit) panis cōduci poteſt, vel vti taceat, vel vti loquatur. Videtur hyperbole ſūpta, vel à canibus, quos fruſto panis inuitare ſolemus, vel à mendicis.

Fumi ymbra.

Prouerbiali hyperbole id dixit antiquitas, pro re qualibet vili. Sophocles in Antigone, Reliqua, fumi ymbra non emerim. Quū omnis ymbra res quædam eſt inanis, tū vero fumi ymbra, penè dixeris ymbra ymbrae.

Fulgur ex pelui.

Dicitur de minis inanibus eorū, qui lædere non queant. Fulgor enim qui fulguris imitatione quadā è vaſculorū nitentiū vibratione, aut ex aquis redditur, nocendi vim nullā habet: pueros modo territat. Habetur & hodie ſpecula quadā, quæ vibrata ad ſolem, fulgur imitantur. Verū id, fulmen nō eſt, quod montes ac maria percutiat, vt inquit Plinius.

Oppedere: & Oppedere contra tonitrua.

Oppedere prouerbialiter, pro reclamare & cōtemnere reperitur uſurpatū. Horatius in ſermonibus. Vin' tu curtis Iudæis oppedere? Ariſtophanes in Pluto. At paupertati oppedere triſti. Quòd iā diuites facti, paupertatē negligere poſſent. Idem in nubibus. Ac volo contra tonitrua oppedere. Verba ſunt Socra-

dd. ij.

tis adorantis nubes, & contemnentis tonitrua Iouis. Interpres addit natū ex artificio quodā in scena representari solito, lapillis ex amphora, in vas quoddam æneum præcipitatis, atq; ita tonitruī strepītum imitātibus, vt hoc sit velut obstreperere tonitruis.

Non est curæ Hippoclidī.

Hoc adagio significabant se quippiam negligere, neq; magnopere laborare. Natum ex historia, quam pluribus verbis narrat Herodotus in Eratone. Hic Hippoclidēs erat Tisandri filius: qui cum multis alijs iuuenibus Clisthenis Sicyonijs filiam ambiebat. Verum quū Clisthenes procos toto anno probaret, & Hippoclidēs in conuiuio indecoram quandā saltationem edidisset, sublatis in altum pedibus, pater offensus inhonesto iuuenis lusu, ait, Fili Tisandri, à nuptijs tua saltatione excidisti. At ille protinus respondit: Haud curat Hippoclidēs. Ea vox (vt testatur Herodot⁹) in prouerbiū abiit.

Plumbeo iugulare gladio.

Plumbeo iugulare gladio, est futili, leuiq; argumēto cōvincere quempiū. M. Tullius ad Atticū. Quū illū plūbeo gladio iugulatū tamē iri diceret. Idē in libris de finibus, frigidū argumentum, plumbeū appellat pugionem.

Septimus bos.

Olim in stupidos, brutosq; dicebatur. Vnde



celebratus senarius, Venustū adagium septimū narrat bouem. Id hinc ortum esse tradūt: quòd antiquitus post sextā lunam bouis imaginem è farina pinsere cōsueuerint, qui septimam lunam cornibus referret. Sunt qui malint hinc natū: quòd quum apud veteres sex animantiū genera maētari dijs soleant, Ouis, sus, capra, bos, gallina, anser, pauperes non habentes viuū animal, quod immolarent, bouis simulachrū è farina fingere consueuerūt. Is quoniam sensu, vitāq; careret, in stoliditatis abiit prouerbiū.

De lapide emptus.

In vilissimum & vehementer obscurum hominem dicebatur. Nam inter seruorū genera, extremæ notę habebātur emptitij, potissimū qui palām in foro diuēditū fuissent. Olīm autem de lapide, siue ex lapide vēdebātur serui. Adagiū simillimū illi, Sale emptū mancipiū.

Seruorum ciuitas.

De cœtu, cōuictūq; hominū improborum, furacium, aut ignobilium dicitur. Est hoc nomine ciuitas quæpiā in Lybia, vt est author apud Suidam Ephorus in quinto: apud Stephanum Hecatæus. In hanc si quis seruus lapidem importasset, continuo liber fiebat, etiā si peregrinus fuisset.

Pomarius Hercules.

Pet cōtemptū dicebatur in eū, qui nomen

dd. iij.

quidem magnificum gereret, cæterū opibus nullis, nullāq; potentia pollens. Ab euentu natum. Narrat Suidas, quum rustici quidā Herculi bouē essent immolaturi, isq; rupto fune profugisset: nec esset, quod sacrificaretur, postmū arreptū suppositis quatuor ramis, crurū vice, deinde additis alteris duobus ceu cornuum loco, bouem utcūq; sunt imitati: idq; ridiculum simulachrum pro victima sacrificarunt Herculi. Iulius Pollux libro de vocabulis rerum primo, fabulam aliquanto secus narrat. Vide Erasmus.

## Ollaris deus.

Dicebatur in hominē humilem, & cōtēptū fortis. Magij dij, ebore, auro & argento sculpebātur: At plæbeij illi, & minutuli (quod genus sunt Silenus & Priapus) qualibet materia fingebantur: ligno, nonnunq̄ & luto: quo videlicet argento, fingūtur & ollę. Vnde nō inepte quadrabit in eum, qui studeat haberi inter aulicos optimates, sed nec opibus pollens, nec autoritate valens apud principem.

## Ficulnus.

Lignum ficulnum vt fragile, atq; ad omnia ferme inutile, prouerbijis aliquot locum fecit. Nam virum ficulnum appellant mollem, atq; inutilem. Aristophanes in Pluto. Ego Hercle ficulnum, ac præpotentem istum deum Compulero pœnas hoc die dependere. Ficulnum

deũ appellat, imbecillũ, ac nullarũ viriũ. Ficulnã mentẽ dixit Lucianus. Eodẽ respexit Alexander, Pseudomãtis libros Epicuri, lignis exurẽs ficulnis, nullius pretij philosophũ significãs. Et ficulnũ auxiliũ, pro iualido, atq; iutili.

Carica muŒa.

De lugubri, aut rustica, atq; indocta, seu molesta cantione dici solitũ. Quadrabit & in poẽtam, aut oratorem indoctum. Antiquitus enim de tristi, stridulãq; & inamœna cantione dicebatur. Propterea quod (vt tradit Athenæus) Cares itidẽ vt Phœnices, in luctu tibijs vti solent magnitudine palmi, lugubre quiddam, & stridulum sonantibus.

Ficulnus gladius.

De friuola causa dici potest, quæq; nimio negotio queat refelli. Dicitur est autem ficulnus gladius sycophanta, quod idem & molis sit, & calumniator.

Telluris onus.

De homine vehemẽter inutili: qui nihil aliud, q̃ terrã suo pondere grauet. Natũ ex Homero, apud quem Achilles Iliados 2, hoc pacto loquitur, *indigne ferẽs ocium, & quod nõ ineat prælium cum reliquis copijs, Nauibus assideo telluris inutile pondus.*

Indus elephãtus haud curat culicẽ. In epistolis, quæ Phalaridis nomine feruntur, extat huiusmodi quoddam adagium, *Cu*  
dd. iij.

licē hāud curat elephantus indicus. Dictū est autem ob singularem duritiem cutis elephātinæ, qua fertur etiam iacula excutere.

Barbam vellere.

Prouerbiū sumptū est à gestu, quo quidē summū contemptū ac ludibriū significamus. Horatius sermonū libro primo, Barbā tibi vellūt lasciui pueri. Persius, Idcirco stolidā præbet tibi vellere barbā Iuppiter? Idē aliās. Si Cynico barbā petulās nonaria vellit.

Medium ostendere digitum.

Medio digito porrecto, supremū contemptum significabant. Martialis, Atq; illi digitū porrigeret medium. Nam hunc digitū Martialis impudicum vocat, Ostendit digitū, sed impudicū. Idem significant & prouerbio illo, Mandare laqueum. Elegantius fiet, si vtrunq; longius detorqueatur. Vt philosophicis præceptis laqueum mades, tu tuo viuito more. Et theologorū decretis negociatores mediū vnguem ostendunt, id est, planè contemnūt, ridētque.

Vitiosa nuce non emam.

Apud Plautū est, Vitam tuam vitiosa nuce non emam, pro eo, quod est, ne minimo quidem. Et vulgo dicimus, Cassa nuce nō emerim: & putamine nucis non emerim.

Trium literarum homo.

Per ironiam dici potest in eum, qui genes



rosus, & ingenuus videri cupiat. Inde natū, quòd olim ingenui, nomen, prænomen, & adnomen, in literis aut insignibus suis, tribus literis notare soleant: vt pro Quinto Valerio Maximo. Q. V. M. Hinc vulgī iocus, de triū literarum homine. Plautus in Aulularia iocū aliò detorsit, Nempe in seruū furacem, Subijcit enim, Etiam fur trifurcifer.

Quatuor obolis non æssimo.

Proverbium est simile illis, Assis te non facio: & Dupondij non facio: & Teruntij nō facio: quibus quidem vti solemus in homines contemptissimos. Latini etiam diabolare vocant, quod vilissimū videri volunt.

Sale emptum mancipium.

In barbarū quempiā, ac vilem homūcio-nem olim dicebatur. Nam negociatores olim in mediterranea salem importantes, mācipia reportabant à barbaris. Thraciæ quoq; genti peculiaris erat mos, mācipia sale cōmutare. Vnde Comicus quidā, Generosus es Thrax sale redemptus scilicet.

Locrensis bos.

De re vili, aut de munere leuiculo dici potest. Quū aliquādo Locrenses publicū sacrum facturi, bouē desyderarent, cōposito ex minutis lignis bouis simulachro, Dijs rem diuinā fecerūt. Atq; hinc vulgus adagionē arripuit.

Imi subsellij.

Plautus in Captiui duo, Imi subsellij viros appellat parasitos, qui ita in conuiuū admittuntur, vt imo sedeāt loco, Nihil (inquit) morātur iam Lacones, imi subsellij viros. Quas drabit etiam in tenues cōuiuas, quos diuites isti nōnunq̄ recipiunt, sed infimo loco. Lepidius erit, si transferatur longius, hoc est, ad eos, qui inter aulicos proceres, extremo sunt loco: Aut inter eruditos postremi sunt, quos & infra classem, & extremæ classis, & infimæ notæ licebit appellare. Quorū posterius hoc à mercibus sumptum videtur, quibus addita nota testatur pretij modū, Prius illud à cēsu veterum. Nam qui primæ classis erant, centū & viginti milia æris possidebant: atq; hi soli, classici vocabantur: reliqui omnes infra classem dicebantur. nā classes erant complures, vt est author Gellius.

## De fece haurire.

M. Tullius in catalogo illustrium oratorū, figura prouerbiali dixit, de fece haurire, pro eo, quod est, sordida quæpiam, ac plæbeia, nimis que humilia persequi, Mutuo sumptū à sordidis istis: qui vinū vnā cū ipsa fece hauriunt, ne quid omnino reliquū faciant in do<sup>o</sup>lio: vnde & plæbis infimam fecem dicimus.

## Munus Leuidensæ.

Munus Leuidensæ Cicero prouerbiali figura, vocat munus vile, minimi que pretij,

Cuiusmodi vulgaribus amicis *missitare diu*  
*tes* consueuerunt. De quo vide non pauca  
 apud Erasmus.

Cicernus bacchus.

De re vehementer contempta. Sumptum  
 adagiū à potu ex leguminibus confecto, qui  
 vinum imitatur.

Tragicus rex.

Tragicus rex dici potest, vel qui nomine  
 duntaxat rex sit, cæterum viribus parum pol  
 leat: quemadmodū Gallico prouerbio *char*  
*taceum regem appellāt.* *Dionysius Phæreū,*  
 quòd decem mēses potitus imperio mox *vis*  
*ta* decesserit, tragicum regem dixit. Nam in  
 Tragoedijs tātis per durat imperium, dum fa  
 bula peragatur. Tum deposita persona, qui  
 paulo ante fuerat Agamemnon, aut etiā *Iup*  
*iter* tressis homuncio discedit domum.

Tricæ, Apinæ.

Tricas & Apinas vulgo res futiles, ac *nug*  
*atorias* dicebāt. *Martialis.* Sunt Apinæ, *Tri*  
*cæ*q; & si quid vilius istis. Vnde & *Tricari* si  
 mili figura dicebat *nugas* agere. *Cicero* ad  
 Atticum libro xv. *Tricatur* scilicet, vt homo  
 talis. Ab euetu natum adagium. Nam *Tricā*  
 & *Apinam* oppida fuisse quondā *Apulie,* de  
 monstrat *Plinius* libro naturalis hystoriæ ter  
 tio, capite decimo, referens *Europæ* sinus.  
*Diomedes* (inquit) vbi delevit gentes *Monas*

dorū, Dardorūq; & vrbes duas, quæ in pro-  
uerbij ludicrū venere, Apinā & Tricam &c.

Nebulæ in pariete.

Ausonius in epistola quadam ad Gregoriū  
filium, nebulas in pariete dixit, pro te nihili,  
somniaq; simillima. An vnq̄ (īquit) vidisti ne-  
bulam pictam in pariete? Carminis, quod ei  
subscribitur epistolæ lemma significat, friuo-  
lum, ac vanum. Nam nebula res est inanior,  
q̄ vt coloribus exprimi queat.

Calabri hospitis xenia.

Calabri hospitis xenia, siue munera rectè  
dixeris rusticana, leuiāq; quæq; magis onerēt  
accipientē, q̄ iuuent: aut quæ donantur con-  
tempta. Siquidem Calabri, quod pyris abun-  
dent, cōsueuerūt ea hospītib; affatim appo-  
nere: deinde saturos, belliorū vice domum  
auferre iubent. Quod si recuses, eadē porcis  
obijciūtur. Atqui istud haud est dare munus,  
sed abijcere. Is dat, qui demū simul, & pretiū  
muneris expendit, quod largitur, & eius me-  
ritum, quem eo donat.

Cubito emungere.

Per ironiam figuram prouerbialē Cubi-  
to emungens dicitur homo sordidi quæstus,  
& conditionis abiectæ. A salsamentarijs du-  
cta figura, quibus mos est narium mucū cu-  
bito abstergere, nimirum manibus muria, &  
salsugine oppletis.



DIGNITATIS.

Canis digna sede.	Batti Silphium.
Digna canis pabulo.	Bos in ciuitate.
Dignus obelisco,	Sapientum octauus.
Digna cedro.	Tertius Cato.
Dignus Argiuo clypeo.	Columen familiae.
Dignū, propter quod vadimonium deseratur.	Vtranq; paginam facit.
Dignus, qui cū in tenebris mices.	Iuppiter aquilam deslegit.
Regia vaccula.	Antiquior Codro.
	Myrteam coronā ambis.

Declaratio.

Canis digna sede.

Huius prouerbij vsus fuerit, quum nouus honos obtigerit cuiquam immerito. Sumptū videtur à Melitæis canibus: quibus nonnullæ mulierculæ maiorem habēt honorem, quàm ipsis maritis.

Digna canis pabulo.

Digna canis pabulo, fermè perinde valet, ac si dicas, Dignus operarius mercede sua. Et vix quisq; est tam inutilis minister, quin si nō amplo salario, certe victu dignus esse videatur. Quadrabit in hominem non vsquequaq; reijciendū, atq; inutilem. Aut in hominem assentatorē, & ob id idoneum, qui verse

tur in principū aulis, vbi nullo in pretio sunt,  
*qui nesciant adulari.*

*Dignus obelisco.*

Dignus obelisco, id est, dignus quovis honore. Summis enim viris eiusmodi colūnæ, ac pyramides erigebantur, magnificis inscriptæ titulis: aut ingētes Colossi, sic enim stupidi principes olim fingi gaudebant.

*Digna cedro.*

Digna cedro dicuntur, quæ promerentur immortalitatē: & eiusmodi iudicantur, vt posteritati cōsecrentur. Persius, Et cedro digna loquutus. Adagium sumptum est ab arboris natura, cuius succo quæ sunt illita, non sentiunt cariem. Nā hac arte Numæ libros quū essent chartacei, durasse ad annos quingētos triginta quinque, terræ infossos narrat Plinius libro tredecimo, capite tredecimo. Idem libro decimo sexto, Cedrum inter æternas materias commemorat.

*Dignus Argiuo clypeo.*

De generoso, ac maiorem in modum venerando. *Inde sumptum, quodd olim apud Argiuos, ex more pueri incorrupti, puri q; clypeos quosdam gestantes, pompas agebant. Isque honos erat illi ætati, prisco quodam instituto maiorum decretus.*

Dignū, propter quā vadimoniū deserat.  
 Vbi rem maximi momētī volemus signis

ficare: quæ'q; vel quãtovis dispendio debeat  
expeti, dignã esse dicemus, cuius gratia va-  
dimoniũ deseratur. Nam qui vadati sunt, nõ  
nisi sũmo suo periculo abesse iudicio possũt.

Dignus, qui cũ in tenebris mices.

Qui certissima esset fide, eum dignũ dice-  
bant, qui cum in tenebris micaretur. Est au-  
tem micare, lusus genus quoddã: quod ad-  
huc apud Italos durat, vt repẽte porrectis di-  
gitis, vterq; numerum diuinet. Porro qui cũ  
mices in tenebris, ei liberum est, si velit, fal-  
lere. Proinde dignus, qui cum in tenebris mi-  
ces diciẽt, qui sit vsqueadẽ certa fide, vt nec  
si tuto possit, velit quempiam mendacio fal-  
lere. Huic simile est illud, Dignus hic est, cui  
vel iniurato fidẽ habeas. Cui diuersũ illud,  
Ne iurato quidem illi crediderim.

Regia vaccula.

De pdigiõsa fœcũditate ferebatur. Natũ è  
miraculo rei geste. Ætate Ptolemæi iunioris,  
vacca quedã eodẽ ptu sex edidit vitulos. Si-  
mile illud Iuuenalis, Scropha fœcũdior alba.

Batti Silphium.

Græci nouũ, & rarum quempiã honorem,  
prouerbio vocant, Batti Silphiũ. Aristopha-  
nes in Pluto. Nec si mihi donaueris, Ipsum'q;  
Plutũ, ipsum'q; Batti Silphium. Negat se sy-  
cophanta quieturum etiã si præmium quan-  
tumvis detur. Interpres diuersam originem

adagionis adscribit. Vide Erasmus.

Bos in ciuitate.

Bos in ciuitate dicitur, vbi quis ad novos honores euehitur. Lysias bouis imaginem in arce collocauit. Ea res in vulgi iocū celsit. Nā in agris bouum vsus, non in vrbibus.

Sapientum octauus.

Prouerbialis est ironia in eum, qui sibi multum tribuat in sapientia. Numerantur enim apud Græcos septem sapientes, eorumq; apophthegmata oraculorum vice celebrantur: etiā si de nominibus magna inter scriptores varietas est, de numero certe cōstat inter omnes. Hinc per ironiam sapientem octauum dicebant, dignum qui septem illis adderetur.

Tertius Cato.

Prouerbialis item est ironia, in viros impudico tetricos, atq; alienę vitę cēsores. Nā duorum Catonum, senioris: cui nomē Censorio: & iunioris, cui cognomen Vticensī, grauitas pariter, atq; integritas, vulgo celebratissima quondam fuit: adeo vt è cælo demissi dicerentur, vt bellum cum vitijs gererent.

Columen familiæ.

Columen familiæ dixit Terentius in Phormione, idq; prouerbialiter, Getam seruū natu grādem: cui peregre profecturus, tanq̄ pedagogo & curatorī, iuuenū mores, & rem domesticam cōmēdarat. Donatus columen dici



putat, perinde quasi columnam dicas, cui reliqua domus innitatur. Vnde antiquitus seruos maiores columellas dictos. Huic adstipulatur Virgilianū illud, In te omnis domus inclinata recumbit.

Vtranq; paginam facit.

Plinius historiae mundi libro secundo, capite septimo, de fortuna loquēs. Huic (inquit) omnia expēsa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, sola vtranq; paginam facit. Proverbij faciem habet illud, vtranq; paginam facit. Sumpta metaphora à codicillis rationalibus, duas habentibus paginas: alteram, quæ indicat, quid sit datū: alteram, quæ quid acceptum sit, ostendit. Itaq; in rebus humanis fortuna vtranq; facit paginā, id est, siue qd obtingit boni, ea laudatur, quas si dederit: siue mali quid accidit, eadē incessatur, ceu malorum author.

Iuppiter aquilam delegit.

Istius proverbij vsus sit, vbi quis asciscit sibi præclaros, suisq; accommodos rebus. Poëtae fingūt aquilā Ioui fulmen porrigere: quòd hæc avis omnium altissime subuolet: nec ictu fulminis lædatur.

Antiquior codro.

Adagiū dicitur de prisca, & ob antiquitatē admirādis. Codrus fuit antiquissimus rex Atticæ, cuius iam facta est mētio in proverbio,

cc. j.

Generosior Codro: Idq; sub titulo, Nobilitas  
& obscuritas.

Myrteam coronam ambis.

Myrteā cupere dicebatur: qui tyrannidem,  
aut magistratum ambiret. Nam olim princē  
pes myrteis corollis coronabantur.

## APERTE, ET CRASSE.

Præmansum in os in-      gni Minerua.  
ferere.      Crassiore musa.

Crassa Minerua: Pin-

Enodatio.

Præmansum in os inferere.

Præmansum in os inferere, est rē in docēdo  
nimis enucleare, nimisq; frustulatum tradere.  
Quod facere quidam assolent: qui velut inge-  
nijs auditorum diffidant, ita nihil omittunt,  
inculcātes etiam minutissimas nugas. Sūpra  
est figura à nutricibus, quę pueris adhuc edē  
tulis cibū præmansum in os inferunt: Ex quo  
præmandere dixit Gellius, pro eo, quod est,  
plus q̄ crasse explicare rem alioqui non diffi-  
cilem, nisi si quis planè sit puer.

Crassa Minerua: pingui Minerua.

Minerua artibus, atq; ingenijs præsidet. Vn-  
de & illud fluxit, Inuita Minerua: præterea il-  
lud, Pingui, seu crassa Minerua, Dicitur autē  
Pinguiore, siue Crassiore Minerua fieri, quod

inconditius, simpliciſq; quaſi q; indoctius & apertius fit: nō autem exquisita arte, nec exactiſſima cura.

Crassiore muſa.

Eandem parociniam ſic extulit Quintilia-  
nus inſtitutionum oratoriarum libro primo.  
Libet propter quosdam imperitiores etiam  
crassiore (vt vocant) muſa dubitationem hu-  
ius vtilitatis eximere. Inuenitur aliquoties a-  
pud ſcriptores nō inidoneos, Pinguiore for-  
mula, pro eo, quod eſt, planius, atq; intelli-  
gibilius.

### R A R I T A S.

Phœnice rarior. Rara auis.

Lac gallinaceum. Noctuinum ouum.

Enarratio.

Phœnice rarior.

De rebus, aut etiā hominibus inuētu perq̄  
raris. Natum adagiū à Phœnice, qui vnus in  
toto orbe, nec viſus magnopere ſcribitur. De  
qua quidem aue lege apud Plinium libro de-  
cimo, capite ſecūdo. Itē apud Ouidiū trāſfor-  
mationum libro decimo quinto. Extat & de  
Phœnice carmen Lactantiſ Firmiani non in-  
concinnum, neq; ſaſtidiendum.

Lac gallinaceum.

De raris inuentu, atq; ob id præcioſis dicitur.  
Vnde & per hyperbolem dicimus aliquent  
cc. ij.

vel gallinaceum habere, quum nihil omnino illi deesse significamus. Inde sumptum, quòd gallina lac non habeat.

Rara auis.

Rara auis prouerbio dicebatur res quæuis noua, & inuentu perrara. Iuuenalis. Rara auis in terris: nigroq; simillima cycno. Idem. Coruo quoq; rarior albo. Quin & phœnicis (vt supra est demonstratum) raritas in prouerbiū abiit. Ducta allegoria ab auibus peregrinis & inusitatis: quæ nonnunq̄ casu in nostrā regiōnē deuolant: vel miraculi gratia deportantur. Vnde illud sæpius iteratum apud Aristophanē, Quæ est hæc auis? De hospite, & ignoto.

Noctuinum ouum.

Prouerbiū quadrabit vel in hominē nihili: nulliusq; frugis: vel potius in rē inuentu rarā. Sūt enim qui negent noctuinū ouū inueniri.

### CONCORDIA.

Concordia fulciuntur	fima,
opes, etiā exiguæ.	Mutuū nisi scabunt.
Concordia.	Tradunt operas mu-
Mutua defensatio.	tuas.
Mutua defensio tutis	Vt in velabro olearij.

Expositio.

Concordia fulciuntur opes, etiam exiguæ.

Sētentia prouerbialis est apud Homerum



Iliados libro p, huiusmodi. Cōiūcti pollēt etiā  
vehementer inertes. Hac sententiā conueniet  
vri, siquādo significabimus non esse contem-  
nēdam amicitiam, aut similitatem multorū:  
etiā si fuerint alioquin imbecilles, & quorū  
singulos quivis facile contemnat. Nā quem-  
admodum ait Ouidius, Quæ nō prosunt sin-  
gula, multa iuuant: ita quæ non lædunt singu-  
la, multa nocent.

#### Concordia.

In absolutam concordiam, omniumq; rerū  
consensum cōueniet illud ex Iliados Γ, Haud  
vnq; neq; concio nos, neq; curia dictis Audis-  
uit pugnare, animo sed semper eodē: Et sens-  
tīre eadem, atq; eadem decernere vidit. Ver-  
ba sunt Nestoris de se, dēq; Vlysse.

#### Mutua defensatio.

Mutuā complurium inter ipsos concordiam,  
mutuamq; defensionē notabimus his versi-  
bus Homericis ex Iliados p, Hastas densabāt  
hastis: vmbone frequenti Vmbonē: clypeum  
clypeus fulcibat inlærens: Inq; vicem galeæ  
galeas texere: virum vir. Iuuenalis item de ci-  
nēdis, Sed illos defendit numerus, iunctæq;  
vmbone phalanges.

#### Mutua defensio tutissima.

Qui significabit, minus eos lædi posse, qui  
concordes sese mutuo defendūt: contra om-  
nium iniuriæ obnoxios illos, qui dissident fa-  
ce. liij.

Etionibus intestinis, accommodabit illud ex Iliados π, Multo turba minor perijt: quòd in agmine semper Mutuā opem sibi ferre, malūq; arcere studebant.

Mutuū muli scabunt.

Huius adagij vsus esse solet, vbi improbi, atq; illaudati se vicissim mirantur, ac prædicant. Translatū à mulis, qui sicuti reliqua iumenta, sese inuicem dentibus scabere solent.

Tradunt operas mutuas.

Huic confine est Terentianū illud ex Phormione. Tradunt operas mutuas. De adulescentibus, qui se vicissim in peccatis defenderēt. Translatum videtur ab agricolis vicinis, qui mutuam inter sese operam cōmodare solent. Aut ab artificibus, qui mutua nonnunq; vtūtur opera, maxime fabri ærarij.

Vt in velabro olearij.

Proverbialis similitudo de ijs, qui conspiciunt, remq; gerunt ex composito. Plautus in Captiui duo. Vna res, Omnes cōpacto rent agunt, quasi in velabro olearij. Velabrum autē (authore Varrone) locus erat Romæ, quo olearij distrahebant oleū. Mos est autem huic hominum generi, vt inter se de precio conspiciunt, quo pluris vendant.

## DISCORDIA.

Bellū omnium pater. Domesticū dissidium.

## Explanatio.

Bellum omnium pater.

Prouerbiū ideo dictū est: quod bellū omniū rerum nouandarū author est: vt ex eo veluti nata videantur vniuersā. Nisi quis malit ad philosophorū quorundā decretū referre: qui dixerunt rerum summam è lite progigni.

Domesticum dissidium.

Ad detestandam seditionem domesticā, & mutuam contubernaliū inter ipsos discor- diam, insidiāsq; cōueniet illud ex Odyssæ π, Impia res, moliri inter sese mala.

## I M P R O B I.

Lydi mali: Post hos	Magis impi⁹ Hippo-
Ægyptij &c.	mene.
Lerij mali.	Mare alluit omnia mor-
Mali commatis.	talium mala.
Adulterinus.	Qui in omni re, & in
Bipedū nequissimus.	omni tēpore laude
Phrynondas alter.	vacat, illaudat⁹ est.
Furibatissare.	Dij tibi dēt tuā mētē.
Tria cappa peiſſima.	Non es laudādus, ne
Duplex cappa.	in cōna quidem.
Bomolochus.	Compēdiaria res im-
Diagoras Melius.	probitas.
Cercopum cœtus.	Infania nō omnibus,
Cercopissare.	cadem.
	cc. iiii.

## Explanatio.

Lydi mali: post hos Ægyptij &c.

Prouerbiū sic habet. Lydi improbi, post hos secūdi Ægyptij, tertij q; Cares perditissimū omniū. Hoc quidem prouerbio tempestiuitet ytemur, si quando mali cū malis conferentur: & collatus cū scelerationibus, ita demum minus illaudatus aliquis videtur.

Lerij mali.

In eos rectè dicitur, qui pariter omnes gentis vitio sunt improbi. Leriorū enim populus ob insignem morū improbitatē in prouerbiū abiit, authore Strabone libro geographiæ decimo. Citat autem Phocylidis cuiusdam verba hæc, Lerij mali, non vt hic malus sit, ille nequaquā, verum omnes, excepto Patroclo, Et Patroclus est Lerius.

Mali commatis.

Mali commatis dicebatur improbus, contemptus, & reisculus quispiam. Sonat autem perinde quasi dicas, malæ monetæ. Sūpra est metaphora à reprobatis numismatis: quæ Græcis commota nonnunquā dicuntur.

Adulterinus.

Conuenit in amicitia insyncerā & fictā: aut in hominē blando vultu, sed animo virulento. Aut in eum, qui sanctimoniam habitu præ se ferat, quum vita sit impia. Sumptum quoque adagiū à reprobis numis: quod quidē simile



est illi, Aurum subæratum, de quo iam facta est mentio.

Bipedum nequissimus.

Dicitur de homine vehementer improbo, quiq; vel pecudes neqtia superet. Dictū est ī Regulū quendā oratorē: quem Plinius in epistolis, subinde suis pingit coloribus, vbi & adagium hoc refertur. Ad hac formā pertinet & illud, Quadrupedum spurcissimus, quod quidem in Heliogabalum dictum est ab Alexandro imperatore. Is Heliogabalus, quod esset omnium imperatorum effœminatissimus, Roman<sup>9</sup> Sardanapalus optimo iure dicendus.

Phrynondas alter.

De improbo dicitur. Inter nobiles facinorosos Phrynondas quū esset hospes Athenis, in negocijs Peloponnesiacis versabatur, homo versutus, maleficus, impostor, summus malarum rerum artifex, vt hominis vocabulum in rei transferit appellationē Etenī quoties insigniter malum, & sceleratū accipi volebant, Phrynondam appellabant.

Eurybatissare.

Eurybatissare, est improbis vtī morib<sup>9</sup>. Datum ab Eurybato, ex Cercopibus vno, insignitæ improbitatis homine. Huius meminī Lucianus in Pseudomante. Ultra Cercopas (inquit) ultra Eurybatū, aut Phrynondā, aut Aristodemum, aut Sostrastum.

## Tria cappa pessima.

Iactatum hoc olim enigmatis vice, quo trium gentiū mores, vt improbi, notati sunt, Cappadocum, Cretensium, & Cilicum.

## Duplex cappa.

Est & velut enigma, quo malum aliquod significabant. Siquidem gemino cappa, scribuntur *κακὰ*, id est, mala. Simili figura Plautus furem, trium literarū hominē appellauit.

## Bomolochus.

Hoc nomine, prouerbiali conuittio dicebatur, qui scelestus esset, & improbus. Quod nomen olim inditum videtur ijs, qui obuersantes circum aras, victimis tendere consueverunt insidias: aut qui ob id rem diuinam facerent, quo ex aliorum accusatione compendii non nihil auferrent. Nam huiusmodi mortaliū vota Iuppiter audit apud Lucianum in Icaromenippo. Dicuntur item Bomolochi, qui quū res diuina peragitur, non faciunt vota dijs, sed nugas inanes deblatterant. Qui mos hodie magnatibus præcipue placet, & illud admodū ciuile putant, si inter sacrificandum assidue cuiuspiam ad aurem obganniant.

## Diagoras Melius.

In sceleratum, ac foedifragum & impium. Hic capta Melo (vnde & Melius cognominatus) vixit Athenis & Atheniēsiū sacrorum mysteria vsque adeo contempsit, vt complu-

ras auerterit à religione, deterruerit'que, ne iam vellent iniuriari. Præterea arcana illa mysteria, quæ nephas est profanis edere, ille impius in vulgus extulit, modis omnibus irridens. Quas ob res ab Atheniensibus proscrip- tus est, eamque proscriptionem palàm in ærea columna posuerunt, addito præmis loco, talento, si quis hominẽ occidisset: si quis vitium adduxisset, duo.

#### Cercopum cœtus.

Dicitur de conciliabulo, conuentuq; versutorum & improborum hominum. Narrant enim Cercopes quosdã in Epheso fuisse, noctæ fraudulentæ viros: qui suis dolis conati sint ipsi Ioui imponere. Hos admonuerat mater, ne in Melampygam inciderent: id quod euenit. Nam post ab Hercule victi sunt iussu Omphales.

#### Cercopissare.

Cercopissare dicuntur, vel qui lasciuiunt: aut qui adulantur. Ducta metaphora ab animalibus, quæ mota cauda adblandiuntur. Vel in eos conuenit, qui molesti sunt, obturbantq; & obstrepunt: vt vox deflexa sit à Cercopibus illis Lydis: quos Hercules (quod sibi cùm Omphale cubanti, petulãtius obturbarent) amicæ iussu victos de claua suspendit.

#### Magis impius Hippomene.

Qui sit valde impius, dicitur magis im-

pius, quàm Hippomenes. Hic Atheniēsiū princeps, filiam à ciue quopiam vitiatā, vnā cum equo feroci conclusit in domicilio, nec huic, nec illi cibum præbēs. Equus igitur fame in rabiem actus, puellam adortus confescit: deinde perijt ipse quoq; , pabuli videlicet inopia. Post hæc pater domū est demolitus, Loco nomen inditum, Equi & puellæ.

Mare alluit omnia mortaliū mala.

Sensus est carminis Euripidei: cuius originem refert Laërtius ad hunc modū. Euripidē nempe Platoni comitem fuisse peregrinationis, quū Ægyptum adiret. ibi quū morbo suo corripereetur comitali vt fertur, sacerdotes Ægypti, mersione marina sanarūt hominem: qui postea cōposuit versiculū hunc, Hominū vnīuersa proluit pelagus mala, Tāq̄ aqua marina morbis ōnibus medereē. Quin hodie morsos à cane rabido, si nouies mergantur in mare, putant à rabie liberari.

Qui in omni re, & in omni tempore laude vacat, illaudatus est.

Admonet parcemia ferè neminē esse, tam deplorati ingenij, qui non aliquādo dicat faciat' ve, quod laudem promereatur. Senarius refertur ab Aulo Gellio antiquissimus, & p̄ uerbij vice celebratus fuisse.

Dij tibi dent tuam mentem.

In insanum congruit, & sua dignū mente.



Quid enim precemur infelicitus scelestis hominibus? *Martialis. Diſ mētem tibi dent tuā Philoni.*

Non es laudādus, ne in cœna quidē.

In hominē dicebatur vehementer illaudatum. Antiquis mos erat, præſertim Atticis in cœnis funeralibus laudare vitā defunctū, etiā ſi parum meruiſſet in vita. Siquidem (vt inquit Ouidius) paſcitur in viuis liuor: poſt facta quieſcit.

Compendiaria res improbitas.

*Compendiaria res improbitas, virtus longa.* Significat eum, qui ſemel addixerit animum vitijs, quidvis flagitij facile patrare: at ſingulas virtutes magno ſudore parandas. quadam nāq; nature corruptione fit, vt quæ turpia ſunt, ea protinus arripiamus: quæ honeſta, vix laboribus diutinis inculcentur.

Infania non omnibus eadem.

Senſus eſt, nullum eſſe mortalem, qui non aliqua in re deſipiat. Quāq; alius alio morbo labore, hic auaritiæ, ille libidinis, hic ambitionis, ille inuidiæ.

#### INGENII MALITIA, ET INSTITVTIO.

Lupus pilum mutat, ca, tamen vſque re-  
non mentem. currit.

Naturam expellas fur Lignū tortum, haud

vnq̄ rectum. opus improbitati.  
 Æthiops nō albefcit. Saluam imbibere.  
 Qui semel scurra, nūq̄ Quō semel est imbus  
 quā paterfamiliās. ta recens, seruabit  
 Occasione dūtaxat odorem Testa diu.

Explanatio.

Lupus pilum mutat, non mentem.  
 Signat prouerbiū senectam, caniciem ad-  
 ferre improbis: non item auferre malitiā. Can-  
 nescunt enim lupi, velut & equi more homi-  
 num per ætatem.

Naturam expellas furca, tamen  
 vsq; recurrit.

Carmē est Horatij in epistolis, quod signat  
 haud facile dedisci, quæ nobis natura penit<sup>9</sup>  
 indidit, atq; inseuit. Quod si quādo vi fit, vt  
 vel metu, vel pudore, vel alia quavis causa,  
 personam alienam sumamus, facile per occa-  
 sionē redimus ad mores naturales. Velut qui  
 metuūt peccare, non virtutis amore, sed for-  
 midine fustis, ij simulatq; tollitur fustis, recur-  
 runt ad mores pristinos. Ducta est metapho-  
 ra à ramis, qui apposita furca, torquētur aliō,  
 q̄ natura posuerat. Qua sublata, rursus ver-  
 gunt eodē, quod prius.

Lignum tortum haud vnq̄ rectū.  
 Prouerbiū signat, distorta, prauaq; inge-  
 nia, vix vnq̄ ad bonam frugem traduci. Qui  
 enim semel iueterauit in vitijs, raro fit, vt ad

bonam mētem redeat. Horatius (vt in superiore prouerbio dictum est) indicat, vnde ducta sit metaphora. Indicat enim esse ductam ab ijs, qui furca admota, conātur arboris distortae vitium emendare. Confirmat hoc & sententia prouerbialis huiusmodi, *Ingenia praua vertere, haud procliue sit.*

*Æthiops non albescit.*

De ijs dici solitū, qui nunq̄ mutaturi sunt ingenium. Quicquid enim natium, id haud facile mutat. Fertur Æsopius apologus de quodā, qui empto Æthiopi, quū eum colorem arbitraretur non natium esse, sed dominum superioris accidisse neglectu, assidua lotura faciem dinexauit, ita vt morbum etiā adinueret, colore nihilo, q̄ antea fuerat, meliore.

*Qui semel scurra, nūq̄ paterfamilias.*

Porphyriū enarrās Horatiū, admonet fuisse prouerbiū, significās eum, quē semel depuduerit, quiq; cōtempta fama scurrā agere coeperit, vix vnq̄ ad bonam frugem redire.

*Occasione dūtaxat opus improbitati.*

Quadrabit in nocendi cupidos, qui ne temere lesisse videantur, causas prætexunt. Celebratur & Mimus Publij in hanc sentētiam, *Malefacere qui vult, nusq̄ non causam inuenit.* Circūfertur & hodie vulgo apud nostros adagium, *Facile fustem inuenierit, qui cupit cedere canem.*

## Saliuam imbibere.

Saliuam imbibere, est ab ipsa pueritia imbui, siue consuescere. Sumpta ab infantibus metaphora, quibus præmâsum cibum nutrites in os inserunt, non sine saliuâ. Cui quum assueuerint, nihil iâ illis sapit, quod ab illius primæ saliuæ gustu diuersum sit. Idem solet accidere plerisq; nostrum, vt quicquid distat ab ips, quæ primis illis ânis imbibimus, protinus displiceat. Aiunt & canes eos amare, quorum saliuam gustarint. Verum melius ad superiorê referetur metaphorâ. Illud certe Persianum pertinet ad hoc adagiû, quod in sexta satyra sic legitur. Nec tenuem sollers turdorum nosse Saliuam. Saliuam pro gustu dixit.

Quo semel est imbuta recens, seruauabit odorem Testa diu.

Carmen est Horatianum, monês id quod & Fabius, Nempe vt statim optima discantur, propterea, quod nihil hæret tenacius, q̄ id, quod rudibus annis perceperimus. Et Aristoteles libro Moralium Nicomachiorum secundo, Itaque (inquit) non parui refert, hoc an illo pacto protinus à pueris cõsueciamus: immo plurimum interest, vel potius omne in eo momentû est situm. Et Virgilianû illud epiphonéma in Georgicis. Adcò in teneris consuescere multum est.



EPI TOMPE. 23

PRAELONGI.

Colossi magnitudine.      piscis.  
 Caliga Maximini.      Pinguis v̄eter non ḡis  
 Clematis Ægyptia.      gnit sensum tenuē.  
 Amens longus.      Pusillus, quātus Mo  
 Null⁹ malus magnus      lon.

*Enodatio.*

Colossi magnitudine.

Colossæa, siue Colossi magnitudine homo dicitur per prouerbialem hyperbolen, qui sit prægrādi corporis mole. Sumptum à statuis ingētibus, quos Colossos appellāt. Inter hos in primis celebratur solis Colossus apud Rhodios, septuaginta cubitis altus: aut iuxta festū Pompeiū, pedes centū & quinque: cuius pollicem vix pauci potuerunt amplecti.

Caliga Maximini.

Caliga Maximini, vulgo dicitur, est, in homines insulos, & immodicę proceritatis. Sūptū à Maximino imperatore, qui dicitur fuisse pedum octo, & prope semis. Calciamentū eius, id est, campagiū regium, quidam in luco, qui est inter Aquilegiam, & Aritiā posuerunt, quod cōstat pede maius fuisse hominis vestigio, atq; mensura. Vnde etiam vulgo tractum est, quum de longis, atq; ineptis hominibus diceretur, Caliga Maximini. Prouerbiū rectius vsurpabitur, si cum odio, contēptūve dicatur. Propterea quod is Maximinus, inuis

ff. j.

lissim<sup>9</sup> esset pariter & populo Romano, & Senatui: quippe Thrax natione, deinde sordido genere, postremo moribus barbaris, ac feris. Quinetiam nunc homines insignitæ proceritatis vulgo male audiūt, tanq̄ socordes, atq; inertes.

## Clematis Ægyptia.

Ioco dici solitum in eos, qui corpore præter modum procero, atq; atro colore essent. Natum ab eius herbæ specie, quæ Græcis Clematis dicitur. Sed quum Clematidis multæ sint species (quas Plinius libro xxiii. capite xv. recenset) vna duntaxat prouerbio locum fecisse videtur, ea nimirū quæ Clematis Ægyptia cognomine dicitur. Dicitur autem, quod hanc maxime gignat Ægyptus, folio lauri, longo, tenuiq; aduersus serpentes & priuatim aspidem, ex aceto pota efficax, quæ eadem, ab alijs Daphnoides, ab alijs Polygonoides vocatur.

## Amens longus.

Hoc est, quod vulgo dictitant, prælongis mentem deesse, pusillis nimirum adesse animorum. Sumptum videtur ex Sophocle, apud quem hi verius sunt in Aiace flagellifero. Nō enim his, qui porriguntur mole vasta corporis, Latōq; tergo niti oportet maxime: Verū magis illis qui valent prudētia. Videtur in eadem fermē sententia fuisse Homerus, Tydeū

fingens corpore pusillo, cæterum strenuum.  
 Sic enim ait Iliados, Strēnuus in pugna Ty  
 deus, sed corpore paruus.

Nullus malus magnus piscis.

Enigma prouerbiale, dici solitum in homi-  
 nes prægrandi quidem corpore, cæterum in-  
 genio nullo. Clearchus in commentario de  
 prouerbijs apud Athenæum hinc ortum scri-  
 psit. Stratonicus citharædus quum Porpin  
 vidisset Rhodiū citharædum ingenti corpo-  
 ris mole, verum arte non perinde magnum,  
 percunctantibus quibusdam, quisnā is esset,  
 ad hunc modum respondit, Nullus magnus  
 putris piscis, Ancipiti dicto significans illum,  
 nullum, id est, nullius est pretij, malum & im-  
 probum. Magnū corpore, deniq; piscem, quia  
 mutus esset, & infacundus, & male canorus.

Pinguis venter non gignit sensum  
 tenuem.

Græcus senarius extat apud Græcos sic tra-  
 ductus. Subtile pectus venter obesus non pa-  
 rit. Admonet adagiū luxu corporis, ebetesce-  
 re mētis aciem. Quemadmodum scribit etiā  
 Horatius, Nam corpus (inquit) onustum He-  
 sternis vitijis animū quoq; prægrauat ipsum.  
 Atq; affigit humo diuinæ particulā auræ. Plu-  
 tarchus apud Gelliū ostēdit pueros multo pa-  
 stu stupidiore, ac tardioris ingenij euadere.

Pusillus, quantus Molon.

ff. ij.

De vehementer breui statura corporis hominibus, quales sunt, nani, & pumiliones appellati: ad hæc Pygmæi populi, quorū qui longissimi sunt, duos pedes, & quadratē nō excedūt. Suidas ostēdit duos fuisse Molones nota corporis breuitate: quorum alter histrio fuerit: alter fur, honesti scilicet quæst<sup>9</sup> vterq<sup>i</sup>.

## PROXIMIS VTENDVM.

Viā qui nescit ad mare &c.	rect <sup>9</sup> esse nō possit.
Vt possumus, quādo vt volum <sup>9</sup> nō licet.	Sī bouem nō possis, asinum agas.
Quando id fieri non potest.	Altera nauigatio, Presentem fortunam boni consule.
Bona est etiā offa post panem.	Presentē mulge, quid fugiētē insequeris!
Sī nō adsit carnes &c.	Quod adest boni cōsule.
Aulædus sit, qui cithara	

## Explicatio.

Viam qui nescit ad mare &c.

Plautus in Poenulo. Viā qui nescit, qua deueniat ad mare, eū oportet amicum quærere comitem sibi: id est, qui rem commode cōfiscere nequit, is quavis ratione cōficiat necessesse est. Potest & in hūc accommodari sensum, Qui per se nō sapit, alijs obtemperet, qui pl<sup>9</sup> sapere videantur. & in hūc, Qui rectē viuēdi



rationem ignorat, eos sibi proponat, quorum vita laudata est. Fluius etiam si longis ambagibus, aliquando tamen tandem ad mare deducit, quandoquidem illuc infunditur.

Ut possumus, quando ut volumus non licet.

Non uti libet, sed uti licet sic viuimus. Senarius est prouerbialis, quo monemur temporis, ac necessitati seruiendum esse. Huc pertinent & illæ Græcorum sententiæ, Omnes cupimus, at non licet ditescere. Bene viuere omnes volumus, at non possumus. Prouerbij igitur usus fuerit, ubi significabimus nostra nobis parum placere, verum facultatem deesse, non animum: videlicet fortunam esse parum commodam: aut vitam non satis integram: aut epistolam non satis eruditam.

Quando id fieri non potest.

Nihil dici potest, nec venustius, nec moralius ea sententia, quæ extat apud Terentium in Andria. Quando id fieri non potest quod vis, id velis, quod possis. Adagium finitimum illi Oportet id quod adest, boni consulere. Et Martialis inter felicitatis calculos commemorat, ut quod sis, esse velis.

Bona est etiam offa post panem.

Bona est offa post panem, Hemistichij heroici græci est sensus. Zenodotus ait de ijs solere dici, quod penuria meliorum, amplectuntur deteriora.

Si non adsint carnes, Taricho contentos esse oportet.

Sēsus est, Vbi non est copia meliorū, boni consulere oportet, quæcunq; contingunt.

Aulædus sit, qui citharædus esse non possit.

Rectè dicitur in eos, qui malunt in multo inferiore ordine, alicuius haberi momenti, q̄ inter excellentes negligi. Quemadmodū Iulius Cæsar maluit in frigido oppidulo primus esse, q̄ Romæ secūdus. Nec male quadrabit in eos, qui desperatione meliorum ad humiliora sese conferunt. Citatur adagium in Decretis ex Augustino in malos monachos, ad clericorum gregem desciscientes.

Si bouem nō possis, asinum agas. Si nequeas bouem, asinum agito: id est, si non potes vt vis, vtcunq; potes facito. Si fortuna splendidior non contingit, eam sortem, quæ contigit, boni consulas. Si quod optas nō licet, id quod est proximum, amplectere.

Altera nauigatio.

Conuenit, vbi quoties, quæ potissima fuerant, non contingunt, ad proxima confugitur auxilia. Altera nanq; nauigatio, siue secundarius cursus vocabatur, quum vento destituti, remis nauim impellerent. Nam quum secundis ventis nauigaretur, ea prima nauigatio dicebatur.

Præsentem fortunam boni  
consule.

Admonet adagium, ne nos alienarum rerū  
cupiditate maceremus: sed quæcunq; contig-  
it fors, eam velut optimam amplectamur.  
Magna enim felicitatis pars, vt sua cuiq; for-  
tuna placeat.

Præsentem mulge, quid fugientem  
insequeris?

Præsentem mulgeto, quid insequeris fugien-  
tē? Heroicus est prouerbialis, admonens præ-  
sens lucrum non omittendum, spe commo-  
dorum, quæ non item ad manū vidētur esse.  
sumptum ex Cyclope Theocriti.

Quod adest, boni consule.

Qui admonebit boni consulere oportere,  
quicquid à fortuna conceditur, vsurpabitur  
illud ex Odyssææ 3, Hospes sume cibum, &  
quorum data copia, lætum His pascere animū,  
nam fors dabit hæc, rursus illa negabit. Vt-  
cunq; est animo lubitū, valet omnia quippe.  
His verbis Eumeus subulcus Vlyssēm inui-  
tat, vt cibos viles & rusticanos, qualescunq;  
essent, boni consuleret.

INANIS OPERA.

Asinum tondes. Ab asino lanam.

Aquam è pumice po. Vtrem cædis.

stulas. Vtrem vellis.

ff. iiii.

Caluum vellis.	Cum dijs pugnare.
Æthiopem lauas, Æ-	Herculei labores.
thiopem dealbas.	Vtre tenitas.
Mortuum flagellas.	Vlulas Athenas.
Mortuo verba facit.	Inaniter aquam cõfus-
Litori loqueris.	mis.
Vento loqueris.	Vndas numeras.
Aquilã volare doces.	Inuita Minerua.
Delphinũ natare do-	In cælum iacularis.
ces.	In syluam ligna ferre.
Delphinum caudã li-	Ventos colis.
gas.	Nugas agere.
Asini caput ne laues	Actum agere.
nitro.	Aquam in mortario
De fumo disceptare.	tundere.
De asini vmbra.	Frustra canis.
Harenam metiris.	Saxum voluere.
Harenæ mandas se-	Memorem mones.
mina.	Surdo oppedere.
De lana caprina.	Cauda tenes anguillã
In aqua scribis.	Linum lino nectis.
Reti ventos venaris.	Anthericum metere.
Ignem disseccare.	Oleum & operã per-
Hylam inclamas.	didi.
Laterem lauas.	Inuitis canibus venas-
Laterem elixas.	ri.
Surdo canis. Surdo fa-	Inuitos bones plau-
bulam narras.	stro inducere.
Verberare lapidem.	Contra stimulum calo-



ces.

cis.

Penelopes telam re- In saxis seminas.  
texere. Araneorum telas te-

Arare litus. xere.

Leonē larua terres. Cribro aquā haurire.

Contra torrentē niti. Asinū sub freno curē

Dentem dēte rodere. rere doces.

In aqua sementem sa- Austrum petculi.

## Explicatio.

Asinum tondes.

De ijs dicitur, qui rem absurdā, atq; inuti-  
lem aggrediūtur, propterea quod asinū neq;  
pectere possis, propter villos, neq; tondere,  
quum lanam non habeat.

Aquam è pumice postulas.

Aquā è pumice postulare accipitur p eo,  
qd est, frustra ab alio petere, cuius ipse à quo  
petas, maxime sit indigus. Nihil enim pumi-  
ce lapide siccins, nihil siticulosius. perinde ac  
si quis ab indoctissimo doceri postulet: ab in-  
consultissimo consiliū expectet: ab egeno mu-  
nus: ab inope præsidium: deniq; ab avaro, ac  
tenaci pecuniam. Est autem pumex lapis ca-  
uernosus, quo solent poliri codices, naturæ  
adeò sicce, vt si in vrceum bullientem immi-  
seris, feruorem extinguat, non solum ad tem-  
pus, sed in totum.

Ab asino lanam.

De ijs dicitur, qui stulte quærunt ea, quæ

nusq̄ sunt. Aristophanes, Asini quis ad lanas? quis in lethes solum? Per asini lanam, res vana significans, & quæ nusq̄ sunt.

Vtrem cædis.

In eos competit, qui illum flagellant. siue verberant, qui verberibus prorsus non corrigatur. Sumptum vel à Bacchi sacris: vel ab ijs, qui percussis vtribus, inanem mouët strepitum.

Vtrem vellis.

Huic simillimū est eundemq; sensum habens, istud, Vtrem vellis: vel quod non sentiat, vel quod pilis careat.

Caluum vellis.

Vsurpatur, vbi quis inanem operā sumit: aut vbi quis auferre conatur, quo vacat is, à quo petitur. Veluti si quis à paupere conetur extundere pecuniam, ab indocto literaturam. Simillimum superiori, Aquam è pumice postulas.

Æthiopem lauas: Æthiopem dealbas.

Æthiopem lauas: & Æthiopem dealbas, id est, inaniter laboras. Nam natiuus ille Æthiopum nigror, nulla abluitur aqua, neq; vlla ratione candescit. Hoc item adagium peculiariter quadrabit, quū res parum honesta, verborum fucis adornatur: aut quū laudatur illaudatus: aut docetur, qui sit indocilis. Or

tum videri potest ab Æsopica fabula . Nam quidam mercatus Æthiopem, & existimans eum colorem non natura, sed superioris domini negligentia accidisse, nihil non adhibuit eorū, quibus vestes candesceri solent, adeoq; perpetuis lotionibus miserum diuexauit, vt illum in morbum impulerit, colore (qui fuerat) manēte. Huius fabulæ paulo superius facta est mentio, idq; in adagio, Æthiops non albescit.

Mortuum flagellas.

In eos quadrat, qui obiurgant illos, qui nihil prorsus obiurgatione commouētur. Non ineptè in eos torquetur, qui vita defunctos insectantur, ac conuitijs lacerant.

Mortuo verba facit.

Mortuo verba facere dicit, qui frustra vel suadet, vel orat. Plautus, Mortuo verba nūc facio. Natum adagium à ridicula consuetudine veterum, vita defunctos ter voce cientiū: vnde & conclamati dicebantur: præterea in pompis funeralibus multa deplorantium erga mortuum.

Litori loqueris.

Eundem habet sensum cum superiori . In eos siquidē torquetur, qui frustra vel suadēt, vel orant, perinde quasi surdo loquantur. Nā litora propter assiduum fluctuum fragorem, surda dicuntur.

Vento loqueris.

Qui inaniter loquitur, vento loqui fertur. Nam ventus omnia dissipat, cogit q; euanescere. Vnde & auris discepta mandata, dixit Virgilius, quæ abierunt in obliuionem.

Aquilam volare doces.

In eos conuenit, qui monere quempiã conatur in ea re, in qua quum sit ipse exercitissimus, nihil eget doctore. Sumptum ab aquila, quæ in volãdo pernicissimi impet<sup>9</sup> est.

Delphinum natate doces.

Diuersa metaphora sententiã eandem cū superiore declarat. Quod enim aquila inter volucres, id delphinus inter pisces: qui in natando, pernicissimi impetus est, ita vt nõ modo superet omne natatiliũ genus velocitate, verũ etiam terrestrium animantiũ. Quin & naues trãsilat, seq; contento spiritu, teli in morem eiacularur.

Delphinum cauda ligas.

In eos vertitur, qui quippiã incassum conatur. Ea videlicet de causa, quod delphinus cauda sit lubrica, nec ea parte teneri queat. Aut quod cauda sit valida, cuius agitatione fertur, & naues aliquando subuertere, vt hac parte sit inuictus. Quadrabit & in eos, qui ea via quempiã aggrediuntur, qua nequã possit superari.

Asini caput ne laues nitro.



Asini caput ne laues nitro, id est, ne multū sumptus, operæve in rem vilem impendas, ac sordidam: quod qui facit, prouerbiali etiā figura dicitur, ollam variegare.

De fumo disceptare.

Illi dicuntur de fumo disceptare, qui de rebus nihili nimium anxie disputant, quod quia fecerunt prisca philosophi, ab Aristophane ridentur in nubibus.

De asini umbra.

Huic simillimum est illud, de asini umbra. Sophocles in *Cedalion* apud Suidam, Cuncta asini umbra, hoc est, nugæ, nihil que res. Sunt qui credant hoc adagiū primū ab auctore Demosthene natum fuisse, fabulam referentes, quam vide apud Erasmum.

Harenam metiris.

Harenam metiris, hoc est, rem infiniti laboris, atque inexplicabilem inceptas. Aut frustra conaris, quod nequeas efficere.

Harenæ semina mandas.

Qui frustra laborat, sumptusque inanes facit, dicitur mādare harenæ semina: propterea quod steriles harenæ, maxime litorales, nec ad sementem idoneæ. Oenone Paridi apud Ovidium, Quid facis Oenone? quid harenæ semina mandas? Non profecturis litora bus aras.

De lana caprina.

Superiori videlicet, De asini umbra, istud est simillimum, De lana caprina: quod à simili quopiam euentu natū apparet, contentio se decertātibus duobus, vtrū lanam haberet caper, an setas. Aut alioqui de villis caprinis dimicātibus, re videlicet iutili, minimi q; mōmēti, cuiusmodi locus fertur & De asini lana.

In aqua scribis.

In aqua scribis, hoc est, nihil agis. Lucianus in Tyrāno. Vtrum ludis Charonē an iam in aqua (quod aiunt) scribis, qui quidē à Mycillo obolum aliquem expectes?

Reti ventos venaris.

De frustra laborantibus, aut qui stulte sequuntur ea, quæ nulla sit assequēdi spes. Aut qui rem inanem inaniter captant. Nam vtre contineri ventus potest, reti nequaq̄.

Ignem dissecare.

De ijs dici solitum, qui frustra moliuntur, quod effici nullo pacto queat. Testis Plato libro de legibus sexto, ostendens id lusus genitum quoddā fuisse, vt ignem gladio dissecarent. Illi itidem dicuntur ignem gladio fodere, qui potentium & ferociū iracundiam conuitijs exagitant.

Hylam inclamas.

Hylam inclamare feruntur, qui frustra vociferantur. Aut in genere dici possit, de nihil proficientibus. Ab huiusmodi casu natū ada

gium. Hylas Theodamantis filius, quū esset inter argonautas formosus adolescēs, adamatū est ab Hercule. Is quū esset in Mysia, forte aquatū egressus, in fonte periit: Vnde & à nymphis adamatū, ac raptus fingitur. Ad hunc vestigandū missus est Polyphemus, qui ingēti vociferatione nomen inclamabat Hylae: neq; quicq; tamen profecit: atq; hinc ortū prouerbiū.

**Laterem lauas.**

Hac parœmia operā inanē significamus: quam vsurpat Terentius in Phormione. Loquar nesciendā. Taceam: instigem. Purgem me: Laterem lauem.

**Laterem elixas.**

Superiori simillimū est, Laterē elixas, pro eo, qd̄ est, inaniter laboras. Neq; enī vnq; mollescit lapis, quantūvis diutina coctione. Generaliter conueniet in quāvis inanem operā, speciatim in hominem durum, nullisq; precibus mollescentem.

**Surdo canis. Surdo fabulā narras.**

Adagiū hoc eandē vim habet cū illo, cuius mētio iam facta est, Mortuo verba facit.

**Verberare lapidem.**

Planesium meretrix apud Plautum amatorem admonens, ne seruū, qui iam ad plagas obduruerat, occallueratq; pulset, manū potius, q̄ illi nociturus, Noli (inquit) amabō

verberare lapidem, ne lædas manū. Aptè dicetur, vbi quis obiurgat incastigabilem: aut inanem operam sumit in re quacunq;.

Cum dijs pugnare.

Cum dijs pugnare dicuntur, qui vel naturæ repugnāt: vel aduersus fatalem necessitatem reluctātur. Stumptum à Gigantum fabula. M. Tullius in dialogo de senectute. Quid enim aliud Gigantum more bellare cum dijs, nisi naturæ repugnare?

Herculei labores.

Herculei labores bifariā accipiūtur: partim plurimi, atq; ingentes, quiq; vires desyderent Herculanās. Partim Herculei labores dicuntur qui sunt eiusmodi, vt alijs quidem maximas adferant commoditates, cæterū author suo nihil ferme fructus adducant, præter alio quantulum fame, plurimum inuidiæ. Homerus poëtico more causam in Aten deam, & Iunonem reijcit: quæ infesta Herculi, tanq̄ ex pellice nato, periculis omnibus illum obiecerit. Celebrantur igitur, atq; etiam annumerantur à poëtis Herculanī labores, quorum omnium longe difficillimus, ac maximus Hydra Letnæa, malum pertinax, ac propemodum inexpugnabile illi, qui iam omnia deuicerat. Cuius symbolo veteres inuidiam exprimere voluerūt. Hæc nanq; teterrima pestis consuevit pulcherrimorum facinorum esse comes,



eximiãmq; virtutem non aliter q̄ vmbra corp̄  
pus assequi. Vnde Iosephus in opere de Ius-  
dãa capta, apposite dixit, Nulla ratione fieri  
potest, vt in rectè factis effugias inuidiam.

Vtre territas.

Dici solitum, quoties inanem formidinẽ,  
aut concipit aliquis, aut incutit. Sumptũ ab  
ijs, qui vasorum inaniũ strepitu pauefaciunt  
pueros, aut alioqui formidolosos: vel potius  
q̄ vasorũ huiusmodi sonitu propellunt aues.

Vlulas Athenas.

Vlulas Athenas, subaudiendũ portas, aut  
mittis. Cõueniet in stultos negociatores, qui  
merces eò cõportant, vbi per se magis abun-  
dant: vt si quis in Ægyptum frumentũ: in Ci-  
liciam crocum inuectet. Venustius fiet, si me-  
taphora ad res animi transferatur, vt si quis  
doceat doctiorem: carmina mittat poëtã: cõ-  
siliũ det homini cõsultissimo. Parœmia in-  
de fluxit, quòd noctua in Attica plurima est,  
ei regioni quasi peculiaris.

Inaniter aquam consumis.

In eos quadrabit, qui frustra suadẽt. A pris-  
sco more iudiciorum sumptum, in quibus ad  
clepsydre modũ dicebatur. Æschynes cõtra  
Demosthenem, ostendit primã aquam infun-  
di solere actoribus, alterã patronis, tertiã iu-  
dicibus, ad poenã cõstituendã, nisi primis sen-  
tentijs reus fuisset absolutus. Et Demosthenes

gg. j.

Æschynem prouocat, vt vel in sua aqua, si possit dicat, quod decretum fuisset ipſo vnq̄ authore scriptum.

Vndas numeras.

Eundem habet ſenſum cū illo prouerbio, Harenam metiris. Videri poteſt ab Æſopico quodam apologo natum adagium, quem reſert Lucianus in ſectis, Olim quēdam in maris litore ſediſſe, conantē ſingulas vndas per numerare, quūmque vndas vndis tradētibus obrueretur, animo que male angeretur, quod eas numero complecti non poſſet, adiens calida vulpes, opportuno cōſilio ſic hominem ſubleuauit. Quid angeris (inquit) ppter vndas, quæ præterierunt? Hinc numerare incipias oportet, illas miſſas facias.

Inuita Minerua.

Inuita Minerua accipitur pro eo, quod eſt refragante ingenio, repugnāte natura, non fauente cælo, & fruſtra. Horatius. Tu nihil inuita dices, faciēsve Minerua. Huc alluſit Seneca, quū dixit, Male reſpōdere coacta ingenia.

In cælum iacularis.

In eos vſurpatur, qui fruſtra laborant. Aue qui audēt eos laceſſere, quos non poſſunt laedere; nihil enim ferire poteſt, qui in cælū torquet, niſi quod deos videtur petere. At nō raro fit, vt iaculum in ipſum mittentē recidat.

In ſyluam ligna ferre.

In syluam ligna ferre, est aliquem ijs rebus augere velle, quibus ipse maxime abundet. Eadē dicimus ratione In mare deferre aquā. Vtrunq; congruit cum eo, quod iam relatum est, Vlulas Athenas.

Ventos colis.

In illos torqueri solitū, qui quidem è suis laboribus nihil fructus reportant.

Nugas agere.

Latinis tritum est adagium, nugas agere, pro eo, quod est, rem friuolam, ac nihili facere, seu frustra conari. Aristophanes in Nubibus, Socratem subtiliū nugarū antistitem vocat, quasi friuolarum argutiarum authorem.

Actum agere.

Terētius in Phormione, Ohe, Actū (aiūt) ne agas. A iudiciorum cōsuetudine sumptū: qua fas non est, iterum agere causam, de qua iam sit pronunciatum. Plautus. Rem actam agis, id est, incassum laboras.

Aquam in mortario tundere.

Aquam in mortario tundere dicuntur, qui laborāt inaniter. siquidē aquā si quis vel ætatem, id est, longū tempus contundat, nihil aliud erit, q̄ aqua. Lucianus in sectis. Ignarus quòd etiam si humeros (vt aiunt) verberando decutias, tamen aqua manet aqua.

Frustra canis.

In eos competit, qui frustra suadēt. A can-

gg. ij.

toribus ductum, qui quū ingrati sunt auditō-  
ribus, inaniter canunt, quū à nemine audian-  
tur: aut qui canunt suo sumptu, nihil auferen-  
tes præmij.

Saxum voluere.

Saxum voluere dicuntur, qui inexhausto  
quopiam, atq; inutuli labore fatigantur. Terē-  
tius in Eunūcho, Satis diu iam hoc saxū vol-  
uo. Donat<sup>9</sup> admonet prouerbiū fuisse in eos,  
qui inextricabili sudore affligerent: tractūmq;  
putat à notissima Sisyphi fabula, saxū apud  
inferos sursum, ac deorsum voluentis.

Memorem mones, Doctum  
doces &c.

Idem in Plautinis, ac Terentianis co-  
mædijs occurrit, Memorē mones: & Doctū  
doces. Idem pollet illud ex Græcis sumptū,  
Loqueris ei, qui ipse rē calleat: & illud, Sciēs  
ti narras. Euripides in Hecuba. Dixti nouum  
nil: sed probe scientibus, Hęc opprobasti. Ho-  
merus Odyssæe libro 9. Et noui, & teneo, iam  
narras ista sciēti. Horū omniū adagionū sen-  
sus per se clarus, nulla alia eget explanatione,

Surdo oppedere.

Dicitur vbi quid frustra fit. Aut vbi pecca-  
tur apud stupidos, qui non queāt sentire. Si-  
ue quum conuitijs incessitur is, qui perinde  
negligit, quasi non audiat.

Cauda tenes anguillam.



In eos aptè dicetur, quibus res est cū ho-  
minibus lubrica fide, & perfidis. Aut qui rem  
fugitiuam, atq; incertā aliquam habēt, quam  
tueri diu non possint.

Linum lino nectis.

Huius adagij duplicē apud Græcos inter-  
pretes sensum Erasmus inuenire se ait. Quo-  
rum alter est, infirmis infirma copulas, friuo-  
la friuolis. Alter, eadem non iisdem rationi-  
bus facis, aut dicis.

Anthericum metere.

Anthericum metere dicebantur, qui labo-  
rem inanem, ac sterilem caperēt. Anthericus  
herbæ genus, quod meti non possit, sed vel  
li manibus necesse est, velut & linnm.

Oleum & operam perdidit.

Oleum & operā perdidit, id est, quicquid  
insumpsi, seu rei, seu laboris, id frustra insum-  
ptum est. Sumptum ex Plauti Pœnulo. Me-  
taphora ducta à gladiatorum, ac palæstrita-  
rū certaminibus, in quibus certaturi, vnguen-  
tis quibusdam oleaceis perungebantur. Pos-  
test & ad lucubrantium lucernas referri, sicut  
Cicero fecisse videtur scribens his ad Atti-  
cum verbis. Non defleamus, ne & oleum, &  
opera nostræ philologiæ perierit: sed cōferas-  
mus tranquillo animo. Ergo hic oleum pro  
sumptu positum est. Nam & sic effertur ada-  
gium. Plautus in rudentibus. Et operam &  
gg. iij.

sumptum perdunt. Eódem pertinet etiam illud, quod Coruus ille saluator sonare didicerat, opera & impesa periit. Cuius fabulæ meminit Macrobius libro Saturnalium secundo: quam quidē refert & Erasmus, adagiū istud enarrans, illam tamen omittere, satisq; esse locos indicasse visum est.

Inuitis canibus venari.

Hoc adagió significatum est, non sat feliciter succedere, quod à nolentibus extorqueatur. Neque eorum officio vtendum, qui non ex animo operam suam nobis commodant. Apud Plautū in Stichō Panegyris patri interminans, ne se, suamq; sororem inuitas viris collocet. Stultitia est (inquit) pater, Venatum ducere inuitas canes. Addit que sententiam, qua metaphoram explicat. Hostis est vxor, inuita quæ ad virum nuptum datur.

Inuitos boues plaustro inducere.

Simile dictū etiam hodie perseverat vulgo celebratum, incommodū videlicet esse bubus inuitis, plaustrum ducere. Aut inuitis equis plaustrum agere. Videtur ex Theognis de sumptum, cuius hæc sunt carmina. Inuitum ne me scutica, stimulisq; subactū *Vi rus* deas vnq; ducendo inducere plaustro.

Contra stimulum calces.

Contra stimulos iactare calcem, est frustra repugnare ijs, quos vincere nequeas. Aut es

os prouocare, qui lacessiti noceant. Aut relutari fatis, & incommodū, quod euitare non queas, impatiēter ferendo, non solū nō effugere, verū etiā conduplicare. Veluti si quis vxorem nactus rixosam, assidue cum ea litiget, nihil profecturus, nisi quod illam reddat rixosiores. Terentius in Phormione. Nanq̄ inscitia est, aduersum stimulum calces. Donatus parcemiam esse admonet, cum eclipsi, deesse enim, iactare. Metaphora ducta est à bobus, quos agricolæ lignis præacutis à tergo fodiunt.

Penelopes telam retexere.

Penelopes telam retexere, est inanem operam sumere, ac rursus destruere, quod effeceris. Natum ex Homero, qui libro Odysseæ secundo fingit Penelopem Vlyssis vxorem, procos iam vrgentes, hac conditione delussisse, vt tum se promitteret nupturam, vbi telam, quam habebat in manibus, absoluisset. Quam conditionem posteaq̄ illi accepissent, mulier astuta, quod interdū texuisset, id noctu retexere cœpit.

Arare litus.

Arare litus, est sterilem operam sumere. Huius adagionis peculiaris vsus fuerit, quū officium in eum impenditur, à quo nihil sis fructus aliquando percepturus, veluti si quis indocilem doceat. Aut beneficium collocet

gg.iiij.

in ingratum. Salſitas enim facit, vt litorales oræ fermè ſint ſteriles, quod etiam prouerbio iam relato teſtatum eſt, Salſuginosa vicinia, pro ſterili. Eſt autem aded ſterilis humor marinus, vt nec arbores ferat.

Leonem larua terres.

Conueniet de minis inanib<sup>9</sup>, ac terriculis deridendis. Quamq̃ (vt inquit Plinius) hoc tale, tamque ſæuum animal rotarū orbis circumacti, currūſque inanes, & gallinaceorum criſtæ, cantūſq; etiam magis terrent, ſed maxime ignes. Erasmus ſcribit (ni fallatur memoria) ſe reperiſſe apud authorem quempiam, leonem etiam laruis, & appoſitiſq; vulsibus offendi.

Contra torrentem niti.

Contra torrentem niti dicuntur, qui fruſtra certāt cum ijs, quos vincere non queāt. Sumptum à natantibus, qui ſolent ſecundo natare flumine, maxime ſi torrens fuerit. Quod ſi contra nitantur, nihil promouerint. Lauſ datur à Iuuenale Crispini prudentia, qui Domitiani violentiæ conceſſerit, & ingenio alio qui inſanabili obſecūdarit, Ille (inquit) igitur nunq̃ direxit brachia contra Torrentem.

Dentem dente rodere.

Dentē dente rodere dicitur, qui carpit eū, qui neq; lædi queat, neq; ſentiat. Aut qui mordet, pari mordacitate præditum quempiam.



Martialis libro decimotertio, in obtrectatos rem quendam, Quid dentem (inquit) dēte iu uabit Rodere? carne op<sup>9</sup> est, si satur esse uelis.

In aqua sementem facis.

Dicitur de illo, qui beneficium cōfert in ingratos, atq; improbos homines, id q; perinde perire dicit, quasi sementem facias in yndis marinis.

In saxis seminas.

Eūdem cum superiori sensum habet. Quò quidem alluisse credi potest allegoria euangelica de semine quod in petras incidit.

Aranearum telas texere.

Aranearū telas texere, est in re friuola, nullisq; frugis, infinitum, atq; anxium capere laborem. Vnde & apud Diogenem Laërtiū in uita Zenonis, Philosophus quidam rationes dialecticas, aranearum textis similes esse dicebat: quę quum operosum quiddā, atq; exactum præ se ferāt, tamen nugatorię sint, atq; imbecilles.

Cribo aquam haurire.

Cribo aquam haurire dicūtur, qui operosum quiddā, sed inane, nulliusq; fructus agūt. Quod etiam in obliuiosos non incōcinne dicitur. Sumptum à fabula Danaidum puellarū, quas Plato scripsit apud inferos hoc pœnæ genus pendere ut assidue aquam in doliū pertusum, uasis item pertusis inferant.

Asinum sub freno currere doces.

Asinū sub freno currere doces, Hoc est, doces indocilē. Nā equus ad cursū idoneus, Asinus ad equestrem cursum inutilis. Horatius, Infelix operam perdas, vt si quis asellum In cāpum doceat parentem currere freno.

Austrum perculi.

Austrū perculi, id est, operam Iusi, est apud Plautum in Epidico: quo quidem adagio nō grauatus est vti Paulus in epistolis suis. Aer enim verberantis ictum eludit. Sumptum videri potest, vel ab ijs, qui exercentur ad artē gladiatoria, ensem per aëra vtilātes. Vel ab historia: cuius meminit Gellius de gēte quadam, quæ cum hoc vento bellum gessit.

ABSURDA, INDECORA,  
SEV PRAEPOSTERA.

Sus Mineruam.

Sus cū Minerua certamen suscepit.

Fluuius, quæ procul absunt, irrigat.

Herculis cothurnos aptare infantī.

Lumen soli mutuas.

Ranæ aquam.

Soli lumem inferre.

Pica cum Iuscīnia certat, Epopa cum Cygnis.

Vespa cicadæ obstrepens

Currus bouem trahit.

Cācer leporem capit.

Velocem tardus assuetur.

Mulgere hircum.

Iungere vulpes.	facis.
Capra nondum peperit, hœdus autē ludit in tectis.	Cantherium in fossa. Caligare in sole.
Furari litoris arenas.	Teipsum non alens, canes alis,
Nudo vestimenta detrahere.	Canis das paleas: asine ossa.
Nudo mandas excubias.	Claue findere ligna, & securi fores aperire
Tute lepus es, & pulpamentum quæris.	Smaragdus in luce obscurus.
Mari è fossa aquam.	Anus saltat.
Mus non ingrediens antrum, cucurbitam ferebat.	Cervus canes trahit. Faber quum fis.
Ebur atramento canis defacere.	Serenitati nubem inducit.
Elephantum ex musca	Boue venari leporem.

## Elucidatio.

## Sus Mineruam.

Sus Mineruam, subaudiendum, docet, aut monet. Dicitur quoties indoctus quispiam, atque insulsus, cum docere conatur, à quo sit ipse magis docendus: aut (vt fessii Pompei verbis utamur) quum quis id docet alterum, cuius ipse est inscius. Propterea quòd Mineruæ artium & ingeniorum tutela tribuitur à poëtis. Porro sue nullum aliud animal magis brutum, magisq; sordidum, vt quod stercorebus impese

gaudeat, vel ob fecoris magnitudinem, quæ sedes est concupiscentiæ, ac libidinis: vel ob narium crassitudinem & olfactum ebetem: vnde fit, vt non offendatur fetore: tum adeo prout, ciboque deditum, vt si forte sursum aspicere cogatur, protinus stupore sileat ob insolentiam, vt tradit Alexander Aphrodisæus. Nec est aliud magis indocile, proinde non ad usum aliquem, quemadmodum pecudes nonnullæ, sed ad epulas duntaxat à natura donatum videtur. Cui rei testis est Plinius, libro octauo, capite 11. Animalium (inquit) hoc maxime brutum, animamque ei pro sale datam non illepide existimabatur. Quod affirmat Varro libro de re rustica secundo. Suillum (inquit) pecus donatum à natura dicitur ad epulandum. Itaque his animam datam pro sale, quæ seruet carnem.

Sus cum Minerva certamen suscepit.

Istius adagionis usus esse consuevit, quoties indocti, stolidique, & depugnare parati, non veretur summos in omni doctrina viros in certamen literarum prouocare. Legitur apud Theocritum in Hætoporis, Cum diua (inquit) est ausus sus decertare Minerva. Theocriti enarrator sic efferri vulgo prouerbum scribit, Sus quum sis, cum Minerva contendis.

Fluuius, quæ procul absunt, irrigat.

De istis dici conueniet, qui bene merentur de externis, & nihil ad se pertinentibus, suos



vero negligunt.

Herculis cothurnos aptare infanti:

Herculis personam, aut cothurnos aptare puero, est minimis applicare maxima: quæ nequaquam vel congruant, vel deceant. Veluti si quis re humilem oratione Tragica prosequatur Quintilianus libro sexto de peroratione. Nā in paruis (inquit) quidem litibus, has Tragedias mouere, tale est quasi si personam Herculis & Cothurnos aptares infanti.

Lumen soli mutuas.

Proverbiū vsurpatur, quum docemus doctissimū: aut monemus vehementer prudentem. Præterea quum conamur exponere, quæ per se sunt clarissima: aut sermone celebrare, quæ sua spōte sat illustria sunt. Sol enim fons omnis luminis putatur, qui lucem mutuare solet, non autem mutuo accipere.

Ranæ aquam.

Ranæ aquam, subaudiendum, ministras, vbi quid exhibetur, quo vel præcipue gaudet is qui accipit: veluti si quæ natura bibacem ad bibēdi certamē prouoces: aut homini loquaculo narrādi materiam & occasionem subministras. Recte accommodabitur, vbi quid datur abundantī. Nam ranis affatim est aqua.

Soli lumen inferre.

Quintilianus institutionū oratoriarū libro quinto, titulo de vsu argumentorum dixit, eū

soli lumen inferre, qui rem per se euidentissimam conaretur argumētationibus probare. Idem signat cum illo, Soli mutuare lumen.

Pica cum luscinia certat, Epopa cum Cygnis.

Quadrabūt in eos, qui certant longe impares, cum superioribus. Aut qui negocium fa-  
cessunt, longe se præstantioribus.

Vespa cicadæ obstrepens.

Consimilem habet sententiam cū superiore prouerbio. Sumptum ex Theocriti carmine in Odeporis, Silicet (inquit) obstrepitans argutæ vespa cicadæ. Nam his verbis contēnit quidē pastor pastorē, à quo prouocatur.

Currus bouem trahit.

Dicitur de re, quæ præpostere geritur, veluti si vxor præscribat marito. Si discipulus reprehendat præceptorem. Si populus impetret principi. Si ratio pareat affectui. Translata metaphora à plaustris per decliue retrò labentibus, vnāq; secum bouem auferentibus.

Cancer leporem capit.

De re nequaquā verisimili, dictu'q; absurda, veluti si quis dicat, ab indoctissimo superati doctum.

Velocem tardus assequitur.

In eum competit, qui viribus imbecillior, arte atq; ingenio vincit potentiolem. Natū adagiū ex Odyssææ, vbi lepidissima narratur

fabula, quemadmodū Vulcanus claudus, quū suspectam haberet vxorem Venerem, q̄ fur̄ tim cum Marte congregaretur, nec vires supererent, quibus adulterū deprehenderet, ad artes atq; ingenium confugit. Lectum suum adamātinis, atq; inuisibilibus catenulis circūuinxit: quod ubi fecisset, foras abire se simulat. Deinde quum in arctissimis complexibus essent Mars & Ven<sup>9</sup>, vinculis illis hoc magis irretiti, quo magis se circumagerent, ecce ibi rep̄ere redit Vulcanus, & aduocato sole, deos omnas adhibet deprehensū adulterij testes. Quo loco Homerus scribit ad hūc modum. Nōnunq̄ assequitur tardus celerēmq; citūq;. Sic uti nunc Vulcanus, vt est vestigia tardus, Mauortē cœpit, qui perniciosissimus vnus Cūctorum quicunq; tenent supera astra deorū. Et quanq̄ est claudus pede, rem tamen arte peregit. Proinde etiam debet pœnas deprehensus adulter.

#### Mulgere hircum.

De re palàm absurda dicitur. Lucianus in vita Demonactis, inter huius festiuiter dicta cōmemorat & illud, quum conspiceret duos quosdam philosophos, vtrosq; pariter indoctos, inter se disceptantes, & alterum quidem ridiculas quasdam quæstiones proponētem: alterum item aliena, neq; quicq̄ ad rem faciētia respōdentem, Quid (inquit) amici, an nō

horum alter, hircum mulgere videtur, alter  
cribrum supponere?

Iungere vulpes.

Eundem habet sensum cum superiore. Vir-  
gilius in Thyrside, Qui Bauium non odit, ar-  
met tua carmina Meui: Atq; idem iūgat vul-  
pes, & mulgeat hircos. Est enim vulpes ani-  
mal ab aratro vehementer alienum.

Capra nondum peperit, hœdus  
autem ludit in tectis.

In eos torquetur, qui postrema, perfectâq;  
iâ aggrediuntur, præteritis ijs, quæ præcessisse  
oportuit. Aut qui gloriâtur iâ affecutos sese,  
cuius ne fundamenta quidem sunt iacta. Aut  
qui rem agunt præposere. Prius est enim pe-  
perisse, q̄ vt hœdus ludat in tectis.

Furari litoris arenas.

Litoris arenas furari dicitur, qui rē ab om-  
nibus neglectâ, & incustoditâ tollit. Ouidius  
in amoribus. Ille potest vacuo furari littore  
arenas, Vxorem stulti quisquis amare potest.  
Aptius per negationem vsurpabitur prouer-  
bium, vt quis litoris arenas furerur?

Nudo vestimenta detrahere.

Nudo vestimenta detrahere dicitur, qui ab  
eo sperat emolumentum, cui ne sit quidem,  
quod auferri queat. Plautus in Asinaria. Mas-  
ximas nugas agis, Nudo detrahere vestimen-  
ta me iubes.



Nudo mandas excubias.

Vsurpatur adagium, quoties negocij quispiam mandatur ei, cui deest præstandi facultas, obeundæq; pronuntiæ, propter inopiam neutiq; idoneus est. Neq; enim nudus cõmode potest excubias agere, propter rigorem nocturni frigoris, neq; ad pugnã est idoneus inermis.

Tute lepus es, & pulpamentum quæris.

Terentius in Eunucho, Tute lepus es, & pulpamentũ quæris. Dictum est à milite glorioso in adulescẽtem Rhodiũ, qui scorto suo adludebat, ipsa ea etate, qua scorti vicibus fugi posset. Donatus allegoriam varijs modis exponit. Prouerbiũ hoc in molles conuenire docet, propterea quòd lepus à posteriore parte, hoc est, à lumbis & clunibus pulpamentũ de se præbeat, eaq; corporis parte lautissimus sit. vel quòd eum canes amatorũ instar, sequantur. Vel quòd lepus à physicis dicatur incerti sexus, modo mas, modo foemina. Hęc commenta Erasmo frigidiora videntur: ac vt simplicius, ita & verius esse putat, ad gręcã parœmiam referre, illam videlicet, Dasypus carnes desyderat: quę in eos dicitur, qui ea requirunt ab alijs, quę ipsis affatim sunt domi. Est enim Dasypus de genere leporũ: Lepus autẽ (vt author est Plinius, libro octauo, cap. h. j.

pite lv.) animal est innocuū, esculētum, & secundum, omnium prædæ nascēs. Solus præter Dasypodem superfoetat, aliud educans, aliud in utero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoato gerens partu. Dicitur est autem Dasypus à pedibus hirsutis, ac villosis.

Mari è fossa aquam.

Mari è fossa aquam, subaudiendum, infundis. Usurpatur, ubi quis exigua maximis apponit, credens sese non nihil iuuare. Nihil enim momenti adfert, si aqua è fossa, siue lacu hausta mari infundatur.

Mus non ingrediens antrum, curbitam ferebat.

In eū congruit, qui quum ipse sibi cōsulere nō possit, alijs conatur opitulari. Erasmo videtur adagiū natū ab anili quopiā apologo.

Ebur atramento candefacere.

Ebur atramento candefacere, est genuinæ formæ cultum, atq; ornatum externū inducere, quo decus illud natium obscuretur magis, quā illustretur. Proinde Lena Plautina puellæ naturalis forma præditæ, tamē cerussam ad obliuendas malas postulanti, Vna (inquit) opera, ebur atramento candefacere postula. Propterea quod omne lenociniū rebus natura pulchris, dehonestamentum adferat, non venustatem. Veluti si quis veritatē, qua nihil est pulchrius, rhetorum pigmetis conetur exornare. Porro

quemadmodum cerussa ad candorem conciliandū adhiberi consuevit, itidem purpurissa ad tingendas rubro malas.

*Elephantum ex musca facis.*

Elephantum ex musca facis, id est, res exiguas verbis attollis, atq; amplificas. Sumptū videri potest ex Homero, q inter praelia deorū & herouū, muscæ improbitatē describit, cū hac inuictum, & acrem bellatorem cōferens.

*Cantherium in fossa.*

Rusticum est prouerbiū, sed tamen è re militari natum: quo licebit vti, quoties quis ad id negocij trahitur, in quo nequaquā valeat. Aut vbi res erit vehementer impedita, periculosa &c. Refertur à Tito Liuiio Decadis tertie libro tertio. Narrat autem quum Fabius Capuā obsideret, bello Punico, Iubelliū Tauram inter equites Campanos nobilissimū, è Romanorū exercitu quēvis ad singulare certamen euocasse, ausūmq; prodire Claudiū Asselliū. Deinde vbi diutius vterq; alterū libero campo elusisset, Cāpanus in cauā viam descēdere iussit, alioqui equorum, nō equitum fore certamen. Eò quum Romanus, re q̄ verbis ferocior, extemplo descendisset, rursus elusit Tauram sermone, qui postea in rusticum versus est prouerbiū, Minime sis (inquit) cantherium in fossa. Quāq; ex Liuianis verbis tarum liquet adagij sensus, tamen coniectu-

hh. ij.

ris facile deprehenditur.

Caligare in sole.

Caligare in sole legitur apud Quintilianū, pro eo, quod est, in re clarissima cæcutire: id quod solet accidere vitiosis oculis, qui nihil vident in luce quæ maxime perspicua, videlicet sensum debilem obruente vi splendoris. Idem euenit noctuis, & lusciosis. Nam ijs lumē pro tenebris est. Nō inuenuste torquebitur in istos, qui velut obscurum causantur, quicquid eruditum fuerit. Quibus tenebricosa est vel Ciceronis oratio. Noctem enim in oculis circumferūt. Quemadmodum apud Senecam Porcius dicebat quendā spinas in pedibus habere, quum per se spinas ingredi quereretur. At pedes (inquit) tui spinas habēt, nō locus. Itis dem isti noctem, qua se prædicant offendi in bonis authoribus, in oculis secum adferunt, non in libris reperiunt.

Teipsum non alens, canes alis.

In eum dicebatur, qui quum per inopiam sibi, quæ sunt ad vitā necessaria, suppeditare nō posset, conaretur aut equos, aut famulos habere domi. Apposite dicitur aduersus istos, quibus quum ob rei familiaris angustiam vix suppetit, quo vitam sustineāt, tamen per ambitionem conantur fastu vestitiū, reliquosque strepitu potentes, & opulentos imitari. Breuiter cōueniet in omnes, qui quæ ad voluptatem,



aut splendorem pertinent, curant, neglectis his, quæ magis sunt necessaria. Porro necessarijs prima debetur cura: dignitati posterior: veluti si quis in eruditione comparanda laboraret, vitæ securus, de qua periclitetur.

Canis das paleas; asino ossa.

Dicitur quum res præpostere distribuuntur. Veluti si quis indocto mun<sup>9</sup> mittat literariũ: erudito flosculos, aut gladium, vel baltheũ.

Clave findere ligna: & securi  
fores aperire.

Istius prouerbij locus fuerit, vbi res præpostere geretur: veluti si quis liberos metu studeat emendare, seruos beneficijs sibi adiungere. Aut si quis apud imperitos philosophicis rationibus agat: apud eruditos clamore & improbitate vincere conetur.

Smaragdus in luce obscurus.

In eos iaci solitũ, qui præpostere ibi semet occultarent, vbi maxime conueniebat edere virtutis specimen.

Anus saltat.

In eum conuenit, qui indecore quippiã facit: veluti si senex ludat nucibus: aut Theologus rhetoricis flosculis lasciuiat: aut princeps exemplo Neronis musicetur.

Cervus canes trahit.

Hoc adagio præposterũ quippiã significamus: quod quidem sumptũ est ex Theocriti  
hh. iij.

Thyrside. Præposterū enim est, vt ceruus venetur canes. Postq̄ (inquit Theocrit⁹) Daphnis obit, ceruus trahat ipse molossos.

Faber quum sis.

Euripidis senarius traduct⁹ sic habet. Quū sis faber, opera haud facis fabrilia. Congruet in eū, q̄ tentat, ad quæ nō est idoneus, vel ob imperitiā, vel ob naturā alienā. Veluti si quis infās, & ad persuadēdū inept⁹, suscipiat legationē: aut indiligēs, dispēset rem domesticā: aut senex, siue inualidus militiā capessat: si venetur sacerdos: Rhetoricetur Scotista. Iāduḃ & illud Horatianū cessit ī prouerbiū quod hinc imitatū videtur, Tractant fabrilia fabri.

Serenitati nubem inducit.

De eo dicitur, qui inter pocula, ludōsq; visulētum aliquid admiscet, quod offuscata hilaritate frontem corruget, superciliāq; cōtrahat. Ad eundem modū Horatius de anu deformi, quæ se puellarum choris admiscebat, Et stellis nebulam spergere candidis.

Boue venari léporem.

Boue léporē venari dicūtur, qui rem absurdam, stultam, ac præposteram aggrediuntur: veluti si quis in curia Romana, citra pecuniā ambiat episcopi dignitatē. Plutarchus in cōmentario de animi tranquillitate. Neq; enim (inquit) qui aratro velite iaculari, ac boue venari léporem, infortunatus est. Neq; ei, qui la

queis aut retibus, ceruos non cæperit, vllus  
 malus aduersatur genius: sed stultitia, & per-  
 uersitas aggrediuntur, quæ fieri non possunt.  
 Non quidvis est accommodandum ad omnia  
 (inquit Erasim<sup>9</sup>) veluti si quis homini studijs,  
 & ocio nato, bellum aut rempublicam admi-  
 nistrandam mandet, boue leporem venatur.

## D I F F I C V L T A T I S.

Nō est cuiuslibet Coꝝ Non omnibus cōtinu-  
 rinthum appellere. git.  
 Difficilia quę pulchra Ægre, sed tamen con-  
 Clauam extorquere tigit.  
 Herculi. Pręter Sibyllam leget  
 Nemo mal<sup>9</sup> hoc sciet nemo.

Explanatio.

Non est cuiuslibet Corinthum  
 appellere.

Vetustum, iuxta ac venustum adagium de  
 rebus arduis, & aditu periculosis, quasq; non  
 sit cuiuslibet hominis affectare. Inde natum,  
 quod (vt refertur apud Suidā) nec facilis, nec  
 satis tutus sic nautis in Corinthianū portum  
 appulsus. Strabo libro Geographiæ octauo,  
 aliò refert originem prouerbij, nepe ad luxū  
 & meretrices Corinthiorū. Ostēdit enim Coꝝ  
 rinthū, quod in Isthmo esset, duosq; haberet  
 portus, alterum aduersus Asiam, alterū Italiæ

hh. iij.

oppositum, negociatorū frequentia locupletissimam fuisse. In eadem templum fuisse Veneri sacrū, adeoq; locupletatū, vt plures mille puellas caperet, quas Corinthij Veneri consecrarant, vt in eius honorem prostarent. Itaq; harū gratia, frequēs in urbem multitudo vindiq; cōsuebat: vnde ciuitas maiorem in modū ditabatur. Quinetiam negociatores, hospites, ac nautę, propter vrbis luxū, delitiāsq; immoderatos sumptus faciētes exhauriebantur. Atq; hinc mansisse vulgo prouerbiū, Cuiuslibet non est, Corinthum appellere. Proinde duplex erit vsus adagij: vel quū significamus rem esse maiorē, q̄ pro vrbis eius, qui conatur aggredi: veluti siquis parū felicitatus ingenio, parūmq; viatico instructus, destinet sequi literas: aut q̄ sit imbecilli corpusculo, Paulos & Antonios studeat æmulari. Vel quoties aliquis negocium parū tutū aggredi parat, quod nō temere soleat feliciter euenire. Veluti siquis apud iudices *ἰσοκράτους* & donorum captatores litem instituat nunq̄ finiendam: aut principū aulis sese addicat, aut bellū suscipiat. Nihil enim ferè horū ita bene consuevit euenire, vt non poeniteat consilij.

Difficilia, quæ pulchra.

Quidam prodiderūt Pittacum, vbi semet abdicasset imperio, dixisse, Difficile bonū esse. Porrò Solonē Pittaci molliciem atq; igna-



uiam taxantem dixisse, Difficilia quæ honesta. Vtriusq; autem dictum in proverbium abiisse: quod quidem signat virtutem (vt est apud Aristotelem) circa id versari, quod est difficilius. Eodẽ pertinet Virgilianũ carmen de littera Pythagorica. Et euangelicũ illud de via arcta, quæ ducit ad vitã. Item de duplici via apud inferos: quarum altera ducit ad cãpos Elyssios: altera in malam rem.

Clauam extorquere Herculi.

Qui sibi vendicare conatur, quod alius iã potetior occupauit, non infacete dicitur clauam velle Herculi extorquere. Id quæ iam pridem apud eruditos proverbij vice celebrat. Natũ ab apophthegmate Maronis, Cui quũ Zoili quidam vitio darent, quod nõ paucos Homeri versus pro suis vsurpasset, respõdit, hoc ipsum magnificum esse facinus, vel Iouis fulmen eripere, vel clauam extorquere de manu Herculis.

Nemo malus hoc sciet.

Vsurpatur adagium, quoties rem egregiã & cognitu dignam significamus. Huic confine est illud, Non sus quivis hoc norit. Vtrũq; ex Platone sumptum est.

Non omnibus contingit.

Non cuius sit potestas cum regibus colloquendi: aut non omnibus cõtingit diuinarum literarum penetrare mysteria. Ad hunc

sensum, non inuenuste deflectetur illud ex Odyssæ π, Haud cuiuis manifesta videtur numina diuūm.

Ægre, sed tamen contigit.

In eos qui ægre quidem, sed tamen affertur, quod optāt, quadrabit illud ex Odyssæ Δ, Peruenietis adhuc, quanq̄ mala plurima passi.

Præter Sibyllam leget nemo.

De stilo, aut literis perturbatis & obscuris dicitur, Has præter Sibyllā leget nemo. Hic locus est apud Plautum in Pseudolo.

## PROCLIVITAS.

Currentem incitate.	tium.
Bene plaustrum percudit.	Vno digitulo.
A vicinis exemplū habent.	Suade lupis vt insaniant.
In planiciem equum.	In numerato habere.
Mustelæ sæuum.	Tarichus assus est.
Calcar addere currenti.	Titio ad ignem.
Vna scutica õnes impellit.	Ignis ad torrem.
Lydum in planiciem prouocas.	Quàm facile vulpespirum comest.
Sphæra per præcipit.	Tā in procliui, quàm humber.
	Tanq̄ de Narthecio.

Interpretatio.

Currentem incitare.

Currētem incitamus, quū ad id vocamus aliquē, ad quod suapte cupiditate fertur, ac propendet. Atque hac figura mitigamus, vel præcludimus magis, offensam admonitiōis. Cicero ad Cassium. Ut Cæsarem in Italia vidē (sic enī arbitrabamur) cumq; multis honestissimis viris conseruatis, ad pacem currētem (vt aiunt) incitarem. Ducta metaphora ab his, qui cursu certant, quibus acclamatio solet addere velocitatem.

Bene plaustrum perculit.

Rusticorum prouerbiū est: apparētq; dici solitū in eos, qui quempiam impellūt, quō suapte sponte iam propendebat. Translatū à plaustris onustis: quæ quo exonerantur: solēt euetti. Fit autē id cōmodius in eam partē, in quam propter solum declinū inclinant.

A vicinis exemplum habent.

In eos dicitur, qui faciūt quippiam aliorū exēplo prouocati. Vicinus enim vicino morbum suum affricat, & malorum commercio reddimur deteriores.

In planiciem equum.

Adagiū vsurpatur, quoties q̄s ad id prouocatur, in quo plurimū valet, & quo vel maxime gaudet. Plato in Theæteto. Equitē in planiciē prouocas, Socratē ad disputandū. Hinc natū, q̄ equus in cāpo, tanq̄ in sua est arena.

## Mustelæ sæuum.

Mustelæ sæuū, siue pingue, subaudiendū, das: aut committis. Dicitur solet, quū ea datur, quorum qui accipiunt, natura sunt appetentissimi. Gaudet enī hoc animal præcipue sæuo. Veluti si quis laudaret, laudū auidissimū. Aut ad bibendum prouocaret, natura bibosum. Aut ad aleam inuitaret, quibus hic ludus impendio gratus esset.

## Calcar addere currenti.

Eandem sententiā habet cum illo, Currentem incitare. Translatio ab equitibus sumpta est, qui nōnunq̄ etiā sponte currētibus equis, quo currant celerius calcar addunt. Ouidius. Non opus admissio subdere calcar equo. Sūt autem fermè prouerbiales in totū illæ metaphoræ, Subdere calcar: Subdere stimulos: quemadmodū & illæ, Inijcere frenum: Compescere freno: Reuocare freno. Item Cicero nis illud, E medio cursu reuocauit.

## Vna scutica omnes impellit.

Vna scutica incitat omnes. Hemistichium heroicū de negotio dictū, quod facile fieret: videlicet à promptis omnibus, ac suapte sponte currentibus. Sumptum ab aurigis.

## Lydum in planiciem prouocas.

In eum dicitur, qui lacessit iam dudū ad id propensum, ac promptū. Notati sunt Lydi, quod ad bellum capessendum æquo propens



flores essent.

Sphæra per præcipitium.

Sphæra per præcipitium, subaudiendum, voluitur, aut mittitur. Perinde est, quasi dicas, Currentem incitare. Nã sphæra vel sua sponte facile per locum decliuem deuoluitur. Nec male quadrabit in eos, qui vitæ genus aliquod nacti sunt, ad quod videntur esse natura propensi: vt cum illo cõueniat, Equũ in planiciem.

Vno digitulo.

Hoc prouerbio, summã negocij facilitatẽ significabãt. Hieronymus in dialogo Luciferiani, & Orthodoxi. Hanc igitur hastam, quã totis viribus misisti, de qua nobis minitaris, vno (vt aiunt) digitulo repellam. Huc pertinet & illud, Mínimo prouocare, quũ significamus, nos vel nullo negotio posse vincere.

Suade lupis vt insaniant.

Vsurpatur, vbi quis animũ inducit ad rem stultissimã, quam non aggredetur, nisi insanus. Nam lupi insanũt, vel sua sponte: veluti si quis tyrannũ instiget ad crudelitatẽ, quum plus satis sæuiat suo ingenio.

In numerato habere.

Si ad animi rem trãsseratur, prouerbij rationem habuerit: Velut Octavius Augustus pronunciauit de Vinitio Oratore, quòd ingenium in numerato haberet, propterea, quòd

In causis agēdis ingenio esset præsentissimo, & quicquid alijs præstaret diutina cogitatio, id illi prima statim animi intētio daret. Sumptum est ab ijs, qui res suas ad certissimū calculum redegerunt, hoc est, ad pecuniam numeratam.

Tarichus assus est.

Tarichus assus est, mox vt ignem viderit. Athenæus prouerbij loco citat. Est autē Tarichus piscis salus, Idem (vt Erasmus opinatur) cū illo est prouerbio, Aphyæ ad ignem: quadrat autem in ea, quæ celeriter intereunt, & absumentur, siue quæ facile, ac statim conficiuntur. Nam Aphyæ piscis genus, molle, ac tenerum, quod ad motū igni protinus decoquitur. Frigitur autem in oleo feruenti: vnde fertur & illud apud Græcos, Aphyarum honor oleum, ac protinus, vt contigerunt oleū iam decoctæ sunt.

Titio ad ignem.

Vsurpatur, vbi quis applicatur ad eas res, ad quas natura propensus est. Vt si mulierofus, ad puellarū conuictū. Sanguinis anidus, ad militiam. Lucri sitiens, ad mercaturā.

Ignis ad torrem.

De negotio, quod raptim, facileq; conficitur: quasi quū vltro ignis ad torrem transvolat, ob materiei siccitatem.

Quam facile vulpes pirum comest.

Plautus in Mustelaria, Tam facile vinces,  
quàm vulpes pírū comest. De re factu pro-  
cliui. Inde ductum, quòd nihil negocij sit vul-  
pi dentatissimæ, pírum edere.

Tam in procliui, q̄ humber.

Plautus in Captiui duo. Tam hoc quidē  
tibi in procliui, q̄ humber est, quando pluit.  
Prouerbiali dictū hyperbole videtur, quem  
admodum alibi, Tam facile, quàm vulpes pi-  
rum comest.

Tanq̄ de Narthecio.

Tanq̄ de Narthecio, pro eo, quod est, ex  
parato & ad manū, dixit Cicero, secundo de  
finibus bonorum libro. Iam doloris (inquit)  
medicamenta illa Epicurea, tanq̄ de Narthe-  
cio promant. Si grauis, breuis: si longus, le-  
uis. Narthecium Cicero videtur vocare, py-  
xidem, vnde pharmacopolæ depromūt me-  
dicamenta.

ANCEPS, DVBIVS, ET  
PERPLEXVS.

Necessarium malum.	In triuio sum.
Neq; cum malis, neq; sine malis.	Delphicus gladius.
Plus aloës, q̄ mellis habet.	Volēs nolēte animo.
Triceps Mercurius.	Nolens volens.
Ancipitis animi.	Quid primū, aut vlti- mum.
	Auribus lupū teneo.

Vetus neq; manere sinit, neq; nauigare. Ne Execessides quidē  
 Hæret in vado. Inter sacrū & saxum.  
 In aqua hæret, Inter malleū & incudē  
 Labyrinthus. Nunc meæ in arctum  
 In puteo constrictus. coguntur copiz.

Enarratio.

Necessarium malum.

De ijs dicitur, quos neque reiscere possis: quod quibusdā in rebus opus sit eorum opera: neq; commode ferre, quod viri sint improbi. Natū videtur ex Hybrææ cuiusdā apophthegmate, de quo meminit Strabo libro 14. Quū haberet Euthydamus tyrannicū quidādam, multis alioqui nominibus utilis ciuitati, ita vt cum vitijs virtutes paria facere viderentur, Hybræas orator in oratione quadā sic de illo loquutus est, Malum es (inquit) ciuitatis necessariū. Nam nec tecū viuere possumus, nec sine te. Prouerbiū etiā poterit torqueri in vxores, cū quibus incōmodē viuatur. Sed absq; his Respublica omnino consistere non potest. Potest & ad rem accōmodari: veluti si quis dicat pharmacon, rē quidē molestam, necessariam tamen.

Neq; cum malis, neq; sine malis.

De vxoribus dictū, cum quibus incōmodē sanè viuatur, sed nec citra has constant familiæ. Simile illi, quod est in epigrammatis,



Nec tecum possim viuere, nec sine te. Extāt & versus Græcanici in hâc sententiam, quos Erasmus vertit ad hūc modum, Malum quidem vxor: attamen ciues, sine hoc Nulli licet parare familiam malo.

Plus aloës, q̄ mellis habet.

Prouerbialis metaphora, perinde declarās, ac si dicas, Plus molestiæ, q̄ voluptatis. Nam aloë frutex quidam est, odore graui, gustu amarissimo. Apud Plautum legitur vitam hominis plus aloës, q̄ mellis habere. Et Iuuenalis de vxore, Plus aloës, q̄ mellis habet.

Triceps Mercurius.

Dictum videtur in ambiguos, ancipitesq; aut in vehementer astutos. Ad hūc modum fingebatur antiquitus Mercurius, vel quod plurimam vim habeat oratio: vel quod idem deus index viæ, proinde in singulis capitibus inscriptionē habebat, quò duceret hæc via, quò rursus illa.

Ancipitis animi.

Animū ancipitem, & incerti cōsiliij licet indicare versiculo Homericō ex Iliados r. Huc animus mihi versanti inclinabat, & illuc. Id Maro sic expressit, Atq; animum nunc huc ce-  
lerem, nunc diuidit illuc.

In triuio sum.

In triuio sum consiliij. In eos dicitur, qui dubitāt, quiq; incerti sunt animi hæsitātes, quid

ii, j

potissimum eligant. Trāslatum ab ijs, qui faciunt iter, & si quando triuium occurrerit, ad dubitant quam viam oporteat ingredi. Nam viā pro ratione consilij frequenter apud Græcos authores reperias, vt apud Euripidem in Hecuba, Tuorum viam consiliorum.

Delphicus gladius.

De re dicebatur ad diuersos vsus accommodabili: quemadmodum ijsdem vasculis & poculorum vice in conuiujs: & clypeorum vice in bellis vtebantur. Nā delphicus gladius ad eum modū fabrefactus erat, vt eodem simul & sacras mactarent victimas, & nocētes afficerent supplicio. Quadrabit igitur, vel in pauperes, qui ob penuriam, eandem vestem, aut aliam rem quampiam ad varios vsus accommodant: aut in vitiosum procemium, & diuersis causis applicabile. Licebit & in seriū sensum accommodare prouerbiū: vt si quis eruditionem, Delphicum appellet gladium: quod in omni ætate, omni vitæ cōditione fit vsui. Nā literæ iuuenibus sunt necessarie, senibus iucundæ, pauperibus opes suppeditant, opulentis adiungunt ornamentum: in rebus aduersis solatio sunt, in secundis gloriæ. Claro natis genere, splendorem augent, obscuro genere natis, claritatis initium conciliant.

Volens nolente animo.

Dicitur de ambigente, animi q; incerto: vt

apud Euripidem in Hecuba. At is volensq; & nō volens. Est etiam in arcanis prouerbijis Hebræorū, Pigrū velle & nō velle. Vsurpatur nonnunq̄, vbi quis fingit se nolle, quod cupit: aut cōtra. Terentius non dissimili figura dixit in *Andria*, Tu voluntate coactus es tua.

Nolens volens.

Figura est prouerbialis contrarijs vocibus constans. Omnes huiusmodi figuras prouerbiales esse Donat<sup>9</sup> admonet: propterea, quod ænigmaticum quiddā habere videantur: quæ quidem frequētes sunt apud Græcos. Ista autem eundem cum superiore sensum habet.

Quid primum, aut vltimum.

Figura prouerbialis, qua vtimur, quoties aut rerū copiam tantam significamus, vt hęc fitemus, vnde potissimum exordiamur. Aut quum perplexi dubitamus, quid primū agere debeamus. Iuuenalis, Quid te circumagis, quæ prima, aut vltima ponas.

Auribus lupum teneo.

Dicitur in eos, qui eiusmodi negotio inuoluntur, quod neq; relinquere sit integrū, neq; tolerari possit. Ab euentu quoquam natū videtur, vt alia pleraq;. Aut inde certe, quod vt lepus auribus, quippe prælongis, commodissime tenetur: Ita lupus, quod aures habet pro corpore breuiiores, teneri ijs non potest, neq; rursum citra summum periculum è manibus

ii. ij.

dimitti, belua tam mordax.

Ventus neq; manere finit, neq;  
nauigare.

Prouerbiij huius vsus erit, vbi quis in earum reru angustias incidet, vt nec relinquere negotium sit integrum, nec absoluendi sit facultas. Mutuo sumpta metaphora à sæuissima ventorum tempestate, quum nautis & periculosissima est nauigatio, neq; tutum tamen an coram iacere.

Hæret in vado.

In vado hæret dicuntur, qui è re perplexa & impedita explicare se nequeunt. Metaphora à nauigio ducta, quod vado illis, frustra circumagitur. In eodem sensu accipiuntur, Hæret in luto, & Hæret in salebra.

In aqua hæret.

Eudem cum superiori sensum habet. Vsurpatur autem à M. Tullio libro officiorum tertio. Dicit ille quidem multa multis locis, sed aqua hæret, vt aiunt. Significat Epicurum parum secum in disputando constare, seq; ipsum inuoluere, dum ea, quæ dicit alibi, pugnant cum ijs quæ dixit alibi: atq; ita quasi fluctuante, neq; in solido consistere. Id quod euenire solet ijs qui quum aberrēt à vero, verborum fucis rem inuoluunt. Trāslatum apparet, vel à fluitantibus, qui vado destituti, huc, atq; illuc iactantur, quòq; magis se cōmouent, hoc



maiore periculo laborant. Aut certe ab oratorum elepsydra (de qua, mentio facta est in adagio, *Inaniter aquam consumis*) vt eum in aqua hærere dicamus, qui se destillata iam aqua, tamen è causa non potest expedire.

**Labyrinthus.**

Labyrinthum olim vocabant orationem, aut rem quampiam vehemèter impeditam, & inextricabilem. Veluti si quis philosophiæ studium Labyrinthum vocet: quòd semel ingressis nullus vnq̄ sit exitus. Aut voluptatis studium labyrinthum vocet, quòd aditus ad eam procliuis, exitus difficillimus. Sũptum à Dædali Labyrintho: de quo multa est lege re apud poëtas.

**In puteo constrictus.**

Quadrabit in eos, qui in angustias eas reducti sunt, vt extricare sese nullo modo possint. Simile illi, In puteo cū canibus pugnare.

**Ne Execessides quidem viam inuenerit.**

De negotio perplexo, atq; inexplicabili. Execessides quidam vulgo male audiit, quòd immodicus esset in peregrinationib<sup>9</sup>, vt omnes vias q̄ maxime cognitas haberet.

**Inter sacrum & saxum.**

Dici solitum in eos, qui perplexi, ad extremum periculum rediguntur. Sumptum apparet ex priscis foederis feriendi cerimonijs:

ii, liij.

ERASMI ADAGIORVM

in quibus Feialis porcum saxo feriebat, hæc interim pronuncians, Qui prior populus sædus rüpet, Iuppiter ita eū feriat, quemadmodum ego porcum hoc lapide serio.

Inter malleum & incudem.

Superiori non difficile refertur ab Origene Theologo, quadã in Hieremiã Homilia, his verbis. Iam quoddã est apud nationes ritü vulgi sermone prouerbium, vt de his, qui anxietatibus, & ingentibus malis premuntur dicant, Inter malleum sunt, & incudem.

Nunc meæ in arctum coguntur copię.

Rem eandẽ diuersa significat allegoria. Terentius in Andria, quum ait, Nũc meæ in arctum cogũtur copię. Metaphora sumpta ab exercitu, qui laborat, iniquo conclusus loco, & vndiq; obsidetur ab hostib9, vt difficile sit effugere.

CAECVTIENTIA.

Lolio victitant.  
Saturniæ lemæ.  
Cucurbitas lippis.  
Ollas lippire.  
Hypseæ cæcior.  
Talpa cæcior.  
Cæcior leberide.

Tirefia cæcior.  
Cimmeriæ tenebræ.  
Cæca speculatio.  
Cæcus cæco dux.  
Neq; cæcum ducem,  
neq; amentem con-  
sultorem.

Palpari in tenebris. Puluerem oculis of-  
 E duobus tria vides. fundere.

Explanatio.

Lolio vitiantur.

Anigmate prouerbiali lolio vitiantur dicuntur lusciosi, & cæcutientes, quos Græci (teste Nonio) Myopes vocant. Inde sumptum, quod fit lolio peculiare quoddam malum, ut oculis caliginem inducat: id quod indicat Ouidius libro fastorum primo. Et careant (inquit) lolijs oculos vitiantibus agri.

Saturniæ lemæ.

In cæcutientes ac stupidos dicitur, præsertim in eos, qui ætatis vitio desipiunt. Est enim lema humor in oculis concretus, unde lippitudo nascitur. Deriuatur autem ἀπὸ τοῦ λῶω, id est, video, & μή negatiua particula, quod eiusmodi lachrymæ crassæ oculos occupantes visui officiant. Porro Saturniæ lemæ dicuntur, quasi seniles ac veteres: propterea quod Saturnus podagrosus, ac senex à poetis fingitur, & temporum deus.

Cucurbitas lippis.

Ad superiorem adagij formam pertinet & istud. Aristophanes in nubibus, At nunc certe illas vides, nisi lippis cucurbitas. Verba sunt Socratis ostendentis nubes, hoc est, nisi planè nihil vides, & tantas habes in oculis lemas, quantæ sunt cucurbitæ.

ii. iiii.

## Ollas lippire.

Proterbialis hyperbole, proximæ simillima. Lucianus aduersus ineruditum, & multos libros coëmentem, Ollas (inquit) lippientes, lachrymas indicans ollis equales. Hoc adagium vtrūq; quoties ad animum refertur, fit elegantius & iucundius, veluti si quis hominem crassi iudicij, ac vehementer cæcutientis, ac turpiter errantis, dicat lippire, non lemis, sed ollis.

## Hypsea cæcior.

De ijs qui supramodum cæcutiunt: aut qui minime iudicāt. Horatius in sermonibus. Ne corporis optima Lyncei Contēplans oculis, Hypsea cæcior, illa Quæ mala sunt, spectes. Satis apparet parœmiam ab Hypsea muliere quapiã infami, notæq; cecitatis esse profectã.

## Talpa cæcior.

Torquetur & istud in supramodũ cæcutiētes, aut minime iudicantes. Nã iucundior fiet metaphora, si ad animũ transferatur. Plinius libro vndecimo scribit ex quadrupedum genere, talpæ visum deesse, oculorũ tamẽ inesse effigiem, si quis prætẽtam detrahat membranam. Atq; hinc ortum adagium.

## Cæcior leberide.

Eandem sentẽtiam cũ superioribus refert. Est autem leberis pellis illa cæca, quam serpẽtes, cicadæ, & siquod aliud animantis genus



exuunt, quoties sibi iuuentam renouant. In hac enim apparet effigies dúntaxat oculorū, ac mēbranula quædā tenuissīma, qua serpentum oculi prætegūtur. Sunt qui tradant hoc, quod notissimum est de serpentibus ac cicadīs, etiam piscibus quibusdam accidere.

Tiresia cæcior.

Adagium sumptū à notissīma fabula. Iuuenalis, Nec surdum, nec Tiresiam quēq; esse deorū. Tiresiam prouerbiali figura pro cæco dixit: quemadmodū Horatius pro paupere Irum. Intererit (inquit) multum diues ne loquatur, an Irus.

Cimmeriæ tenebræ.

Multam obscuritatem, aut animi caliginē, Cimmerias tenebras appellāt. Lactātius in institutionū diuinarum libro quarto, O cæcum pectus, o mētem Cimmerijs (vt aiunt) tenebris atriozem. Natū prouerbīū à Cimmeriæ regionis prodigiosa obscuritate: quam Homerus Odysseæ vndecīmo caliginosam facit, & ymbris ac nebulis rectam.

Cæca speculatio.

Vti conueniet, quoties aut cōniuent, quibus datum est negociū: aut ipsi nihil vident, quibus obseruādi partes sunt delegatæ. Trāslatum ab ijs, qui speculis sublimibus, diligenter circūspectant vndique, & quod viderint, alijs renunciant.

Cæcus cæco dux.

Adagium euāgelicis quoq; literis celebratum, quo vti licebit, quoties indoctus indoctum docere, inconsultus imprudenti consilium dare conabitur. Cui confine est Horatianum illud, Cæcus iter ostēdit. Horatius ad Scenam, Cæcus vti si monstrat iter, tamen aspice. Quod quidē Porphyriū, perinde dictum autumat, quasi dicas, Sus Mineruā.

Neq; cæcum ducem, neq; amentem consultorem.

Neq; cæcum ducem, neq; amentem cōsultorem, subaudiendum, adhibeas. Admonet prouerbiū, à doctis discendum esse, à cōsultis petendum consilium.

Palpari in tenebris.

Palpari in tenebris dicuntur, qui rem obscuris vestigant coniecturis. Aristophanes in Pace, Antehac negocia, velut in tenebris inanibus attentauimus: Nunc ad lucernā cuncta pensitabimus. Quod quidem & hodie dicitur de coniecturis incertis.

E duobus tria vides.

Locus puerbialis in eos, qui vel ætate, vel ebrietate, vel alio quopiā oculorū vitio cecutiunt. Huc pertinet illud Maronis, Et solē geminum, & duplices se ostendere Thebas.

Puluerem oculis offundere.

Puluerē ob oculos offundere dicitur, qui

de industria rem obscurat, & aduersario iudicium eripit. Tractum videtur à militia. sæpe enim fit, vt hostis data opera puluerem cieat in hostem. Hac arte dux quidã Romanus Troglodytas quosdam vicit, teste Plutarcho.

## P E R S P I C A C I T A S .

Lynceo perspicacior. Odorari, & similes à Serpentis oculus. liquot metaphoræ.

Enodatio.

Lynceo perspicacior.

Lyncei perspicacitas in prouerbiũ abijt. Inde sumptum, quòd quidã tradant Lynceũ primum reperisse fodinas metallorum, æris, argenti, auri. Et hinc vulgo natam fabulam, quòd ea quoq; videret, quæ sub terra forent. Testis Lycophronis interpres. Aristophanes in Pluto. Faxo vt videas vel Lynceo ipso acutius. Lucianus in Hermotimo. Tu vero nobis ipso etiã Lynceo perspicacior es: qui sicuti videtur, per pectus ipsum, quæ sunt intus cernis. Apollonius i Argonauticis scribit hunc Lynceũ, vsque adeò fuisse perspicacẽ, vt etiam terrã ipsam oculorũ acie penetraret, quæq; apud ieros fieret, peruideret. Plutarcho in comẽtario, quem scripsit aduersus Stoicos, testat famã fuisse de Lynceo, qd saxa quoq; & arbores, oculorũ acie penetraret.

## Serpentis oculus.

De his dici consuevit, qui acibus, & intē-  
tis oculis intuerentur. Ab animante sumpta  
metaphora.

Odorari, & similes aliquot me-  
taphoræ.

Trāslationes, quæ ducūtur à corporis sen-  
sibus, quoniam velut ad manū sunt, & quasi  
de proximo sumuntur, omnes fermè prouer-  
biales sunt, velut odorari, pro resciscere, & sa-  
gaciter deprehēsum, atq; animaduersum ha-  
bere. Odor pro suspitiōe, ac rumore. Cicero.  
Est nonnullus odor dictaturæ. Olfacere apud  
Terētiū in Adelphis, pro deprehēdere. Sub-  
olere apud eūdem, pro suspectum esse. Obo-  
lere, pro molestū esse, aut esse in suspitione.  
Vnde & nasuti dicuntur, & emunctæ naris, &  
mucosis naribus. Deniq; nasus ipse in prouer-  
bium abiit, pro iudicio. Horatius. Non quia  
nullus illis nasus erat, Et putēt ea, quæ displicē-  
cent. Huc pertinet & illa, Olet mendacium;  
Redolent Atticismū: Olent lucernam. Itidem  
gustum rei vocamus, veluti primā illam ex-  
perientiam, & degustationem, quasi q; specta-  
men. Cicero ad Atticū. Hominem degustasse.  
Vnde & saliuam primā dicimus, primum  
illum gustum, quem pueri tanq̄ à nutricibus  
imbibimus. Et palato satisfacere dicunt, quod  
animo placet. Et deuorare dicimur, quū rem



alioqui acerbam, veluti citra sensum perferis  
 mus: trāslatione sumpta ab ijs, qui amara ca  
 tapotia, tanq̄ inuito palato solent absorbere.  
 Vnde aliquoties apud Ciceronem & Fabiū,  
 Deuorare tædium, absorbere molestiam. Af  
 finia sunt illa, Sapiunt arrogantiam: Resipiūt  
 iuuenile quiddā. Cōcoquere item, p̄ vincere  
 molestiā. Nauseare, cum tædio audire. Euo  
 mere, dicere quod dolor nō sinebat reticere.  
 Et expuere miseriam ex animo. Consputare,  
 pro laceffere maledictis. Despuere, pro con  
 temnere. Stomachari, pro indignari. A visu  
 item multæ ducuntur metaphoræ: vt Oculis  
 ferre, pro vehemēter amare, curæq; habere.  
 In oculis esse, Obuersari oculis, pro eo, quod  
 est recordari, & in memoria, cogitationēque  
 esse. Respicere, curam agere, & rationem ha  
 bere. Prospicere, in posterū consulere. Despi  
 cere, fastidire. Susplicere, mirari. Conniuere,  
 pro data opera dissimulare. Cæcutire, Hallu  
 cinari, pro falli iudicio. Multaque id genus,  
 quæ Erasmo visa sunt omittenda.

## PERSPICUITAS.

Vel cæco appareat.	Tanq̄ in speculo, tanq̄
Et puero perspicuum	in tabula.
est.	Rudius, ac planius.
Notum lippis, ac ton	Electro lucidior.
foribus.	Velut è specula.

## Explicatio.

Vel cæco appareat.

Prouerbialis hyperbole frequens apud auctores, Vel cæco appareat, de re vehemèter perspicua. Eusebius aduersus Hieroclem. Quinetiam vel cæco perspicuū aiunt esse.

Et puero perspicuum est.

Dicitur de re supramodum perspicua, cōfessāq;. Vtitur hoc adagio & Plato quodam in loco: & Philostratus in vita Apollonij. Superiori finitimum.

Notum lippis, ac tonsoribus.

Quæ iam in ora vulgi abierunt, omnibus tonsoribus, ac lippis nota dicuntur: propterea quòd olim in Tonstrinarū cōfessionibus omnes rumores narrari cōsueuerūt. Apud Terentiū Antipho, in Tonstrina de puella cognoscit. Horatius, Omnibus & lippis notum, & tonsoribus esse: vbi prouerbiū explicuit, significans rem vulgo iactatam. Nam lippi in tonsorum officinis desident, expetētes remediū oculorum. De tonsorum garrulitate cōplura lectu digna recēset Plutarchus in libello, quē scripsit, de futili loquacitate.

Tanq̄ in speculo, tanq̄ in tabula.

Hyperbolę prouerbiales sunt, Tanq̄ in speculo, Tanq̄ in tabula, de re vehemèter euidentē, perspicuāque. Terentius in Adelphis. Deniq; inspicere tanq̄ in speculum vitas omniū

iubeo. Hinc ductū adagiū, quōd inter multā, quæ rerum referūt imagines, velut aqua, æs politū, gemmæ quædam, nihil æque perspicue reddit simulachra, vt vitrum plumbo sublitum. Nam vitrum quidem vt rarum, ac pellucidum maxime capax est imaginū, verum acceptas non perinde continet, ob pellucētiā, proinde sublitū plumbum, ob nigrorem aliquem, naturæq; densitatē, sistit impressam imaginē, neq; delabi sinit. Euanescunt enim simulachra non secus atq; candelæ lumē in sole, quoties excipiūtur in corpore nimīū tenui, perspicuōque: velut in aëre, pura aqua, crystallo, vitroque non obscuro corporis alicuius oppositu. Rursum in nimīum densis & obscuris non hærent, velut in silice, lignove. Iam ars picturæ à rudibus initijs profecta, eò subtilitatis excrenit, vt nō oculis hominum, sed etiam aibus imposuerit, effeceritq; vt veras res esse crederēt, quæ colorib<sup>9</sup> essent fucata. Hinc natū adagiū, Tāq̄ in tabula: de re valde euidentē, perspicuāq;.

Rudius ac planius.

Rudius ac planius, subaudiendū loquere. Sumptum apparet ex Aristophanis Ranis: vbi legitur illud carmen, Indoctius proloquitur, atq; clarius. Quo quidem carmine Bacchus Euripidis obscuritatē taxat: quī nescio quid parum dilucide proposuerat. Suidas &

ERASMI ADAGIORVM

interpres admonent subesse prouerbiū, quod ad hunc modum feratur, Apertius mihi loquere, atq; indoctius. Erasmus suspicatur in de natū, quod antiquitus illi sapientes (quos vocant) soleant mysteria sapientiæ quibusdā ænigmatū inuolucris obtegere, videlicet ne prophana turba, ac nondum philosophiæ sacris initiata posset intelligere.

Electro lucidior.

De re magnopere dilucida, aut de forma supra modū nitida, quod d' electrū miro quodā more pelluceat. Vnde Virgilius liquidum appellat. Lucian<sup>9</sup> in amoribus. Electro (vt aiūt) aut Sidonio vitro pellucetior. Sidoniū vitrū vocat, quod ea ciuitas artificio vitri fuerit olim nobilis.

Velut è specula.

Similitudo prouerbialis, quū quis rem velut oculis subiectā, totā vndiq; contēplatur. Siquidem ex alto commodissime spectantur ōnia, propterea quod nihil obftet, quod impediat prospectum.

OBSCVRITAS.

Per nebulā, per caliginem, per somnium.	Dauus sum, non Oedipus.
Delius natator.	Bæotica ænigmata.
Numeris Platoniciis obscurius.	In canis podicem inspicere.



Elucidatio.

Per nebulam, per caliginem,  
per somnium.

Quarum rerum ambiguum quandam, ac tenuem, penéq; euanidã memoriã, aut intelligentiã obtinemus, eas res per nebulam recordari, per somnium meminisse, per caliginem videre, prouerbio dicimur. Vt quæ puelli vidimus, senes quasi per somnium recordamur, vix tenuibus quibusdam simulachris rerũ inhaerentibus animo nostro, qualis est ferme vulgarium infomniorum memoria. Porro quod per mediã nebulã intuemur, eius cõfusam duntaxat imaginem, ac velut ymbra incertã aspiciamus. Cuiusmodi sunt, quæ per caliginem cernuntur in tenebris. Hinc ducta metaphora. De hoc prouerbio iam dictũ est sub titulo Indiligentiæ.

Delius natator.

Delius natator, olim vulgo dicebatur admodũ natandi peritus, quiq; nosset in summa natate aqua. Natũ adagium, aut certe factum illustrius ex Socratis apophthegmate. Quum enim huic Euripides librũ obtulisset Heracliti, cui cognomen additũ, Tenebroso, propter affectatã scriptorũ obscuritatẽ, rogaretq; cuiusmodi videretur, Respondisse fertur hoc pacto, Quæ quidẽ intellexi præclara: arbitror autem & ea, quæ non intellexi. Quãq;

kk. j.

natatore Delio op<sup>o</sup>, vt nequis in eo prefoce-  
tur. Hæc Socrates, alludens simul & ad pro-  
uerbium, & ad Heracliti sensus nimium abstru-  
sos, ac profundos: vt nisi natator insignite pe-  
ritus contigisset, esse periculū, ne lector in eo  
libro suffocaretur, mergereturq;.

Numeris Platonice obscurus.

Proverbialis hyperbole videtur, quā usur-  
pat M. Tullius in epistolis ad Atticum libro  
septimo, Ænigma officiorum ex Velia, planè  
nō intellexi: est enim numero Platonis obscu-  
rus. Id ideò dictum, quòd Plato numeris Py-  
thagoricis obscurat suā Philosophiā: ac velu-  
ti nebulas quasdam offundit, præcipue in Tri-  
mæo. Nā Pythagoras omnem ferè philoso-  
phię rationem ad numeros traxit. De quibus  
permulta Macrobius in commentarijs, quos  
edidit in Somnium Scipionis.

Dauus sum, non Oedipus.

Oedipi ingenium scite proponendis, simul  
& dissoluendis ænigmatum scrypis nobilitas  
tū est, propter dissoluta sphingis problema-  
ta, adeò vt in proverbium abierit eius nomi-  
nis appellatio. Velut apud Terētium in An-  
dria, Seruus dissimulans intelligere, quod he-  
rus dixerat, Dauus (inquit) sū, non Oedipus.  
Id quod cōmutato nomine potest ad quemli-  
bet accōmodari, Paulus sū, nō Oedibus: An-  
tonius sum, nō Oedipus. Quin ipsa per se sū

gura prouerbialis est, potestq; ad eundem modum fingi, ex quavis vel persona, vel re vulgo nobilitata. vt, Q ui possim hæc omnia meminisse? Petrus sum, non Lucullus. Q ui possim tantis sufficere laboribus? Nicolaus sum, non Hercules. Q ui potero rem tam duram persuadere? Ricardus sum, non Cicero. Ergo poterit adagiū torqueri in eos, qui de industria loquuntur obscurius, & ænigmaticos. Aut in hos, qui vel ob imperitiam, vel superstitionem incognitarum vocum affectationem, stilum obscurant, ac vate magis egent, quam lectore.

Bœotica ænigmata.

Bœotica ænigmata dicebantur, oblique, atque obscure dicta, quæque perdifficile percipi possent. Sumptum à fabula Sphingis monstri Thebani. Ea proposuit Oedipo ænigma huiusmodi. Q uadrupes, bipes, ac rursus tripes. Id Oedipus interpretatus est, hominem esse, qui puer manibus quoque, pedum vice nititur: deinde confirmato, gradu duobus pedibus se sustinet, donec ætas decrepita baculum, ceterum tertium pedem addat.

In canis podicem inspicere.

Aristophanes. Canis quidem hunc inspicere inssit podicem. Interpres admonet vulgo disci solere, in cæcutientes: adscribit & hunc Trochaicum, In canis despiciere podicem, triumque vulpium.

kk.ij.

## S V R D I T A S.

Surdior Toronæi portu. Surdior turdo.

Enarratio.

Surdior Toronæi portu.

Aliunt portum esse quendam Toronæ Thraciæ ciuitatis, qui longis, & angustis duobus excursibus porrigitur in mare, ita vt in ipso portus secessu, nullus fluctuum fragor audiatur. Vnde prouerbiū in eos, qui nō audiūt.

Surdior turdo.

Concinne dicetur in eos, qui perpetuo blaterantes, ipsi nō auscultant, quid vicissim ab alijs dicatur. Sumptum à turdo, aue pecularis surditatis, quum sit loquacissima.

## A T T E N T I O E T C O N T R A.

Purgatis auribus.

Consulendum, &amp; con-

Mens peregrina.

silijs parendum.

Præsens abest.

Cæram auribus obdis.

Auribus arrectis.

Expositio.

Purgatis auribus.

Purgatis auribus, pro attendis & vacuis, prouerbiū sapit. Plautus, Perpurgatis ambo damus tibi operam auribus. Horatius in Epistolis. Est mihi purgatam crebro, qui perfonet aurē. Persius quinta satyra. Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto. Nā sordes in auribus collectæ, auditum hebetant: exemptæ,



reddunt acriorem.

Mens peregrina.

Mentem peregrinam habere dicuntur, qui sunt cogitabundi, nec satis ob id attentum ad ea, quæ coram aguntur. Aristophanes in equitibus, *Vsq; ad loquentem inhias, at ipsa mens tua, Præsens, peregre est: quod qui faciunt, animo peregrinari dicuntur.* Inde animorum peregrinationes dictæ.

Præsens abest.

Præsens abest, siue peregrinatur, In eum dicendum, qui non animaduertit ea, quæ dicuntur: cogitatione alijs in rebus occupata. Unde quos iubemus esse attentos, ijs sic loqui solemus, *Hic estote, & Hoc agite, & Adeste animis.* Hodièq; vulgo dicunt, cogitatione peregrinantem, domi non esse, sed foris. Terentius in Eunuchis. Cum isto milite præsens, absens ut sies, id est, corpore quidem præsens, ceterum animo semota, Contra, qui amant, absentes præsentem sunt: veluti de Didone Virgilius in quarto, *Absens absentem auditq; videtq; Auribus arrectis.*

Quadrat in illos, qui sitienter, atq; auide auscultant, quæ dicuntur: aut expectant quid dicendum sit. Ducta metaphora ab animalibus, quorum plerisq; mos est, siquãdo quid eminens audierint, aures surrigere. Plinius tradit hoc esse peculiare cervis, ut quum aures

kk iij.

subreuerint, nihil sit illis auritius. Rursum ubi demiserint, nihil surdus.

Consulendum, & consilijs parendū.

Quū admonebimus quempiā, ut vicissim & rectum consilium alijs det, & ab alijs accipiat: aut ut & secū rem diligenter perpendat, & alienam sententiā auribus attentis audiat, non intempestiuum erit ex Iliados secundo illud usurpare. Ipse age rex bene cōsulito, & pa-  
reto vicissim.

Ceram auribus obdis.

Prouerbiū in eos cōpetit, qui recusant audire, vel equa, vel iniqua. Natū ab Vlyssis cera, qua suas, ac fociorū aures obturat apud Homerum, aduersus Sirenarum cantilenas.

#### CARPENTIS SEIPSVM.

Domesticū Thesaurū calumniaris.	Ædib <sup>9</sup> in nostris quæ praua, aut recta ge- runtur.
Propria vineta cæde- re	In se descendere.
Ab ipso lare.	

Explicatio.

Domesticum thesaurū calūniaris.

Domesticum thesaurum calumniaris, siue traductis, id est, tua ipsius carpis, lacerasq; Ari-  
stides rhetor in Pericle, Domesticum thesau-  
rum insimulabimus, si quidem istis obtrecta-  
bimus. Nullus autem sanæ mentis, quæ domi

recondita habet, traducit, ac reprehendit: sed  
suis quisq; fauet, alienis inuidet.

Propria vineta cædere.

Dicetur in alienorum operum cēsores, qui  
quidē suos errores in primis castigare debēt.  
Horatius in epistolis. Multa quidem nobis fa-  
cimur mala multa poëtæ, Vt vineta egomet  
cædam mea. Trāslatum videri potest, vel ab  
amputantibus vineā: vel ab ijs, qui per iniu-  
riam nouellas vites lædunt.

Ab ipso lare.

A lare incipe, hoc est, à domesticis, ac fami-  
liaribus initium sumito. Rectè dicetur in ma-  
gistratus, & alienæ vitæ censores: quorum of-  
fictum est, vt in primis suos, suorumq; vitam  
corrigant. Ductū à vetusto ritu sacrorum, in  
quibus primitiæ laribus immolabātur. Aristo-  
critus (citante interprete) fabellam huiusmo-  
di refert. Quum deuictis Titanibus Iuppiter  
imperio potitus esset, Vestæ (quem & larem  
vocamus) permisit optionē, vt quicquid vel-  
let, eligeret è regni partibus. Illa primum vir-  
ginitatem poposcit: deinde sacrorum omniū  
(quæ Dijs immolarent homines) primitias.  
Inde abijisse in consuetudinem, vt in omni sa-  
cro, primæ partes lari tribuerentur.

Ædibus in nostris quæ praua, aut  
recta gerantur.

Sēsus est versus Homericī: quo monemur,  
kk. liij.

vt ea potissimum, quæ ad nos ipsos pertinet,  
curemus: externa, atq; aliena ne inquireamus.  
Quo vitio festiuiter Marcialis Orum quendâ  
notat: qui malorum alienorum erat obserua-  
tor curiosissimus, & taxator acerrimus, quum  
ipse vxorem haberet adulteram, filiam viro  
maturam, deberetq; etiânû pro togula. Dio-  
genes Cynicus, cui carmen hoc Homericum  
semper in ore consueuit esse, Grammaticos ni-  
mis ridicule facere aiebat, qui tâto studio Va-  
lyllis mala inquirerent, sua ignorarent.

In se descendere.

In se descendere, est sua ipsius vitia quem-  
piam inspicere. Translatum vel à sodinis, vel  
à cellis, in quas qui descendunt, quid illic re-  
positum, recôditumq; sit, nosse possunt. Allu-  
sum est autê ad specus illos, & sinus humani  
cordis: quibus Momus fenestrâ adhiberi vo-  
luit, Persius. Vt nemo in sese tentat descêdere  
nemo: Sed præcedêti spectatur mâtica tergo.

## NECESSITAS.

Diomedea necessitas.	Transuersum agere.
Ingês telû necessitas.	Vocatus, atq; non vo-
Feras, non culpes, qd	catus deus aderit.
vitari non potest.	Ne dii quidem à mor-
Quod factum est, in-	te liberant.
fectum fieri non po-	Mors omnibus com-
test.	munis.



Omnia esculenta ob-	cus.
sessis.	Nemo cogendus offi-
Lepori esurienti etiã	cij causa.
placentæ fici.	Officium ne colloca-
Viro esurienti necesse	ris in inuitum.
est furari.	Ineuitabile fatum.
Volentem bouem du-	Fatum immutabile.
cito.	Fatis adactus.
Nemo cogendus ami-	Fatis imputandum.
Explanatio.	

Diomedea necessitas.

Dici solet de ijs, qui vi adacti, non sponte, quid faciunt. Quidam originem adagij referunt ad Thracium illum Diomedem, qui solitus fertur, hospites suos compellere, vt cū filiabus suis deformissimis rē haberent. Quo facto eosdem interimebat. Vnde fabula spar- sit, Diomedis equas homines pabuli vice esse- tare solitas, videlicet filias à viris agitas equas appellans. Aliam refert originem Eras- mus, quam omittere visum est.

Ingens telum necessitas.

De re ineuitabili dici. Liuius primæ Decadis libro quarto. Necessitate (quæ ultimū, ac maximū telum est) superiores estis. Est ali- quoties apud eundē, Huic rei aliud inuenie- tur telum. Et eam rem hoc telo maxime pa- rabant, vt pro cōsilio, ratione q; ac via geren- di negocij capi videat. Fortassis sumpta me-

taphora à venātibus, qui telo appetūt: quod capere volunt. Vnde & certa dicentur tela, consilia quæ nunq̄ fallunt.

Feras, non culpes, quod vitari non potest.

Publij Mimi salubris sentētia, qua mōnemur, vt mala fatalia, quæ nulla ratione possint neq; declinari, neq; propelli, saltem animi æquitate leniantur. Idem, sed verbis alijs docet Euripides i Phœnissis. Tolerāda (inquit) fata numinū. Idem in eiusdem Tragœdiæ calce. Mortalē enim necesse est tolerare fata numinum. Homerus Odyssææ libro nono. Nul-li fas vitare malum ex Ioue rege profectum. Huc pertinet Varronis dictum, Vxoris vides licet vitium, aut tollendum esse, aut ferendū. Item adagiū illud, Ne contra stimulū calces.

Quod factū est, infectū fieri nō potest.

Sentētia hæc vulgarissima extat apud Terentii in Phormione: à qua nō abludit Phœcyclidis carmen. Nēve (inquit) malis iam præteritis animū excruciaris. Quod semel est factum, fieri infectum haud queat vnq̄.

Transuersum agere.

Transuersum me agit necessitas, dixit Mimus ille apud Aulum Gellium, id est, vi alio, q̄ instituerā abripit. A nauī ducta metaphora, quæ ventis aduersis, à recto cursu trāuersum agitur.

Vocatus, atque non vocatus  
deus aderit.

Oraculum olim Lacedæmonijs redditum  
abiit in prouerbiū, Istud nempe, vocatus.  
& inuocatus deus aderit. Vfus erit, vbi quid  
significabimus, etiā non accersitū, neq; cura-  
tum, tamen euenturū, velimus nolimus: pu-  
ta, senectam. mortem, malefactorum poenā.

Ne dii quidem à morte liberant.

Nemo tam charus superis, vt illorum fa-  
uore mortem euitarit. Huic sententiæ suffra-  
gabitur Homericū illud ex Odyssææ Γ. At ve-  
ro mortem cōmuniter omnibus æquam A di-  
lecto homine, neq; dii depellere possūt. Quē  
funesta dies fati iamiam vrget acerbi.

Mors omnibus cōmunis.

Qui dicet omnibus ex æquo moriendū,  
nec vllis vīribus arceri fati necessitatē, cita-  
bit Homericum illud, Nec vis Herculea fatū  
euitauit acerbum.

Omnia esculenta obsessis.

Cinctis ab hoste vesca sunt & quelibet. Se-  
narius est prouerbialis significans, quū vrget  
necessitas, nihil nos non facere: & vehemen-  
ter famelicis, nullum non suauem esse cibū.  
Natiū ab vrbiū obsidionibus: in quib<sup>9</sup> nōnūq;  
& canes & feles, herbarum radices, nonnunq;  
humana excrementa, inopia cibi denorātur.

Lēpori esurienti etiā placentiæ fici,

Suidas tradit dictum de ijs, qui compulsi necessitate, res etiã preciosissimas absumunt. Fortassis natũ ab huiusmodi quapiam fabula, qualẽ de se narrat Apuleius: quod adactus fame, placentas primũ lambere, deinde etiã comesse didicerit.

Viro esurienti necesse est furari.

Suidas prouerbij nomine refert, quod cõgruat in eos, qui extrema adacti necessitate, quid faciunt. Veluti si quis cõstiteatur se mentitum, dicat, Quid facerem, aut mentiẽdum erat, aut in summã veniẽdũ infamiam. Aut si quis auidus glorię, aliena p̄ suis edat, quũ ipse de suo nihil possit egregium edere.

Volentem bouem ducito.

Volentem bouem ducito, id est, vttere illorũ opera, qui ex animo faciunt. Stultitia est, venatũ ducere inuitas canes, vt ait Plautus.

Nemo cogendus amicus.

Quũ innues aliquem non esse ad negociũ accersẽdũ, pręter animi sententiã: aut non esse collocandũ officiũ in eum, qui nec agnoscat, nec accipiat libẽter, accommodũ fuerit illud, quod Iliados 1, de Phœnice dixit Achilles. Si volet (inquit) inuitũ hunc haudquaquã abduxero quoquã.

Nemo cogendus officij causa.

Nullus hospes retinendus aduersum animi sententiã, & inuitus. Nemo cogendus,



ut cuiusq; utatur beneficio, si nolit. Ad hanc sententiam accommodabitur illud ex Odyssææ  
 8, Si maneas sponte inuitum nemo retinebit.

Officium ne collocaris in inuitum.

Instar iniuriæ fuerit, si quis officium collocet in inuitum. In eandem sententiã est Homericum illud ex Odyssææ 9. Iuxta peccat uterq; vel is cui extruditur hospes Inuitus: vel qui remoratur abire volentẽ. Hospes donec adesse volet tractare benigne Conuenit: emittendus, ubi discedere quæret.

Ineuitabile fatum.

Quod homini fati decretum est, id eueniet. In hanc sententiam est Homeri illud ex Odyssææ 11. Post illic accidet illi: Quod fatum, parcaq; graues in stamine nerunt Nascentium quum matris promergeret aluo. Hunc tamen de fati locum oportebit ioco duntaxat adhibere. Veluti si quis filium longius aliquo studij causa emandans, negaret sibi curæ futurum, quid illic agat: sed id Deo se, fortunæq; committere.

Fatum immutabile.

Diuina decreta non commutantur: humane leges pro tempore variantur: quemadmodum & mores, & voluntates. Huic sententiæ suffragabitur illud ex Odyssææ 17. Non etenim diuum mens vertitur astricolarum.

Fatis adactus.

In eum, qui non sponte, sed casu veluti q̄  
fatis impellētibus, in aliquod vitæ genus in-  
cidit, conueniet illud ex Odysseæ E. Ast hunc  
huc ventūsq; ferens, atq; appulit vnda.

Fatis imputandum.

Quū hominē quempiam culpa liberabīs  
mus: eamq; vel in fatū, vel in fortunam reiſ  
ciemus, vsurpare licebit, quod Iliados libro  
tertio dicit Priamus ad Helenā his verbis.  
Nil tibi ego imputo: verū ipsis magis iputo  
diuis.

AB INITIO AD FINE M.

A capite vsq; ad cal-	totius.
cem.	Caput.
Prora & puppis.	Exordiri telam.
Ad calcē peruenire.	Scindere glaciem.
A linea incipere.	Ea tela texitur.
A carceribus.	A fronte atque à ter-
Ab ouo vsq; ad mala.	go.
Ab incunabulis. A tes-	A cælo ad terram.
neris vnguiculis.	Ne inter apia quidem
Principium dimidiū	sunt.

Explanatio.

A capite vsq; ad calcem.

Quū rem totā significamus, à capite vsq;  
ad calcem dicimus. Cuius adagijs multiplex  
esse potest vsus. Aut enim ad corpus refere-  
tur: aut ad animum: aut ad rem. Ad corpus,  
Theocritus. Me à capite vsq; pedes lustrauit

lumine totū. Ad rem, Aristophanes in Pluto.  
 Audi ergo, quādo totū ego negociū A pedibus vsq; tibi ad caput percēseo. Ad animum hoc pacto poterit trāfferri. Ego tibi mores & ingenium illius, breuiter, hominem quantus est, à summo (vt aiunt) capillo ad imum vsq; calcaneū depingam. Quinetiā diuiditur adagium, quū caput negocij vocamus eum, qui sit præcipuus negocij author, & quasi fons dicitur. Et ad calcem venire, pro ad finē venire. In calce operis. In extremo literarū calce. Ab ipso exordiri capite, id est, ab ipso principio. A calce ad caput recurrere, pro eo, quod est, à fine ad principium recurrere. Atq; id genus aliæ loquendi formulæ, quæ passim apud authores obuix sunt. Plutarchus aduersus Stoicos. Ab ingressu & initio vsq; ad Coronidē.  
 Prora & puppis.

Prora & puppi, summā cōslij nostri significamus. Propterea q; à prora & puppi, tanq; à capite & calce, pendeat tota nauis. Apud Græcos legitur, A prora pariter, atq; è puppi pereunt, hoc est, ad internecionē. Cōsimili figura dictū est in Apocalypsi, Ego sum alpha & ω, id est, ego sum omnium rerum summa. Omnia profiscunt à me velut à fonte: & ad eūdē omnia referūtur, tanq; ad felicitatis portum. Nam Alpha Græcis prima litéra est: ω magnum, postrema.

Ad calcem peruenire.

Ad calcē peruenire accipitur p̄ eo, quod est, ad metā, finēmq; peruenire. De quo iam in superiori prouerbio, A capite ad calcem facta est mentio.

A linea incipere.

A linea incipere dicuntur, qui ab ipso rei exordio sumunt initiū. Sumpta est metaphora ab ijs, qui cursu certant in stadijs. Nam ijs linea quaedā ducitur, ad quam ex equo stent donec currendi signum accipiant.

A carceribus.

Eandem habet sententiā cum eo, quod proxime relatū est. Aristophanes in Vespis, Atqui protinus ab ipsis carceribus de principatu demonstrabo: id est, confestim à principio. Interpres ostendit, metaphoram mutuo sumptā à stadijs (vt modo dictū est) in quibus carceres, erant repagula quaedam, vnde cursus initium erat: iuxta quā, linea tendebatur, cui insiscebant cursuri. Vnde frequentes illæ apud Latinos formulæ, A carceribus ad metam: à meta ad carceres.

Ab ouo vsq; ad mala.

Ab ouo vsq; ad mala, prouerbiali figura dixit Horatius in sermonib<sup>9</sup>, satyra tertia, pro eo, quod est, ab initio cōiuij vsq; ad finem. Hinc dictum, quod antiquitus cenā ab ouis auspiciabatur, malis finiebāt. Erit venustius,



si lōgius trahatur, ab ouo vsq; ad mala, id est, toto colloquio, tota nauigatiōe, aut toto ope.

Ab incunabulis. A teneris vnguiculis.

Ab incunabulis, id est, à primis vitæ rudimentis. M. Tullius, Oratoris incunabula vocat, primam illam à fundamētis institutionē. Similiter & crepundia, pro prima ætate accipiuntur. Dicimus itidem, A teneris vnguiculis, pro eo, quod est, à prima pueritia. Trāslatū à catulis, quorū vnguiculi nōdū duruerūt.

Principium, dimidium totius.

Hoc adagio significatum est, maximam difficultatis partem in aggrediundo negotio sitam esse. Horatius in epistolis. Dimidiū facti, qui cœpit, habet. Ausonius, Incipe: dimidium facti est cœpisse: supersit Dimidium: rursum hoc incipe, & efficies. Plutarchus ex Sophocle hoc quoq; carmen citat. Negocij cuiusq; si bene cœperis, Et finem item bonum fore, probabile est.

Caput.

Præcipua negocij pars, aut rei author, pro uerbali figura, negocij, aut rei caput vocatur. Plato de legibus libro primo. Caput eruditionis censemus rectam educationem. Plautus in Asinaria, Ego caput huic argento fui hodie reperiundo &c.

Exordiri telam.

Platæq; metaphore, quæ ducuntur à textris  
ll. j.

na, prouerbij faciem præ se ferunt. Rē enim, quam arte, consilioq; instituimus, exordiri dicimur. Et reteximus, quæ denuo refingimus. Item illud ad Herennium, Ego te iam detexam ab exordio, id est ab initio vitæ explicabo qualis sis.

Scindere glaciem.

Scindere glaciem, est aperire viam, & in incipiundo negotio priorem esse. Translatum à nautis, quorum vnus aliquis præmittitur, qui flumine concreto, glaciem præumpat, reliquisq; viam aperiat.

Ea tela textitur.

Ea tela textitur, id est, eiusmodi negociū in manibus est, & res inceptantur tales, prouerbialiter dicitur. Translatio sumpta à textoris bus telam instituentibus. Plautus dixit, exordiri telam, pro incipere negociū: de quo paulo ante dictum est.

A fronte atq; à tergo.

Prouerbij vice receptum est, pro eo, quod est, diligēter inspicere: & præterita cum presentibus, ac futuris conferre. Sūptum ex Iliados libro primo: vbi Achilles Agamemnonis incogitantiam accusans ait, Nec nouit simul à tergo, atq; à fronte videre.

A cælo ad terram.

Prouerbialis figura, perinde valēs, quasi dicas: quacunq; de re, ab extremo initio, vsq; ad

supremū finem. Sic apud Plautum licitatori roganti, num ex puella quædā scitari liceret: venditor, quantum vellet percontari permitte-  
 tens, A cælo (inquit) ad terram, quod lubet.

Ne inter apia quidem sunt.

Pro eo accipitur, quod est, ne ingressū, quidem, aut initium attigerūt. Itaq; perinde dictum videtur, Ne inter apia quidem, aut, Ne in apio quidem, quasi dicas, ne in primis quidem rudimentis. Metaphora sumpta ab ijs, qui hortos ingrediūtur. Nam antiquitus extremus ille hortorum ambitus, apio conserebatur: quem qui nōdum præterissent, velut in horti limine adhuc esse videbantur.

SIMILITVDINIS: ET  
 CONGRVENTIAE.

Eiusdem farinae.	Semper graculus assidet graculo.
De grege illo est.	
Nō eras in hoc albo.	Cicada cicadę chara,
Patris est filius.	formica formicę.
Aphyarum honos.	Malus cū malo collis-
Terra amat imbrem.	quescit voluptate.
Vno tenore.	Æqualem tibi vxorē
Bonū ad bonorū cōui-	quære.
uia vltro accedunt.	Non tam ouum ouo
Æqualis æqualē de-	simile, Non tam lac
lectat.	lacti simile &c.
Simile gaudet simili.	Similior ficu.
	ll. ij.

Furēq; fur cognoscit:	nita.
& lupum lupus.	Vulpinari cum vulpe.
Ouo proinat eodē.	Cretiza cū Cretēsi.
Similes habent labra	Clauū clauo pellere.
lactucas.	Malo nodo, mal <sup>9</sup> que
Catulæ dominas imi-	rendus cuneus.
tantes.	Mali thrīpes, mali is
Dignum patella oper-	pes.
culum.	Balbus balbū rectius
Surdaſter cum ſurdaſ-	intelligit.
tro litigabat.	Eodem in ludo docti
Calcus calcam ducit.	Eiuſdē muſæ æmul <sup>9</sup> .
Omnia idem puluis.	Mars haud concutit
Conuenerūt Attabas	ſuaipſius arma.
& Numenius.	Stult <sup>9</sup> ſtulta loquitur.
Bith <sup>9</sup> cōtra Bacchiū.	Inaniū inania cōſilia.
Eūdem calceū omni	Mons cum monte nō
pedi inducere.	miſcetur.
Cretenſis Cretenſem.	Mores hominum reſ-
Cretēſis cum Ægiſ	gioni reſpondent.

Enarratio.

Eiuſdem farinae.

Eiuſdē farinae dicuntur, inter quos eſt indiſ-  
creta ſimilitudo. Quod enim aqua ad aquā,  
idem ad farinam farina. Huc pertinent & illa.  
Eadem cera:&, Idem puluis.

De grege illo eſt.

De grege illo eſſe dicitur, q ſit eiūſdē factio-  
nis, aut cōtubernij. Terētius in Adelphis. At



hic Hercule de grege illo est. Idem in Eunuchis. Ut me in vestrum gregem recipiatis.

Non eras in hoc albo.

Nō eras in hoc albo, hoc est, Nō eras i hoc numero. Translatum ab ablata tabula: in qua quondam scribebantur nomina iudicum.

Patris est filius.

Ita loquuntur, ubi quis mores imitatur patris. Et in genere, eius filiū vocamus quēlibet, quem moribus expresserit: quod liberi ferè parentes referre soleant.

Aphyarum honos.

Dicitur quoties humilibus exiguus quispiā honos contingit. Nam Aphyā pisciculus est vilis, cui coquendo nihil adhibetur præter oleum, quo frigitur. Vnde iactatū illud, Aphyę honos oleum.

Terra amat imbrem.

Imbrem quidem tellus amat. Hemistichium est, quo vtuntur, ubi quis desiderat ea, quę sibi nouit esse accommoda, conducibiliąq;. Citatur ab Aristotele: qui ostendit, nō solum similitudinem conciliatricem esse amicitię, velut inter fures, graculos, & lupos: verum etiā dissimilitudinem nonnunq̄ beneuolentię causam existere, contrā similitudinem odi. Nam terra quū suapte natura sit sicca, amat imbrē, & figulus odit figulum. Indoctus amat literatum, mulier virum.

Il. iij.

Vno tenore.

Tenorem rei progressum vocāt. Vnde, quæ sui similia sunt, sibiq; veluti quadã succedunt ferie, horũ eundẽ esse tenorem dicimus. Vnde oratio æquabilis, & nulla varietate reficiẽs auditorũ aures, dicitur vno tenore composita.

Boni ad bonorum conuiuia vltro  
accedunt.

Vsurpatur, vbi vir bonus, fiducia virtutis & amicitie (quæ generalis inter omnes probos intercedit) ad sui similem accedit, nõ expectatis vulgaribus istis inuitatiuiculis. Quisdam natũ putant ab Hercule: qui quum Ceti Traehenij domum innocatus inuiseret, prius dixit hunc versiculum, Sponte bonis mos est conuiuia adire bonorum.

Æqualis æqualem delectat.

Signat similitudinem matrem esse benevolentie, consuetudinisq; & familiaritatis conciliatricem. Vnde videmus iuuenes inter se libenter conuenire: senes cum senibus congregari: doctos doctorum conuentu capi. Improbos congregari cum improbis: bibones cum bibonibus. Nautas amare nautas. Diuitibus esse necessitudinem cum diuitibus: atq; in vniuersum similia similibus gaudere. In quam sententiam multa veterum prouerbia extant, quorum nonnulla modo adscribentur.

Simile gaudet simili.

Aristoteles libro moralium octauo sic ait. Simile appetit simile. Et libro nono. Simile si mihi amicū. Vnde est & illud, Similitudo mater amoris. Quare ubi absoluta similitudo, ibi vehementissimus amor: id quod indicat Narcissi fabula. In huius prouerbij sententiā sunt, citati à Plutarcho senarij, in cōmentario, cui titulus, quo pacto sit amicus ab adulatore dignoscendus: quos sic vertit Erasmus. Seni senilis lingua iucundissima est: Puerōq; puer, & mulier apta forminae. Aegrotus itidē aegrotō: & in malis situs Exercito malis placet, atq; cōgruit. In eandē quoq; sententiam est & Inuenialis illud, Magna inter molles concordia.

Semper graculus affidet graculo.

Adsidit vsq; graculus apud graculum. Senarius est prouerbialis in eādē cū superiori adagio sententiam. Porro graculorum conuētus olim notos fuisse, testatur Varro libro de re rustica tertio. Vnde Plutarchus in libro de Polyphilia. Nō armentarium est (inquit) neq; graculeum.

Cicada cicadae chara: formica formice.

In hanc quoq; cum superioribus sententiam est Theocriti Idyllio nono carmen huiusmodi. Formicae grata est formica, cicada cicadae: Accipiter placet accipitri.

Malus cum malo colliquescit voluptate.

ll. iiii,

Etenim improbo vir est voluptati improbus. Senarius est, qui refertur ab Aristotele inter similitudinis adagia, libro moralium Eudemiorum septimo. Malus namque malo iucundus est, ob vitiorum commercium & societatem.

Æqualem tibi vxorem quære.

Adagium admonet, ne quis cupiditate, aut ambitione allectus, se potentiorẽ ducat vxorem. Nã eiusmodi fermè connubia inauspicato cedunt. Plutarchus in libello de liberis educandis, parentes admonet, vti eiusmodi liberis suis vxores despondeant, quæ non sint multo vel ditiores, vel potentiores. Prudenter enim dici prouerbio, Tuę sortis vxorẽ ducito. Neque vero solum id spectari conueniet, vti par sit vxor generis claritate, aut modo rei familiaris, verum vt ætas non admodum discrepet, vt forma, vt vitæ genus. Potest & longius trahi adagium, nimirum ad negocium suscipiendum, cui sis conficiendo par, & idoneus: ad vitæ genus aptum: & ad amicum tuis accommodum moribus.

Non tam ouum ouo simile, Nõ tam lac lacti simile, Non tã aqua similis aquæ, Quæ apes apum similes.

Extant ista & apud authores inter similitudinis adagia, eaq; de rebus indiscrete similitudinis. Cicero Academicarum quæstionũ libro secundo. Vides ne vt in prouerbio sit, ouorũ



inter se similitudo &c. Plautus in Amphitruone. Neque lacte lacti magis est simile, quàm ille ego similis est mei. Dicitur à Sofia de Mercurio, qui huius assumpserat figuram. Idem in Menæchmis. Nec aqua aquæ, nec lacte lacti, crede mihi, vix similius, quàm hic tui est, tu quoque huius. Cicero in Academicis quæstionibus, Ut similia sunt, & ova ouorum, & apes apum.

Similior ficu.

Per iocum dicebatur, de vehementer inter se similibus. Ducta metaphora à ficorū inter ipsas similitudine. Confine superioribus.

Furēmq; fur cognoscit; & lupum  
lupus.

Aristoteles septimo libro moralium Eudemiorum, hunc quoque senariū citat inter adagia similitudinis. Amant enim vulgo se mutuo, qui similibus vitijs laborant, præcipue fures. Et lupi latronū instar, collecti grassantur. Quo prognatus eodem.

In eos torquetur, qui iisdem nati sunt parentibus: aut in eos, qui ab eodem eruditi sunt præceptore: aut in eos, qui sunt ita confimilibus ingenijs, ut eodem ovo nati videri possint. Ductum à fabula Lædæ, quæ grauida ex Ioue in cygnū cōuerso, ouum peperit, unde gemini prognati Castor & Pollux.

Similes habent labra lactucas.

Vsurpatur, ubi similia similibus cōtingūt,

veluti præceptori parū docto, discipulus indo-  
docilis: improbo populo, magistratus impro-  
bus, contumelioso patrono, contumeliosus  
actor: vxori morosæ, maritus morosus: bre-  
uiter quoties, mala malis, digna dignis eue-  
niunt. Natum adagium ab asino carduos pas-  
cente. Est autem lactuca herba mollis, ac ter-  
nera, quæ tamen non admodum sit dissimilis  
carduo, præsertim syluestri. Ita q; quemadmo-  
dum carduus spinosus est, atq; maiorē in mo-  
dum asperis folijs & caule, deniq; ipso etiam  
flore: itidem & asini labris nihil durius, ac pe-  
tricosius, vt illis non alia lactuca magis apta  
videatur.

*Catulæ dominas imitantes.*

Adagij vsus solet esse, vbi serui dominorū  
ferocitatem repræsentāt: aut discipuli præcep-  
toris respiciunt arrogantiam: aut ministri prin-  
cipum fastiū: Breuiter quoties is, qui subsunt,  
eorum exprimunt mores, sub quorum impe-  
rio degunt. Videre autem est Melitæas opu-  
lentarum mulierū, delicias, fastum, lasciuia,  
totamq; fermē morum imaginem reddere.

*Dignum patella operculum.*

Simillimū est illi, Similes habent labra la-  
ctucas: cuius vsus erit, quoties qui præsumt,  
illorū accōmodantur moribus, qui subsunt.

*Surdaster cum surdastro litigabat.*

*Iudex autē erat ytroq; surdior.*

Dicitur, quoties res agitur iter vndequaq;  
ridiculos, ac stultos.

Cascus Cascam ducit.

Quoties similis similem delectat. Vt ve-  
tulus vetulam: deformis deformen: barbarus  
barbarum: improbus improbum. Nam anti-  
quitas Cascū dicebatur, quod nos vetus ap-  
pellamus. Videtur autem prouerbiū esse io-  
cus in anū vetulo nuptā, allusūmq; ad vocem  
Casci, perinde quasi deducat à verbo caneo.

Omnia idem puluis.

De idiscreta similitudine. Lucianus, Quin  
nobis, omnia idem (quod aiunt) puluis. Allu-  
dit ad defunctorum cineres, inter quos nihil  
apparet discriminis. Cōfine illi, Eiusdē farine.

Conuenerūt Attabas & Numenius.

Dici solitum, quoties improbus aggrega-  
tur cū improbo. Diogenianus tradit hos infi-  
gne par furum fuisse.

Bithus contra Bacchium.

Dicitur, quoties duo æqualiter improbi  
contendant inter sese, ita vt neuter, alteri ve-  
lit concedere. Bithus siquidem & Bacchius  
nobile par gladiatorum fuit: pares arte: pa-  
res audacia.

Eundem calceum omni pedi  
inducere.

In medicos imperitos quadrat, qui nō ha-  
bita ratione morborum, eadem remedia ad-

monēt omnibus, quū diuersa mala, diuersam  
curationem desyderent. Simillimū illi, Scis  
simulare cupressum.

Cretensis Cretensem. Cretensis  
cum Æginita.

Cretensis Cretēsem, subaudiendū, prouoc  
cat, conatur circūuenire, aut tale quippiam.  
Dicitur, quoties improbus agit cum impro  
bo: perfidus cum perfido. Sumptū adagium  
à Cretensium moribus, quos plurimis cōui  
tijs incessiuit antiquitas. Eandem habet sen  
tentiam, Cretensis cum Æginita, vbi subau  
diendum est, agit. Quadrat nanq; & in paris  
ter improbos, qui mutuis inter se fallacijs a  
gūt. Nā; Æginitæ quoq; olim male audierūt.

Vulpinari cum vulpe. Cretiza cum  
Cretensi.

Vulpinari cum vulpe, est cum astuto astu  
tius agere. Sumptum ab animantis ingenio.  
Eundē obtinet sensum, Cretiza cum Cretens  
si, id est, aduersus mendacem mendacijs vte  
re. Propterea quòd Crētensiuū vanitas de lo  
uis apud se sepulchro, multaq; id genus men  
tentium in vulgi fabulam abierit.

Clauum clauo pellere.

Clauum clauo pellere, & paxillum paxillo  
pellere, est malū alio malo depellere. Lucianus  
in Philopseude, Et clauo (quod aiunt)  
extundis clauum,



Malo nodo, malus quærendus cuneus.

Hoc adagio vti licebit, quoties malum simili malitia retundimus. A sectoribus roborum sumptum est, qui si quando durior in ligno nodus inciderit, nolunt in eo periclitari securim: verum cuneum quempiam durum magis, quam bonum inferunt. Huic simillimum Sophoclis illud apud Menandrum, Remedio amaro, bilem amaram diluunt.

Mali thripes, mali ipes.

De duplici malo dici solitum: ut non magni referat, utrum elegeris. Thrips enim Græcis vermiculus est, qui lignis innascitur, materiaque vitiat. Ipsa item cornibus, & vitibus infestus.

Balbus balbum rectius intelligit.

Balbus balbum rectius intelligit, id est, Barbarus barbari orationem rectius capit. Ita enim natura comparatum est, ut qui balbutit, hoc est, parum expedite loquitur, melius intelligat sermonem illius, qui & ipse consimili modo balbutiat, quam qui integre & articulate loquatur. In eos concinne dicetur, quibus indoctis, indocta magis, & nota sunt, & placet.

Eodem in ludo docti.

Eodem in ludo docti dicebantur, similibus vitis laborantes, & pares improbitate. Hinc ductum, quod ferme soleant, qui communibus vti sunt præceptoribus, ingenio, moribusque conuenire.

Eiusdem musæ emulus.

Eiusdem artis, aut disciplinæ studiosi, eiusdem musæ æmuli dicuntur.

Mars haud cōcutit sua ipsius arma.

Signat, commode nos ferre ea, quibus asueuimus, quæq; nobis quadrāt, etiam si sint grauissima. Iactamus enim, quod incōmode ferimus. Iuuenalis, Nec iactare iugum vita didicere magistra.

Stultus stulta loquitur.

Euripides in Bacchis. Nā stulta stultī oratio est. Seneca ad Lucillum. Apud Græcos (inquit) in prouerbium cessit, Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.

Inanium inania consilia.

Inanium inanes cogitationes: vsurpatur, quum quis sua spe frustratur. Natum aiūt ab euentu. Nam Archias stipulatus à Demetrio quinquaginta auri talenta, vt Cyprum proderet, re deprehensa, laqueo sese præfocauit.

Mons cum monte non miscetur.

Hoc est, non cōuenit inter pariter elatos. Etiā si Plinius tradidit duos montes concurrisse, crepitu maximo assultātes, recedētēsque magna hominum turba spectante, idq; luce-

Mores hominū regionī respondent.

Mores hominū, vt plantæ, ad regionis habitum respondent. Refertur & hoc in Græcorum prouerbiorum collectaneis. Alioqui non

erat adscripturus Erasmus.

DISSIMILITVDINIS ET  
INCONGRVENTIAE.

Nihil graculo cum fidibus.	ria.
Nihil cum amaricino fui.	Feli crocoton.
Nihil ad versum, Nihil ad chordam.	Caluus comatus.
Quid cani & balneo?	Simia in purpura.
Quid caeco cum speculo?	Induitis me leonis exuium.
Asinus ad tibiam. Asinus ad lyram.	Ne puero gladium.
Aliud noctua sonat: aliud cornix.	In lente vnguentum.
Alia voce Psitacus, alia coturnix loquitur	In eburna vagina plūbeus gladius.
Graculus iter musas.	Cōgregare cum leonibus vulpes.
Syrus quum non sis, ne syrissa.	Aufer Mothonem à remo.
Asinus in vnguento.	Canis in praesepi.
Asinus portans myste	Seruus quum sis comam geris.
	Extra oleas fertur.
	Extra cantionem.

Explanatio.

Nihil graculo cum fidibus.

Nihil graculo cum fidibus, id est, nihil stolidis & imperitis, cum bonis literis. Nam graculus avis est ineptae, molestaeq; garrulitatis,

atq; obstrepera, adeò, vt à voce, qua sonat, nomen inditū putent. Tum sui generis conuentus amat, quo mutuo garritu, strepit<sup>9</sup> fiat odiosior. Porro cithara silentium postulat, & aures attentas. Vsurpatur adagium ab Aulo Gellio, Vetus est (inquit) adagium, Nihil graculo cum fidibus.

Nihil cum amaricino sui.

Idem vsurpat & istud, Nihil cum amaricino sui: hoc est, stolidis vel optima putet, displicentq; Ex amaraco autē herba fit optimū & gratissimū odoris vnguentū, quod amaricinum vocant. Nihil vero minus conuenit rostro suillo, q̄ deliciae vnguentariae: quippe cui id demū dulce olet, quod cornū olet. Ad hoc adagiū alluisse videtur M. Tullius quū ait, Illi alabastrus vnguenti plena putet: id est, optima pro pessimis displicent.

Nihil ad versum. Nihil ad chordā.

Nihil ad versum: dicitur de ijs, quæ longe discrepant ab ijs, quæ proposita sunt. Trāssatum videtur à scena, vbi histrio saltatu, gestuq; carminis genus representat. Eundē habet sensum, Nihil ad chordam: In eosq; quædrat, quorum vita vehemēter est inæqualis, quorū ve mores, ab oratione dissidēt. Lucianus de saltatione. Nihil ad chordam, vt dici solet, Nam alia pes, alia loquitur rythmus. Idem in meretricijs. Et quod pes probe re-



sponderet ad citharam.

Quid cani & balneo?

Quadrabit in eos, qui ad rem quampiam profus sunt inutiles, ita vt in balneo nullus est omnino canum vsus.

Quid cæco cum speculo?

Citatur à Stobæo versicul<sup>9</sup> hic ex Epicharmo, Luminibus orbo cū speculo qd est rei? Id est, quorsū op<sup>9</sup> est libris illiterato? Quo regnū iuueni stulto? Quo diuitias ei, q nesciat vti?

Asinus ad tibiam. Asinus ad lyram.

Asinus ad tibiam: dicendum, vbi quis ea, quæ scitè dicuntur, nec animaduertit, nec intelligit, nec laudat. Sunt enim animātia quædam, quibus nonnullus musices sensus inesse videtur: vt equis, auibus, serpētibus. Asinum nihil mouet cātus, Eundem sensum habet & illud, Asinus ad lyram.

Aliud noctua sonat: aliud cornix.

Accōmodari potest, vel ad eos, qui decerōtant cum longe præstantioribus: vel ad illos, inter quos ob morum, ingenij q; pugnātiā, minime conuenit. Siue quum est alius alio lōge faciūdiōr. Quēadmodū enim auem, etiā si nō videas, tamen è cantu licet dignoscere, ita stilius diuersus prodit falsum titulū. Nullū enim est authorū genus, vbi non reperias nota quædam & subditicia legitimis & peculiari- bus admista. Falsum titulū, cuius licet adscri-  
mm. j,

EREPTI REPERTORVM  
bere. Cæterū ipsa dictio quæ vix vnq̄ eadem  
duobus accidit, prodit aut reiscit authorem.

Alia voce psittachus, alia coturnix  
loquitur.

Hoc prouerbio vsus est Martialis in clācū  
lariū quendam poëtam, qui suos ineptos ver  
siculos nomine Martialis ī vulgus spargebat,  
ratus futurū, vt titulo decepti lectores, Mar  
tialis esse crederent. Credis hoc (inquit Mar  
tialis) Prisce, Voce vt loquatur psittacus co  
turnicis? Cōueniet in muscos, aut poëtas lō  
ge dispari stilo, lōgēq; dissimili facultate. Psit  
tacus enim inter aues proxime voces huma  
nas exprimit. Coturnices pugnaces magis, q̄  
loquaces.

Graculus inter musas.

Graculus inter musas, id est, indoctus in  
ter doctissimos: Infantissimus inter eloquen  
tissimos. Rectè dicetur & in homines offensa  
tione falsæ doctrinæ sese iactitantes, & viris  
eruditis impudenter obstrepentes. Est enim  
Graculus auis, minime canora, sed tamen os  
diose garrula, atq; obstrepera.

Syrus quum non sis, ne syrissa.

Quum nō sis Syrus, ne syrissa, Hoc est, Ne  
sumas personam parum decōram, ne velis a  
lius videri, q̄ sis. Aut quū sis natus ingenuus,  
ne moribus agas seruum & barbarū. Nā Syri  
male audiebant, ob morum mollicitem.

## Asinus in vnguento.

Vsurpatur, quū deliciae adhibētur ijs, quos haudquaquā decent: neq; qui, vel vti norunt illis, vel delectātur. Nam asinus culmos, ac foenum maault, q̄ vel aurū, vel vnguētum, quo etiā offenditur. Locus itidem fuerit adagio, siquādo indoctus aliquis, in optimos incidat authores, quos ob incitiā, aut negligat, aut etiam deprauet. Siue cum amuso, & illiterato cuipiam, cum eruditissimis viris viuere cōtigerit: quorum tamen cōsuetudine, neq; frui nouerit, neq; omnino gaudeat.

*Asinus portans mysteria.*

In eum dicebatur, qui pręter dignitatem in munere quopiam versabatur. Veluti, si quis ignarus literarū, bibliothecę pręfectus esset. Hinc natū dicitur, quod olim, quibus ad peragēda sacra Eleusinia opus erat, asino imposta deportabātur. *Quadrabit & in eos, quorū opera alijs dūtaxat est vsui, quum ad ipsos pręter molestiam nihil interim redeat.* Veluti, si quis cibos alijs gesserit, quibus ipsi non liceat vesci. Huc alluisse videtur Apuleius, quū se fingit asinū, Cererē deā circūferentem.

*Feli Crocoton.*

Feli Crocoton, subaudiendum, das, aut ad dis. Dicitur solitum, quoties honos additur indignis, & quos haudquaquā decet. Aut quum datur quippiam ijs, qui munere non norūt vti.

mm.ij.

Veluti figuis à musis alienissimo bellissimū do-  
naret librū. Crocotō vestis genus est rotūdæ,  
ac fimbriatæ, qua diuites vtebātur matronæ.

Caluus comatus.

Caluo (inquit Martialis) turpius est nihil co-  
mato. Aptè dicitur in eū, qui veris bonis nu-  
dus ascititijs se venditat. Veluti figuis indo-  
ctus, aliena pro suis æderet. Aut figuis dissim-  
mulet esse se, qđ est, veluti si senex affectet vi-  
deri iuuenis: si deformis velit haberi formosus.

Simia in purpura.

In varios vsus potest adhiberi prouerbiū.  
Nēpe vel in hos, qui tametsi magnifico cul-  
tu sint ornati, tamen cuiusmodi sint, ex ipso  
vultu, moribusq; cognoscitur. Vel in hos qui-  
bus dignitas indecora addit. Vel quoties rei  
per se scedæ, ascititia, peregrināq; ornāmēta,  
indecenter admouentur. Quid enim tam ri-  
diculū, q̄ simia vestita purpurea veste? Atqui  
id tamen non raro fieri videmus apud istos,  
qui simias habēt in delicijs, vt q̄ maxime posse  
sunt, ad humanū morem orment, ac vestiant,  
aliquoties & purpura, quo parū attentos aut  
imperitos fallant, próq; homine salutetur si-  
mia: aut si deprehensus fuerit fucus, res ma-  
gis sit ridicula.

Induit is me leonis exuuium.

In eos dici solitum, qui suscipiūt negocium  
maius facultate, quiq; se magnificēt<sup>9</sup> gerūt,



quod pro sua conditione. Quod uidebat ab Hercule sumptum putant: cuius hic ornatus erat, ut leonis exuuiis tegeretur: deinde altera manu clauam, altera gestaret arcum. Atque hoc ornatu descendit ad inferos, Cerberum extracturus. Potest referri prouerbium & ad apologum, cuius meminit Lucianus in piscatore, de asino apud Cumanos: uide Erasmus.

Ne puero gladium.

Ne puero gladium, subaudiendum, commiseris. Allegoria proverbialis, admonens non esse mandanda potestate, vel adolecentibus, vel imperitis, ac stultis: qua tum in suam, tum aliorum perniciem sint abuturi. Ne iuueni commiseris administrationem pecunie, Ne puero gladium. Ne regnum impuberi, Ne puero gladium. Ne stulto concionandi apud populum partes delegaris, Ne puero gladium. Ne magistratum mandaris stultis, Ne puero gladium. Ne inerudito, parumque cordato commiseris episcopi munus, Ne puero gladium. Plutarchus citante Stobæo, Ne puero (inquit) gladium ait prouerbium. Ego uero dixerim, ne puero diuitias, ne uero uero imperitiam. Significat pecuniam pestiferam adolescentibus: uero incitiam.

In lente unguentum.

Quadrabit in hominem, aut rem quampiam, quæ neutiquam in tempore adhibeatur, iis quibus

mm. iij.

minime congruit. Veluti si philosophum, iu-  
uenum lasciuientium conuiuio misceas. Aut  
inter pocula de rebus grauibus, ac Theologo-  
cis incipias disputare. Quemadmodū videlicet,  
lētīculæ vili legumini, ineptè quis admis-  
scuerit vnguentum. Diceretur etiam vbi plura  
inter se dissimilia confundentur. Porro vnguē-  
tum intelligitur oleū odoratum, ac velut vno  
guētarium. Alioqui plēbeium oleum admis-  
scere lenti, nihil prodigiosum.

In eburna vagina plūbeus gladius.

In eum, qui quū sit formosus, turpia & obscē-  
scēna loquatur. Natum ex Diogenis Cynici  
apophthegmate. Nam quū adolescens quīs-  
piam insigni forma, foedū quiddam, atq; obscē-  
scēnum dixisset, Ex eburna (inquit) vagina  
plumbeum gladium educis.

Congregare cum leonibus vulpes.

Congregare cum leonibus vulpes, est res  
impares, dissimilēsq; permiscere. Martialis,  
Quid congregare cum leonibus vulpes? Vul-  
pes dolis nititur: leo viribus fidit.

Aufer Mothonem à remo.

Admonet adagium non obstrependum, nec  
obturbādū importunius ijs, qui rebus alioqui  
serijs sunt occupati. Veluti si quis reipublice  
curis sollicito, musicam adferat: aut de capite  
periclitātī, versus amatorios recitet. Mothon  
enim saltationis genus, foedæ, seruilis, ac tur-

multuosæ. Iulius Pollux ( vt ea omittamus, quæ Erasmi iudicio Græci grāmatici de Mothone nugantur) tradit Mothonē genus esse saltationis molestum, ac nauticum.

Canis in præsepi.

In eos dicitur, qui nec ipsi fruuntur re quampiam: neq; reliquos item sinunt vti: veluti si quis egregios codices inclusos diligenter adseruet, quos nec ipse vnq̄ euoluat, nec alijs euoluendi faciat copiam. Quemadmodum canis in præsepi, nec ipse vescitur hordeo, & equum vetat vesci.

Seruus quum sis, comam geris.

Dicitur de eo, qui præter decōrum quippiã facit. Veluti si quis humili cōditione patritiorum cultū imitaretur. Apud Lacedæmonios enim ingenui comam alebant.

Extra oleas fertur.

Vsurpatur, vbi quis terminos præscriptos transgreditur: aut aliena, nec ad rem pertinētia facit, dicitur ve. Hinc natum. Stadia, in quibus currēdi certamina peragebātur, oleis per seriam positis vtrinq; sepiebantur, quas præterire non licebat: proinde qui præterisset oleas, extra stadium currere videbatur.

Extra cantionem.

Extra cantionem, siue extra cantum agi, dici ve dicuntur ea, quæ ad rem non pertinent. Sumptum ab antiquis cantoribus, qui vos  
mm. iiii.

cem ad lyram accommodabant. Aut certe à  
 concentu vocalium musicorū, vbi siquis dis-  
 sonet ab harmoniā, grauitè offendit aures. Si  
 mile illi, Nihil ad versum.

MVNVS APTVM, AVT  
 INEPTVM.

Ranis vinum præmi- nistras.	Apta prouincia. Putre balsamētum as-
Non è quouis ligno Mercurius fiat.	mat Origanum. Ad pedem.
Officiū humilius.	Veneri suē imolauit.

Explanatio.

Ranis vinum præministras.

In eū dicebatur, qui id ministrat, quo nihil  
 est opus ei, cui exhibetur. Veluti siquis apud  
 indoctos multa de philosophia disserat. Ra-  
 nis enim nihil opus vino, aqua palustri ma-  
 gis gaudentibus.

Non è quouis ligno Mercurius fiat.

Signat non omnium ingenia esse accōmo-  
 data disciplinis. Quidā enim (vt ait Fabius)  
 rus ablegandi sunt. Sumpta est allegoria à fa-  
 bris qui materiam deligunt. Quādoquidem  
 ad alias res, aliæ materiæ conueniunt. Refere-  
 tur prouerbiū ad magicum Mercurij simu-  
 lachrū: quem non ex quavis materia, sed cer-  
 to ligno sculpebāt, alioqui non futurum ido-



neum ad magicæ artis vsum.

Officiũ humilius.

Quũ quis recusat munus tanq̃ humilius, parũmq; sese dignũ, applicabit illud ex *Odyssæ* 9. Nam vt maneam in stabulis, iam non mea postulat ætas.

Apta prouincia.

In eum, qui prouinciam suscipit, suis aptã viribus, abstinẽs à negocio, cui sit impar, veluti si quis episcopatũ accipiat, summũ pontificium recuset, cõueniet illud ex *Iliados* π.

Quæ manibus quadrent, ingẽtes corripit hastas Quaslibet, ast hastã solam non sumit *Achillis*. Dicitur de *Patroclo*, qui quũ *Achillis* armis esset indutus, ab hasta tamen abstinẽbat, quòd ea grauior esset, q̃ vt quisq; *Græcorum* regere posset, præter vnum *Achillem*. Quod idem in *Odyssæa* de arcu *Vlyssis* finxit *Homerus*.

Putre falsamentũ amat *Origanum*.

Aptè dicetur de re per se parum honesta, aut iucunda, atq; ob id exoticis condimẽtis, & honestamẽtis egente. Qui mos etiam hodie sordidis, vt piscibus supputribus, ne quid offendant edentes putor, acida admisceãt. Veritas per se placet: honesta per se delectant. Falsa fucis, turpia phaleris indigẽt, Hoc est, putre falsamentum *Origano*.

Ad pedem.

Quod appositum, & vehementer accom-  
modatum, id ad pedem dicebatur. Sumpta  
metaphora à calciamētis p̄bē ad pedis mens-  
suram quadrantibus.

Veneri suem immolauit.

Dici solitum, vbi quis munitis offert mini-  
me gratum. Inuisus enim Veneri suus, propter  
Adonidem illius Amasium apri dente perem-  
ptum. Aut contrā, quum quis alium in grā-  
tiā alterius lædit. Quēadmodū caper maclat-  
tur Libero, non quia gratus, sed quia nocuit.

NVNQVAM.

Quum Nibas coccyssus Ad Græcas calendas  
sauerit.

Quū mula pepererit.

Enodatio.

Quū Nibas coccyssauerit.

Sum facturus hoc, quū Nibas coccyssaue-  
rit, id est, hoc nunq̄ sum facturus. Tradunt in  
Thessalonica Macedoniæ ciuitate, vicū esse,  
cui nomē Nibas, vbi galli nunq̄ vocē edant.

Ad Græcas calendas.

Ad Græcas calēdas, id est, nunq̄. Propter  
ea, quòd Græci non habēt calendas more La-  
tinorum, sed nouilunia. Atq; ad lunæ recur-  
sus Græci soluebāt vsuras. Huc itaq; respexit  
Augustus, quum diceret ad Græcas calēdas  
soluturos, quos nunq̄ reddituros mutuum,  
significabat.

Quū mula pepererit.

Hoc utimur prouerbio, quoties significamus, aliquid nunquam futurum, aut ad eum raro solere accidere, ut improbum, ac stultum videatur sperare. Propterea, quod natura steriles sunt mule. Quam proditum est in annalibus Romanorum mulas peperisse, verum id prodigij loco habitum, quemadmodum testatur Plinius libro octauo, capite quadragesimo quarto, ubi de mularum sterilitate agit.

## S E M P E R.

Quoad vixero.

Explicatio.

Quoad vixero.

Quod in vita perpetuum nobis futurum intelligi volumus, indicare licebit Homericis carmine, quod est Iliados χ. Donec Vitios interagam, genibus dum fulcior hisce. Hoc imitatus Maro, Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

## N V S Q V A M.

Vbi cerui abijciunt In Aphannis.  
cornua.

Explicatio.

Vbi cerui abijciunt cornua.

Hoc adagio significabāt velut ænigmatice, quæpiam in negotio difficili versari. Siquis

dem cerui cornua deposituri secedunt in loca aspera, atq; inaccessa. Conueniet & in eos, qui à cōmuni hominū conuictu subducūt sese. Quadrabit item, vbi locū vehemēter abditū abstrusumq; significabimus. Postremo, quod inuemus nusq; inueniri, illic esse dicemus vbi cerui cornua abijciunt. Vt quemadmodum ad Græcas calendas de tempore, itidem hoc de loco dicatur. Veluti si quis dicat ad hunc modū, Vbi gestum est istud præclarū facinus, quod iactas? Illic opinor, vbi cerui cornua abijciunt.

In Aphannis.

Stephanus tradit Aphānas locū quempiā esse Siciliæ, vehementer obscurum, & ignobilem. Hinc natum prouerbiū, Aut in Aphānis, de incertis, & quæ nusq; sunt.

PENSATIO BENEFICII,  
VEL OFFICII.

Manus manū fricat.	Fricantem refrica.
Botrus oppositus botro maturescit.	Eadem mensura. Par pari referre.
Da mihi mutuū testimoniū.	Hostimētum est opera pro pecunia.
Senes mutuū fricant.	Vt sementem feceris,
Mutuū muli scabunt.	ita & metes.

Enodatio.

Manus manum fricat.



Prodicus Sophista hunc Epicharmi Comici versiculum in ore semper habuit, Affricat manū manus: da quiddam, & aliquid accipe. Neminem siquidē Prodicus gratis docebat. *Monet autem neminē fermē mortaliū inueniri, qui velit in quempiam beneficiū collocare, à quo non speret aliquid emolumentī vicissim ad se redditurū: sed officium inuitari officio: beneficiū beneficio prouocari.* Idē adagium effertur & hoc pacto, Manū manus lauat. Idem pollet vtraque metaphora. Nam mutua cōmoditas est, quoties vel fricat, vel abluit manus manū. Circumfertur inter Græcanicas sentētias huiusmodi distichon. *Vrbs seruat urbem: seruat itidem vir virū. Manus manum, digitum'q; digitus abluit.*

Botrus oppositus botro, maturescit.

Huius adagij varius est vsus. Vel vbi pares in negotio quopiam videri volūt aliqui, & tantūdem adferre momēti, vt nullus alteri debeat concedere. Vel quū significabimus mutuis officijs opus esse, vt sit simillimū superiori, Manus manū lauat. Vel si quādo dicemus talem quemq; euadere, cum qualibus habet consuetudinē. Habet enim hoc assiduitas, vt vicinis vitia faciat cōmunia. Quò respicit illud Iuuenalis, *Vuāq; cōspecta liuorem ducit ab vna.* Translatū est adagium ab vuis, quæ mutuo oppositu maturitatem in-

ter se vicissim & dant & accipiunt.

Da mihi mutuū testimoniū.

Da mihi mutuū testimoniū, id est, da mihi tuum testimoniū, recepturus itidem meū, si quādo desyderabis. In eos rectè iaciendū, qui se mutua talione laudāt, ac prædicāt. Aut qui mutuo studio sibi inuicem suffragantur. Aut qui ad gratiā testificātur, neglecta religione.

Senes mutuū fricant.

Dicitur in eos, qui se mutuo defendunt, in eos item, qui beneficiū pensant beneficio. Natū ex fabula, quā Ælius Spartian⁹ in Adriani imperatoris vīta refert. Is Adrianus i balneo veteranū quempiam seruili penuria, sese mar moribus affricantem conspicatus, eum & ser uulis aliquot, & sumptibus donauit. Quod reliqui veterani feliciter cessisse vidētes, cœperunt & ipsi complures sub oculis imperatoris sese mar moribus affricare, vt hoc modo principis elicerēt benignitatē. At ille eno catis senibus, iussit vt alius aliū vicissim defricarent, atq; ita pueris nihil opus fore. Is iocus postea in vulgi cessit fabulam.

Mutuū muli scabunt.

Mutuū muli scabunt, id est, mutuam officij vicem rependunt. In eos, qui beneficiū beneficio pensant. Quāq; in alium nō vsque adeo diuersum sensum accipi possit, vt sub titulo Concordiā, videre est. Videtur autem adagiū

non nisi in malam accipi partem posse, veluti si indoctū indoctus, deformem deformis, improbū improbus vicissim laudaret. Translatum à mulis, qui sicuti reliqua iumēta, sese inuicem dentibus scabere solent.

Fricantem refrica.

Significat par esse, de bene merente, bene mereri, & officium officio pēsare. Suidas ab asinis metaphoram translata existimat, inuicem morficantibus, & in vtranq; partem dici posse: nempe & in eos, qui se mutuis officijs adiuuant: & in eos, qui se mutuis contumelijs afficiunt. In quam sententiam celebratur & Mimus ille nō illepidus, Ab altero expectes, alteri quod feceris.

Eadem mensura.

Adagium dicitur de beneficij pensatione. Ex Hesiodo sumptum, cuius est hoc carmē, Aut mensura eadem: aut melius quoque, si qua facultas. Quo quidem carmine docet officium remeriendum esse eadem mensura, aut etiā copiosiore, si suppetat facultas: prorsūmque hac parte esse imitandos fecundos agros, qui sementem depositam, multo cum faenore reddere consueuerunt.

Par pari referre.

Parcemia monet, vt tales simus in alios, quales in nos illos experimur: Ac iuxta Meideam Euripideam, amicis simus amici, inimi

cis infestū, in perfidos perfidi, parcos parci,  
clamosos clamosi, impudentes improbi. De-  
niq; vtcūq; meritū merito simili retaliemus.

Hostimentū est opera pro pecunia.

Adagium admonet nihil gratuitū esse de-  
bere, sed officium beneficio pensandum. Hos-  
timentū beneficij pēsatio est à prisco verbo  
hostire, & redostire, quod est, paria referre.

Vt sementē feceris, ita & metes.

Vt sementem (inquit Cicero) feceris, ita &  
metes: id est, reportabis præmiū tuis factis  
dignū. Plautus in Epidico. Sed vt acerbū est,  
pro benefactis quū malam messem metas, id  
est, quū pro beneficio maleficiū reportes. Et  
apud Platonem. Quā hic messem facturū  
est? Haud sanè bonam. Hæc metaphora cō-  
munis est etiam sacris literis, Quī semināt in  
lachrymis, in exultatione metent. Et diuus  
Paulus, Quī semināt in carne, de carne me-  
tet corruptionem. Quī semināt in spiritu, de  
spiritu metet vitam æternam &c.

TAEDIVM EXITERATIONE.

Iterum atque iterum	dem.
ad Pythum via.	Cantilenam eandem
Crambe bis posita	canis.
mors.	Eadem per eadem.
Eandē tundere incu-	Hyperī vertigo.





De eo, qui molestus est, sæpius eadem inculcans. Nihil enim odiosius, q̄ quod semper idem est. Sumptum à cantoribus, qui si quãdo diutius eandem occinant cantionem, tædiũ adferunt auribus. Proinde periti subinde variãt carminis genus, quo satietatẽ deuitet.

Eadem per eadem.

Dictũ de ijs, qui semper eadem inculcant, aut eadem assidue faciunt. Simile illi, Iouis corinthus. Potest & in eos torqueri, qui res nugaces nugaciter tractant. Veluti si quis in authorem indoctum, indoctos scribat commentarios: aut obscœnum obscœnos.

Hyperĩ vertigo.

Vbi quis semper idem agit, neque quicquid tamen explicat, Piffilli, siue hyperĩ vertigo dicitur. Plato comicus apud Zenodotũ. Dehinc mihi vertigo piffilli haud erit. Solet autem dici, quum eadem sæpius iterantur non sine tædio.

Date mihi peluim.

Vbi quid vehementer molestum esset, ita vt ferri iã diutius non posset, peluim sibi porrigi iubebant, quasi præbile, nausæaq; & fastidio rerum vomituri. Veluti, si quis orationem supra modum indoctam non ferens, aut sophisticis nenijs offensus dicat, Porrigite mihi peluim.

Parni scaphula.

Cōuenit in eos, qui ob res minutulas multum litium, & querelarū mouent. Sumptum à Parno quopiam, qui ob nauiculam ereptā, populo molestissimus fuisse legitur.

Sardī venales.

Dicitur de negotio infinitæ prolixitatis, atq; inexplicabili. Hinc ductū, quòd Tiberius Sempronius Gracchus cum altero cōsulatu Sardiniam domuisset, tantum ex ea captiuorum adduxit, vt longa vēditione, res in prouerbium abierit.

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Carmen est Horatianū in eos quadrās, qui sint nimium sedulī, & quibusvis in rebus immodici. Cuiusmodi sunt nōnulli, qui quū semel coeperint, nullū faciunt finē, donec defatigati desistāt: nec rationē vllam habēt alieni fastidij: sed suo tantū animo negocij modum metiuntur, haudquaquam memores vetustissimi sermonis, admonentis, vt tum à lusu desistamus, quū adhuc est iucundus: ne voluptatē, odij molestia cōsecuta contaminet. Hinc adagium ductum, quòd hirudo, vbi semel hæserit corpori, nulla ratione potest reuelli, donec suctu sanguinis expleta decidat.

Ad restim funiculum.

Ad restim funiculum, subaudiendū, addis, aut reddis. Vbi quis iisdē rebus abundat: aut

nn. ij.

similia similibus p̄sat. Simile illi, Līnum annectis lino.

Rhodiorum oraculum.

Vsurpatur, vbi quis de re minuta nimium crebro, nimiūmq; diligenter sciscitatur. Etenī Rhodiēses Lindiæ Dianæ sacrificantes, dies aliquot apud aram deæ, conuiuia prorogabant, atque inibi perpetuo manebāt. Quūq; illis mos non esset, matulam in sacrificiū inferre, ac super hac de re deum consulissent, atque vt inferrent, respōdisset, illi rursus ambigere cōperunt, vtrum æream, an testaceā inferre deberent, ac denuo super hoc ad euntibus oraculum, indignatus deus, neutram respondit.

ITERATIO CITRA  
TÆDĪVM.

Bis, ac ter, quod pulchrum est.

Expositio.

Bis, ac ter, quod pulchrum est.

Bis, ac ter, quod pulchrum est, subaudi, dicendum est. Vsurpatur à Platone libro de legibus vltimo. His (inquit) de rebus tamen si superius non nihil attigimus, tamen quæ sunt egregia, sicuti prouerbio dicitur, bis, ac ter, rectè repeti possūt. Lucianus in Dipsadibus citans eundē Platonē, Nulla (inquit) satietas rerum honestarū. Omnino ea vis inest rebus



egregijs, vt quo sæpius, ac pressius inspiciantur, hoc magis ac magis placeant, vt ait Horatius, Quæ si ppius stes, Te capiet magis, ac decies repetita placebit. Cōtrà, quæ facta sunt, aut vulgaria, nōnunq̄ initio arrident nouitate ipsa, mox repetita sordescunt.

MOLESTI, INTOLERABILES.

Onus nauis.	Vt fici oculis incumbunt.
Quos non tollerent centum Ægyptij.	Athos obūbrat latera Lemniæ bouis.
Qui conturbat ōnia.	Ætna Athon.
Anno senior fio.	

Explanatio.

Onus nauis.

Quadrat in inertem & inutilem. Simile illi. Telluris inutile pondus. Cōueniet & in magnum, eundemq; molestum.

Quos nō tollerent centū Ægyptij.

De molestis dici solitū, ac moribus intolerandis, seu fastu præturgidis. Inde ductum, quod Ægyptij pleriq; gestandis oneribus quæstum non satis honestū factitare cōsueuerint: vnde & baiuli dicti in iocū prouerbialem abierunt.

Qui conturbat omnia.

In eum, qui maximas vndiq; ciet turbas, aptè torquebitur illud Homericum, Omnis omnigenū ille procellas Ventorum ciet.

nn. iij.

Anno senior fio.

Hoc vtimur prouerbio, quoties significamus aliquid nobis magnopere molestū. Aristophanes in Ranis. Faxis caueo, quippe quoties cōspicor, Istiusmodi negotiorū quipiam, Discedo, crede, senior anno protinus. Tædio vero, molestiâq; cōsiliari senium indicat etiam Homerus, Illico (inquit) mortales inter mala multa senescunt.

Vt ficus oculis incumbunt.

Deijs dicebatur, qui pertinaciter vrgerēt, premerētq; negociū aliquod. Sumpta similitudine à ficis, hoc est, vitio quod oculis adnasci, nec facile potest auelli. Aristophanes in Ranis. Vt ficus oculis iminēs, sic ille erat.

Athos obūbrat latera Lemniæ bouis.

Dicitur, vbi quis officit, aut molestus est, aut gloriam cuiuspiā obscurat, aut alioquin obsistit. Tradūt in Lemno, bouis fuisse simul lachrum ingens, candido factum lapide. Id Athos mons, tæetsi longe diffitus interuallo, tamē ob summā celsitudinē, obscurat vmbra sua. Est autem Athos Thraciæ mons ingens adeo, vt vmbra iaciat ad stadia trecenta.

Ætna, Athon.

Ætnam & Athonem montes in molestiæ, tædisq; prouerbiū abiisse, veterū scripta palàm faciūt: quæ referūt de Ætna Siciliæ monte, quod gigantē sua mole premat, iuxta poë

tarū fabulas, Siue quòd crebris incēdijs, gra-  
uis ac perniciosus est accolis. Vnde & Cicero  
in Catone maiore dixit, onus Ætna grauius.  
De Atho vero, quòd ob ingentē cellitudinē,  
ymbra sit molestus, quā in Lemnū vsq; tre-  
centis distitā stadijs mittit, dictū est in supe-  
riori prouerbio.

## I N G R A T A O B V E T V S T A T E M.

Piscis nequam est, nisi ra loqueris.  
si recens. A Nannaco.  
Piscem repositū, non Res Cannacæ.  
oportet in medium Antiquior, q̄ Chaos,  
retrahere. & Saturnia tēpora.  
Antiquiora diphthe- Pellenæa tunica.  
Elucidatio.

Piscis nequam est, nisi recens.

Dicitur peculiariter in hospitem, aut vul-  
garem amicum, qui primo quidem aduentū  
non ingratus est. Cæterū ante tridū exactū  
putet. Plautus. Quasi piscis, itidē est amator  
lenæ, nequam est, nisi recens.

Piscem repositum non oportet in  
medium retrahere.

Licebit accommodare, ad sermonem, aut  
fabulam, per se non admodū venustam, quæ  
tamen iteretur non sine tædio.

Antiquiora diphthera loqueris.

In eos quadrat, qui nugas narrant: aut de  
nn .iiij.

rebus nimium priscis, & iam pridem obsoletis. Nam Diphthera res quædam erat ex priscis illis fabulamentis relicta. Siquidem aiunt, Diphtheram pellē fuisse eius capræ, quæ Iouē lactarit: in qua creditum est antiquitus, illum omnia scribere, quæ fierent. Vnde quæ nec in historicorū literis extarent, nec in hominum memoria seruariētur, ea velut ex Iouis' Diphthera petita dicebantur.

A Nannaco.

Vsurpamus, quū significamus rem ab extrema vsq; antiquitate repetitā. Nānacus rex ante Deucalionē fuisse narratur, qui diluuiū futurū præuiderit. Latini consimili figura dicunt, ab Aboriginū seculo repetita, & perinde quasi cum Euandri matre loquaris. Non dissimile illi, Antiquior Codro, & Antiquiora diphthera loqueris.

Res Cannacæ.

Res aut mala Cannacæ. Bifariam hac utebatur parcemia: vel de rebus ob vetustatē admirandis: vel de lamentis & complorationibus miseris, ac lachrymosis. Cannacas quispiam Phrygū rex: qui quū præuidisset, euenturum diluuiū, conuocatis omnibus ad templa deorum, multis lachrymis supplicabat dijs, vt id malum auerterent.

Antiquior, quàm Chaos, & Saturnia tempora.



Dicitur de re nimiū prisca & obsoleta. Ibycus. Hic autem nugatur, ac temere nugas in nos infūdīt, antiquiores, q̄ Chaos, ac Saturni tēpora redolentes. Alludit adagiū ad Chaos, ad quod poētæ, deorū ac rerum omniū originem referunt. Ouidius opificiū mundi hinc auspicatur, quemadmodum & Hebræi.

Pellenæa tunica.

De prisco cultu dicebatur. Pellene peruetusta Achaïæ ciuitas, Protei patria, in qua diuersæ vestimentorū formæ fieri consueuerūt.

#### N V P E R A .

Heri & nudiustertius.

Explanatio.

Heri & nudiustertius.

Prouerbialis hyperbole, tempus admodū nuper actum significans. Vnde quū volumus significare rem aliquā admodū recēter factā, dicimus illam heri, aut nudiustertius factam.

#### I T E R A T V S E R R O R .

Eadē oberrare chor-

da.

Iterum eundem ad la-

pidem offendere.

Non licet bis in bello

peccare.

Vulpes non iterū ca-

pitur laqueo.

Cauēdum ab eo, qui

semel imposuit.

Venia primum expe-

rienti.

Sus lota rediit ad vo-

lutabrum luti.

Canis reuersus ad vomitum.

Explicatio.

Eadem oberrare chorda.

In eos concinne dicitur, qui vel in simili re crebrius peccant: vel culpam eadem iterum, atq; iterum committunt. Primus enim lapsus vel casui datur, vel imprudētiæ: iteratus stultitiæ tribuitur, aut inscitiae. Horatius in arte poetica. Et citharædus Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem. A cantoribus ducta trāslatio, quibus vehementer sœdum sit, ijsdem fidibus sæpius peccare.

Iterum eūdem ad lapidē offendere.

Bis ad eūdem lapidem offendere, est iterū eadem in re peccare. Primus autem error (vt est in Græco adagio) veniam meretur. Iterātī culpā, venia dari non solet. Inter Græcanicas sentētias celebratur & hæc, Sapiētis haud est bis in eodē labier. At Scipio, sapiētī ne semel quidē errare permittit, vt dicat, Non putarā.

Non licet bis in bello peccare.

Signat in rebus periculosis, nō tutum esse labi. Nam si semel erretur, actū est de capite, nec est secundo errori locus. Vel quòd in bello, quia cūcta tumultu peragantur, non detur spaciū reuocandi, restituenti q; siquid perperam sit institutum. Vnde Homerus. Ac vero (inquit) exigua est interspiratio belli. Proinde in his rebus, in quibus, si semel erratū fue-

rit, non est quod in posterum fartias, cauti-  
ac circumspecte agendum, admonente Mīmo  
illo. Deliberādum est diu quicquid statuendū  
est semel. Puta de sacerdotio, de matrimonio,  
deq; id genus alijs, quæ si temere fuerint in-  
stituta, non est, quo priores cogitationes pos-  
terioribus (vt aiunt) melioribus emendes.

Vulpes non iterum capitur laqueo.

Vulpes non iterum capitur laqueo, id est,  
qui cautus & sapiens est, in eandem non rela-  
bitur culpā. Stupidi enim est hominis, in ma-  
lum gustatum iterum incidere. Plutarchus in  
collectaneis adagium effert ad hunc modū.  
Vulpes quæ semel effunderit laqueos, nō ca-  
pitur iterum.

Cauendum ab eo, qui semel  
imposuit.

Qui se negabit habere velle commercium  
cum eo, a quo semel sit deceptus, vsurpabit  
Homericū illud. Hoc ego cū nihil aggrediar  
(neq; enim expedit) vnq;: Quipe vbi frustra-  
tus semel est, ac fraude sefellit: Nō iterū mihi  
verba dabit stulto: semel illi hoc Sit fecisse sa-  
tis, quin posthac ille quiescat, Ac valeat.

Venia primum experiēti.

Signat ignoscēdū ijs, qui rudes nouo quo-  
piam in negotio incipiunt versari, siquid per  
imperitiā peccarint. Fertur & hoc, Venia pri-  
mū delinquenti. Pindarus in hymnis dixit, q̄

iteratū facinus, nō oporteat impunitum esse.

Sus lota redijt ad volutabrū luti.

Dicitur, quū quis iterat iam expiata flagitia. Sūpta metaphora à suis ab amne proptinus ad cœnum recurrentibus.

Canis reuersus ad vomitum.

Quadrat in eū, qui relabatur in eadem flagitia, à quibus aliquando est expiatus. Sumptum à canibus resorbētibus quod euomuerint. Refertur cum superiore adagio in epistolis diui Petri his verbis. Accidit autem illis illud veri prouerbij, Canis reuersus ad propriū vomitū: & sus lota ad volutabrum cœni.

## MVNVS NON MVNVS.

Cyclopi donum.

Hostium munera, nō munera.

Malum munus.

Quū Delphis sacrificauerit, ipse comes absumit.

Expositio.

Cyclopi donum.

Cyclopi munus, siue donū accipitur pro eo, quod est munus inutile, cuiusmodi sūt sermē tyrānorum & latronum beneficia: qui solent hoc ipsum magni beneficij loco imputare, quod aut minus, aut serius noceant. Sumptū ex Homeri loco, qui est in Odyssæe libro nono: Vbi cyclops Polyphemus delectatus



dulci vino, quod illi donarat Vlysses, munus promittit: quo accepto, ille sit magnopere gauisurus, vt denuo sibi ministraret de sua lagena. Dedit Vlysses spe muneris iterum, atq; iterum. Porro vbi iam vino delinitum crederet mitius responsurum, reposcit Vlysses munus promissum. Cui cyclops hunc in modum respondit. Post socios mihi, postremusq; vorabitur Vtis. At reliqui prius, hoc ex me tibi munus habebis. Cæterum Vtis græce nullum significat: quod nomen sibi finxerat Vlysses, quo Polyphemum posset deludere.

Hostium munera, non munera.

*Priscorum superstitione credidit, obseruanda vel maxime munera, à quibus, quo animo mitterentur. Propterea, quod quæ darentur ab ijs, qui nobis male cuperent, exitio plerumq; fuisse constaret. Ita vt fuit pisis illa fallax, per Pandorâ à Ioue Prometheo missa. Quemadmodum fuit & vestis, qua Medea nouâ nuptâ Iasonis donauit. Rursum vestis illa, quâ Deianira misit Herculi. Prouerbiorum interpretes existimant hanc parœmiâ, ex historia natâ, quæ refertur apud Homerum Iliados libro septimo. Narrat autem Hectorē & Aiace inrita amicitia, donata inter sese permutasse, Atq; Hectorē Aiace donasse gladium, Aiace Hectori dedisse baltheum. Deinde pariter ambobus suum munus exitio fuisse. Siquidem Ajax victus ab Vlyse*

se, cognitisq; ijs, quæ per insaniã, tũ dixerat, tum fecerat, eodem gladio sibi necem conscivit. Item Hector per occasionem balthæi occisus est ab Achille iuxta muros Troianos. Hac de re fertur & epigramma græcũ: quod vertit Erasmus ad hũc modum. Aiaci datus ensis ab Hectore: balthæus Aiace Hectori, vtrumq; suum donũ erat exitio. Rursum ex alio quodam epigrammate leguntur hæc verba, Atq; ita ab hoste hosti veniunt letalia donat: Quæ studij specie, fata, nec emq; ferũt. Huic loco adscribẽdũ, quod arcanae scripturae pro- uerbia admonent, ne scilicet de inimico recõ- ciliato simus securi. Item prouerbialis ille senarius, Ab hoste dicta, ne vnq; amica duxeris. Et alter huic similis, Diffusus hosti, nil feres vnq; mali.

Malum munus.

Græcum adagium hũc habet sensum. Munus malum, est perinde vti dispendium. Nocet, nõ iuuat, qui largitur noxia. Veluti si quis adulescenti ministret pecuniã. Aut stulto imperium. Aut indocto sacerdotium.

Quum Delphis sacrificauerit, ipse carnes absumit.

Dici solitũ de ijs, qui vocatis conuiujs, ipsi cibos appositos deuorant: vt illis spectare tantum liceat, nõ vesci. In Delphicis enim sacris, is qui immolarat victimã, ea vescebatur. Cõ-

trā fiebat in his sacris, quę Hecatę inferebā-  
tur. ex quibus nihil redibat ad eum, qui offe-  
rebat, præter fumum & tumultum.

EXITIVM HONESTVM.

De pulchro ligno etiā strāgulari conuenit.  
Explanatio.

De pulchro ligno etiam strangu-  
lari conuenit.

Admonet parcemia, calamitatem tolerabi-  
liorem esse, si cū honestate fuerit coniuncta,  
& dedecore vacauerit. Veluti, si virgo vities-  
tur a generoso, ac prædiuite amante. Aristos-  
phanes in Ranis ad prouerbium alludēs, Di-  
gno (inquit) siquid è ligno rei Perferetis, fer-  
re cordatis videbimini viris. Quasi minus mi-  
serū sit suspendium, siquis ex arbore pendeat  
insigni. Circunfertur huic simillimum, etiam  
hodie, Si demergēdus sim, in aqua pura me  
demergam: hoc est, si pereūdem est, honesta  
morte perire satius. Aut si peccādū, honestiore  
peccandū titulo. Potest refēri & ad eos, qui  
vincuntur quidem, sed a victore tā insigni, vt  
honestius, & optabilius videatur sic vinci, q̄  
alios quosdam vicisse. Vnde est Virgilianū il-  
lud, Aeneæ magni dextra cadis. Et apud Oni-  
dium, Ajax pudēdum sibi putat cum Vlysse,  
vel certasse, etiam si victor discesserit, Mecū  
(inquit) certasse feretur.

ERASMI ADAGIORVM  
INDVSTRIA.

Dij faciētes adiuuāt.	non fit vrcens.
Cum Minerua manū quoq; moue.	Manu fingere. Serere ne dubites.
Ni purges & molas, non comedes.	Qui arat olīuetum. Quid tandē non effi-
Neq; mel, neq; apes.	ciant manus?
Qui vitat molam, vi- tat farinam.	Proba est materia, si probum adhibeas artificem.
Manum admouere.	
Optimum opsonium labor senectuti.	Artē quevis alit terra Ex vmbra in solem.
Lutum nisi tūdatur,	Muli Mariani.

Expositio.

Dij facientes adiuuant.

Significat diuinam opem, nō cessantibus,  
sed industrijs, & pro sua virili conantibus au-  
xilio esse solere. Varro libro de re Rustica pri-  
mo. Et quoniam (vt aiunt) dij facientes ad-  
iuuant, prius inuocabo deos. Ad hanc senten-  
tiam pertinet Homericum illud, Partim ipse  
inuenies, partim fors suggeret ipsa.

Cum Minerua, manū quoq; moue.

Monet adagiū, ne fiducia diuinæ opis, in-  
dustriam remittamus. Conuenit peculiariter  
in mulieres quæ lanificium exercent, fauente  
quidē, atq; inuocata Minerua, sed nihilo segni-  
us interim operi insistentes. Sunt qui putent



ab Agasone quopiam natū, cuius asinus quū luto infixus hereret, deberetq; illi succurrere, ociosus *Herculē implorabat: huic autem respōdisse deum, vti interim manum admoueret asino laboranti, atq; ita demū numen ad futurum.* Aliam originem refert Erasmus.

Ni purges & molas, nō comedes.

Ni purges & molas, nō comedes: Id est, nō continget tibi victus, nisi tuam item industriā adiunxeris. Ceres quum ostenderet vsum frumētī Triptolemo, ita dixisse fertur. Potest autem longius trāsseri, vt non proderit tibi ingenij felicitas, nisi exercueris. Inutilis erit principum fauor, nisi te gesseris, vt oportet. Nihil conducet, quōd doctum p̄ceptorem natus es, ni vigilaueris.

Neq; mel, neq; apes.

In eos dici solitum, qui recusant incommodū ferre, quod sit cum commodo quopiam cōiunctū. Veluti si quis apes, quōd sint aculeatæ nolit perpeti: is ne melle quidem, quod optat, fruetur. Res enim mortalium ita temperauerunt superi, vt semper incommoditas comes sit commoditatū. Celebratur Mimus ad hanc faciēsententiā, Feras quod lædit, vt quod prodest perferas. Eodē pertinet illud Plautinum Fortiter malum qui patitur, post potitur bonum.

Qui vitat molam, vitat farinam.

oo. j.

Superiori finitimum istud, Qui vitat molam, vitat farinam: hoc est: qui refugit industriam, siue laborē, nō fruetur emolumentis.

Manum admouere.

Manū admouere, id est, apponere dicebantur, qui sese insinuarēt in rei cuiuspiam egregiæ communionem. Translatum à sacris, in quibus nonnunq̄ fieri solet, vt alijs rem diuinam facientibus, alius aliquis adueniens, ad nota victimæ manu, fiet & ipse particeps sacrificij.

Optimum opsoniū labor senectuti.

Laborandum in iuuenta, quo seni suppetat commodius viuendi facultas. Diogenes rogatus, quid esse miserimum censeret, respondit senectutem inopem.

Lutum nisi tundatur, non fit vrceus.

Lucum nisi tundatur, non fit testa, siue vrceus, id est, Citra laborem nullus euadit in virum absolutum.

Manu fingere.

Manu fingere, est arte, curâq; formare. Metaphora sumpta ab ijs, qui è cera, siue argilla fingunt imagines. Iuuenalis Satyra septima. Exigitē vt mores pueri ceu pollice ducat, Vt siquis cera vultum facit.

Screre ne dubites.

Monet adagium, ne quādo pigeat eiusmodi rerū aliquid moliri, è quibus nihil omnino

dispendij, plurimum emolumentum possit proficisci, si non in præsens, certè in posterum: si non nobis, at saltem posteris. Virgilius, Et dubitamus adhuc serere, atq; impèdere curam? Hinc sumptum adagium, quòd ex arboribus conferendis, plurimum capitur commoditatis, neq; magno tamen impendio constant.

Qui arat oliuetum.

Quinetiam (inquit Columella) cõpluribus interpositis annis, oliuetum putandum est. Nã veteris prouerbij meminisse conuenit, Eum, qui aret oliuetum, rogare fructũ, qui stercoret exorare, qui cedat cogere. Huic adagio locus fuerit, vbi significabimus fieri nõ posse, quin voto potiatur is, qui curam extremã impenderit. Vulgaris enim diligentia quasi rogat, mediocris impetrat, extrema cogit.

Quid tandem non efficiant manus?

Admonet nihil esse rerum omnium, quòd arte, quòd industria non efficiatur.

Proba est materia, si probum adhibeas artificem.

Plautinum dictum conueniens in egregiã quidem indolẽ, si rectè instituatur. Felix ingenium, si præceptor contingat idoneus: aut magnificum negocium, si modo scitè tractetur. Metaphora est notissima.

Artem quævis alit terra.

Prouerbialis sententiã, qua significatum est,  
oo. ij.

certissimum viaticum esse eruditionem, aut artificium aliquod. Nam hæc neq; eripi possunt à latronibus: & quocunq; terrarū abeas, te comitantur, nihil adferentia sarcinæ. Fertur inter Græcorum sententias huiusmodi senarius, ab hoc prouerbio non admodū abluens. Ars ipsa inopiæ portus est mortalibus: hoc est, vnicum confugiū in egestate est ars.

Ex umbra in solem.

Ex umbra in solem educere, est rem prius abditam & ociosam in publicum, & in communem vitæ usum educere. Translatum ab athleticis, quibus mos, solis & pulueris patientia, confirmare corporis robur. Delicatorum autem est, in umbra latitare. Venustius fiet, si ad animi rem torqueatur: Veluti si quis dicat philosophiam à Socrate ex umbra in solem esse productam.

Muli Mariani.

In eos torquetur, qui sint in quidvis laboris exercitati. Hinc ortum adagium, Quum Marius imperator milites cursu, varijsq; ac lōgis itineribus, gestandisq; oneribus exerceat, atq; illi iam assueti, non grauatim ea ferrent, Castrēsi ioco Muli Mariani dicti sunt, nisi mirum ob laborum tolerantiam. Aliam referunt originem, quam omitto. Festiuus erit, si detorqueatur in hominē immēso studio, aut perpetuis negocijs vehementer districtum.



## IGNAVIA ET INSCITIA.

Neq; cōpluitur, neq; sole aduritur.	tro.
Neq; natate, neq; lite- ras.	Ne Æsopum quidem triuissi.
Ne tria quidem Ste- fichori nosti.	Nullam hodie lineam dixi.
Inelegantior Libe- thrijs.	Neglectis vrenda fi- lix innascitur agris.
Nec sibi, nec alijs uti- lis.	Ameles angulus.
Claudi more tenere pilam.	Mulieris podex.
Equi senecta.	Qui domi complui- tur, huius ne deum quidem miseret.
Libere capre ab ara	Ne vidit quidē oleū

## Explanatio.

Neq; cōpluitur, neq; sole aduritur.

De eo dici solitum, qui procul ab omni in-  
comoditate semotus, vitam ageret. Cui con-  
trarium illud, Sudavit & asfit. Et pulueris &  
solis, & cælestis aquæ patiens latus. Negocia-  
tores, milites, athletæ, nautæ, atq; id gen<sup>9</sup> ho-  
mines soli ferendo, & imbribus tolerandis as-  
fuescāt oportet. Qui domi molliter viuit, ab  
his malis abest. Quā ob rē in hominē delica-  
tū, & ad labores ferēdos inhabilē quadrabit.

Neq; natate, neq; literas.

Neq; natate, neq; literas, subaudiendū, nos  
oo. liij.

uit. In eos dicitur, qui supra modum indocti sunt, nihilq; prorsus bonarum artium in pueritia didicerunt. Nam hæc duo, statim discerant pueri.

*Ne tria quidem Stesichori nosse.*

De vehemēter indocto & impento dici solitum. Adagium sumptum hinc existimant, quod plæraq; Stesichori poemata Epodica sunt, quæ tribus constant, Strophe, Antistropho, & Epodo. Strophe est prima series, varijs metrorum generibus incedens. Antistrophus est iteratus per eadem fermè genera recursus. Epodus est diuersi carminis accentio. His & alij Tragici poetæ nonnunq̄ vtuntur, potissimum in choris.

*Inelegantior Libethrijs.*

Prouerbialis hyperbole, quadans in hominem admodum idiotam, & ab omni musarū commercio prorsus alienum. A gentis huius agresti imperitia sumptum est prouerbum. Tradunt enim Libethrios, musices, ac poeti ces, breuiter omnium elegantiorum disciplinarū stolidissimos contemptores fuisse. Ad eò vt apud hos quidem occisum Orpheum existiment: quorum de numero Zenodotus est, qui Libethrios gentem Persicæ fuisse scribit.

*Nec sibi, nec alijs utilis.*

Qui prorsus inutiles sunt, & fruges consumi mere nati, figura prouerbiali, Nec sibi, nec

alijs vtilis dicuntur. M. Tullius in libris officiorum, Quam ob rem (vt ante dixi) cōtemnuntur ij, qui nec sibi, nec alijs profunt, vt dicitur. In quibus nullus labor, nulla cura, nulla industria est. Sumptum ex Hesiodi carmine, quod Opera & dies inscribitur: vbi huiusmodi carmina legūtur. Omnia qui per se sapiat, lōge optimus ille est, Multo ante expendēs, quāenam sint optima factu. Is tamen & frugi est, qui paret recta monenti. At qui nec per se sapiat, neq; mēte reponat Ex alijs audita, vir vndiq; inutilis hic est.

Claudi more tenere pilam.

Congruit in eos, qui quicquid à præceptoribus acceperint, siue id doctum sit, siue indoctum, nullo delectu, nullōq; iudicio tenere solent, ac sequi. Sumpta metaphora à claudo diffidente suis pedibus, & ob id pertinaciter columnis innitente. Nisi si cui magis referendū videtur ad lusum pilæ, quam claudus ita demum accipit, si commode illi mittas. Alios qui pedibus tardus non potest vtcunq; missam accipere. Seneca libro de beneficijs septimo. Quid si me remittere pilā manco iubeas? hoc est, dare beneficiū illi, qui non sit idoneus ad accipiendum. Plautus in Aulularia. Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.

Equi senecta.

Prouerbiū in eos dici solitum, qui præ-

oo. iiii.

claris rebus gestis in iuuenta, posteaq̄ conseruauerunt, ad sordidas curas semet abijciunt. Allegoria sumpta à generosis equis, qui senio facti segnes, in pistrinum, aut carrum, aut aliud id genus opus detruduntur, olim in precio habiti, dum viribus integris essent.

Liberae caprae ab aratro.

Dicebatur olim ab ijs, qui se ab onere quospiam, aut molestia liberatos gloriarentur. Veluti si quis parasitus iactet felicitatem suam, quòd ad Reipublicae munia non vocetur.

Ne Aesopum quidem triuisti.

Dicitur de vehemèter stupido & imperito. Nam antiquitus Aesopi fabellas etià vulgus idiotarum tenebat. Has igitur qui non legisset, nihil scire videbatur.

Nullam hodie lineam duxi.

Adagiùm in eos quadrat, quibus cessatum ab exercitio studij, artijq; suae. Ab Apelle pictore natū, qui lineas ex colore ducebat summae tenuitatis per tabulam, vt est videre apud Pliniū libro trigesimoquinto, capite decimo.

Neglectis vrenda filix innascitur agris.

Carmē est Horatianum satyra tertia, quod allegoricos admonet, animum honestis excolendum disciplinis, alioqui futurum, vt inutili sylua vitiorum occupetur. Filix enim herba inuisa agricolis, quae totos agros occupare so-



let, nec facile repurgatur, vbi semel occupauerit.

*Ameles angulus.*

*Ameles angulus, id est, neglectus angulus, dicebatur is, qui supinus & oscitabundus desideret, nihil bonarum rerum tentans. In Lybia est locus, qui Ameles angulus, id est, securus angulus vulgo dictus sit, ob id fortasse, quod neglectus, & incultus iaceret.*

*Mulieris podex.*

*In ignauum ac desidiosum dicebatur. Ignatum animal mulier, & quo minus habet mentis, hoc inhonestis voluptatibus est addictius. Amat ocium, & fucorum in morem, virorum laboribus quaesita, sibi insumit.*

*Qui domi compluitur, huius ne deum quidem miseret.*

*Proverbium vulgo Graecis iactatum, quod quidem signat, cum modis omnibus suo malo videri dignum, qui sit usque adeo ignauus, ut nec domi suae possit a pluuia tutus esse.*

*Ne vidit quidem oleum.*

*Theocriti in Eglogis carmen est, Et quando ille oculis oleum conspexerat unquam? Conueniet in eos, qui sunt artis alicuius prorsus rudes & imperiti. Veluti si quis profiteatur rem medicam, qui nunquam didicerit quicquam illius artis. Vngebantur autem athletae oleo, quo membris euaderent durioribus.*

ERASMI ADAGIORVM  
HOSPITALITAS.

Haud vnquam arcet ostium.      ra.  
Semper aliquis in Cydonis domo.      Scindere penulam.  
Fores habet tritas, vt  
pastorum casæ.

Elucidatio.

Haud vnq̄ arcet ostium.

In eos quadrat, qui impendio sunt hospites tales. Quorum fores semper patentes neminem excludunt. Sumptum ex quadã Eupolidis comœdia. Eleganter accommodabitur, vel in credulũ, qui quodvis mendaciũ admittat auribus: vel in mulierem nulli negantem.

Semper aliquis in Cydonis domo. Cydon, Corinthius quispiam erat, ad eũ in signis hospitalitate, vt etiam prouerbio locũ fecerit.

Hospitis habenda cura.

Qui dicet hospitis habendã esse rationẽ, vsurpabit Homericũ illud, Nam diuis reuerendus & immortalibus ille est, Quicumq; aspulerit multis erroribus actis, Nunc vti ego. Verba sunt Vlyssis longis fatigati erroribus.

Scindere penulam.

Pro eo accipitur, quod est, impensus retinere hospitem, atq; inuitare prolixius: quod qui faciũt, manu in penulam iniecta, quasi vi

conantur remorari. Adagium ex antiquitate fluxit, vt alia complura.

Fores habet tritas, vt pastorū caste.

Ironia prouerbialis in homines inhospitales, aditu difficiles, sibi viuentes, semper occlusis foribus.

S O R D E S E T P A R S I M O N I A.

Tribus minis infum- ptis duodecim im- putat.	Cyprio boui merens- dam.
Cumini sector.	Bos Cyprius.
Ficos diuidere.	Tolle tolle Mazam q̄ ocyslime scarabeo.
Nullus emptor diffici- lis bonū edit opso- nium.	Psyricæ facta.
Cochleæ vita.	Paruo emptas carnes canes edunt.
Immunem venire.	Carica victima.
Lapsana viuere.	Phaselitarum sacrifi- cium.
Lingere salem.	In sinu manū habere.
Rore pascitur.	Lari sacrificant.
Victitant succo suo.	Tantali poenæ.
Patroclo sordidior.	Conuiuia non conui- ua.
Nephalium sacrum.	Sacra nihil sunt.
Caninum prandium.	
Cereri sacrificant.	

Expositio.

Tribus minis infumptis duodecim  
imputat.

Quadrabit in eos, qui non nisi compendij sui gratia colunt amicos, & p̄ quāvis exiguo officio, multū beneficiorum expectant. Vulgo itē aiunt, pileū donat, vt pallium recipiat.

Cumini sector.

Impedio parcus, ac sordidus olim prouerbio, Cumini sector dicebat̄. Aristoteles libro moralium quarto. Ex hoc genere est & Cumini sector, & quisquis eiusmodi. Est autē cuminum per se quidem exilis herba, tum præcipue genus Æthiopicum, quod Hippocrates regiū appellat, qđ olim serebatur à male precantibus, atq; ita felicius prouenire creditum est. Quo magis quadrat in hos huiusmodi conuictū, qui ob parsimoniā male audiunt.

Ficos diuidere.

Superiori simillimū. Vnde licebit & cognomen fingere, Fici sector, de sordido, ac parco.

Nullus emptor difficilis bonum edit obsonium.

Proverbium significat, eum qui nimium vili studeat emere, semper merces vitiosas emere. Nam non cōueniunt paruo emere, & rem egregie bonam emere. Cōueniet in hos, qui paululo labore conantur egregias assequi literas quæ non contingunt, nisi maximis, ac diuturnis vigilijs.

Cochleæ vita.

In eos, qui parce, paruóq; viuunt: aut con



tracti à negocijs, lucéq; forensi. Sumpta me-  
taphora ab huiusmodi animali notissimo.

Immunem venite.

Immunis à Latinis, à Græcis a symbolus  
dicitur, qui nihil confert ad conuiuium. Venus-  
tius fiet si ad animū trāsseratur, puta doctri-  
nam, versus, aut simile quippiam. Vnde im-  
munis, siue a symbolus dicitur, qui absq; lite-  
ris, siue doctrina venit.

Lapsana viuere.

Lapsana viuere dicuntur, qui per parce, ni-  
milmq; tenuiter viuunt. Consentaneū est enī  
iocum illum militarem in popularē fabulam  
abiisse, quo Cæsariani milites alternis versib<sup>9</sup>  
exprobrabāt, quod apud Dirachium lapsana  
vixissent. Est autē lapsana, olus syluestre, triū  
foliorum, ex brassicarum genere.

Lingere salem.

Olim tenuis fortunæ hominibus sal pul-  
mentarij vice fuit, vti nunc quibusdā est ace-  
tum. Quæ res & in prouerbiū abiit in eos,  
qui vitam agunt pauperimam.

Rore pascitur.

Congruit in hominem prætenui corpore:  
quāuis & in eum aprè dici possit, qui per par-  
ce viuat. Venustius erit, si transferatur ad in-  
geniū, siue stilum ieiunum & aridū. Aut per  
ironiā, in hominē vehemēter obeso corpore.

Victitant succo suo.

In parasitos dictum, qui si quando cœna contigit lautior, ingurgitāt sese. Rursus vbi nulla aridet spes conatica, cogunturq; domi viuere, fortiter ferunt in ediam, & in conuiuij spem durant. Sūpta metaphora à Cochleis, quæ per æstum intra testam cōtractæ, vtcūq; succo suo aluntur, donec acciderit pluuia.

Patroclo sordidior.

In diuitem quidem, sed oppido q̄ sordidū, ac parcum. Hic enim Patroclus postea q̄ ad summas opes euectus est: aut (vt alij dicūt) ex quo natus est, nunq̄ est vsus balneo parsiē moniæ causa.

Nephalium sacrum.

De cōuiuij abstemiō aptè dicetur. Aut de conuiuij vehemēter frugali, sobriōq; Apud Atheniēses hoc genus sacrificij exhibebatur, Mnemosynæ, auroræ, soli, lunæ, nymphis, Veneri, & Vraniæ. Nam in eo non libabatur vinū, sed aqua melle diluta. Athenienses item, nephalia ligna vocabant, quæ neq; vitea essent, neq; ficulnea, neq; myrtea. Nephalia sonat, quasi dicas sobria.

Caninum prandium.

Caninum prandium prouerbio dicebatur abstemiū, & vbi nullū vinū biberetur: propterea quòd peculiari naturæ proprietate, canes à vino abhorrent.

Cereri sacrificant.

Ita Plautus propemodū indicat apud Latinos dici solere, Cererī sacrificant, si quando in conuiuio vinū deesset: propterea quòd in huius sacris nephas esset inferre vinum: sicut apud Græcos in quarundam dearum sacrificijs, vt demonstratum est in prouerbio, *Nephaliū sacrum.*

Cyprio boui merendam.

Conuenit, quoties conuiuia sordidus & insipidus, sordido, atque insipido accipitur conuiuio. A bubus Cyprijs sumptum, qui magis bruti feruntur, quippe qui stercore humano pascatur. Festiuus erit, si ad res animi deflectatur: vt si quis apud spurcos spurce loquatur, apud indoctos indocte.

Bos Cyprius.

In brutum, ac stolidum iaci solitum. Adagij origo in superioris prouerbij enarratione demonstratur.

Tolle tolle Mazam quàm ocysime scarabeo.

Vsurpare licebit, quoties sordidus cibus immundo conuiuæ apponitur. Quidam ministris panes fufuraceos apponunt: fufur autem tritici est purgamentum. Vnde per fufuraceam Mazam cibum alio redditum hic significatur. Hinc enim vt nascuntur, ita & aluntur scarabei. Adagium simillimum illi; Cyprio boui merendam.

## Pſyricæ facta.

Pſyra inſula quæpiam, quæ quoniam eſſet perpuſilla & ignobilis in cõtẽptus & vilitatis prouerbiũ abijt: vt quæ ſordide, parũmq; magnifice fierent, Pſyricæ facta dicerentur.

Paruo emptas carnes canes edunt.

Quidam putria emunt obſonia, ne pluſculum inſumãt numorum. Ea quũ nullus attingit, canibus aliquoties edenda ſeruantur.

## Carica victima.

De macilenta hoſtia, minimẽq; eſculenta dicebatur. Hinc ductũ, quòd Caribus populis mos fuerit, canẽ immolare. Aptẽ cõgruet in cibũ appoſitũ, inſipidum, & quem nemo velit attingere. Solent ſordidi quidam, data opera cibos putres, & iſtatos palato, ſuis apponere, partim quòd minoris emantur, partim quo minus abſumatur epularũ in conuiſiũ. Et hi dicũtur Caricũ ſacrum apponere.

## Phaſelitarum ſacrificium.

Antiquitus per Phaſelitarum ſacrificium, vile, citràq; ſanguinẽ ſacrificiũ intelligebant: quo quidem adagio & ſordidum, ac tenuem ſumptum ſignificabant. Tradunt enim apud Phaſelitas Pamphyliaẽ gẽtem moris eſſe, vt piſciculi falſi dijs ſacrificentur. Finitimũ illi, Sacrum ſine fumo.

In ſinu manum habere.

In ſinu manũ habere, dixit Theocritus, &c.



Idem & vulgo dicunt idiotæ, id'q; verissime.  
Et tamē passim vitijs nostris accersimus bel-  
lū, lites, morbos, quasi sua spōte parum adsit  
malorum.

#### Ogygia mala.

Mala vel ingētia, vel antiqua, Ogygia ma-  
la appellantur. Nam Græcis Ogygium signi-  
ficat & ingens & antiquum. Alij malunt ad  
Oygyum primum Thebanę ciuitatis princē  
pē referre: cuius filius Cadmus, ob filias suas  
in varias calamitates incidit. Huc respiciunt,  
qui Ogygia mala, pro atrocissimis interpre-  
tantur. Cæterum qui Ogygia vetera dicunt,  
illud sequuntur, quod olim Bæotiorum, ac  
Thebana regio, Ogygia dicta sit.

#### Diolygium malum.

Ingens malum, Diolygium malum dicitur,  
id'q; ex græco sermone deriuatur. Dicitur au-  
tem prouerbiū de eo, qui malo quopiā in-  
gēti, ac diuturno tenetur. Vtitur hoc adagio  
Plato in Theætæ. Diolygiū Græcis significat  
maximum, quodq; q̄diutissime durat.

#### Labore laboriosius.

Hyperbole est laboris immodici, siue ma-  
ximi. Græci sic efferunt, πόνω πονηρός. Subest  
autem & iocus ob amphibologiam vocis.  
πονηρός enim Græcis vt laboriosum, ac mise-  
rum, ita significat & malum, & astutum.

#### Lemniū malum.

Prouerbiū dicitur de malis immēsis. Hinc natum (vt varie narrata historia ex Erasmo petatur) quod aliquando Lemniæ mulieres graueolentiā maritorum offensæ, eos vniuersos Thoātis auxilio sustulerūt. Cuius rei meminit & Euripides in Hecuba, Marēsq; Lemno sustulere scēminæ funditus.

#### Magnetum mala.

De malis ingentibus dictum videtur, aut ijs: quæ in authores suos recidūt. Cum Termerijs enim malis, Magnetum mala coniunguntur, in his verbis, quæ citra authoris nomen referūtur apud Suidam, Nec si (inquit) Magnetum mala, nec si Termerium, nec si totam in summa Tragœdiam eloquar. Sumptū apparet ab historia, quæ de Magnetibus affictis meminerit, in quæ mala feruntur incidisse, violato numine quopiam.

#### Malis mala succedunt.

In eum, qui varijs exercetur fortunæ incōmoditatibus, nunc morbo, nunc rapinis, nunc alijs atq; alijs malis conuenient illa Homeriæ carmina, Tradebat notus hūc Boreę quādoq; vehendū: Nunc rursus Zephyro iactandū tradidit Eurus.

#### Tænarium malum.

Si quid crudelius sæuitū esset in famulos, Tænarium malum vocabāt, propterea quod olim Lacedæmonij captiuos, qui in Tænā

rum confugerāt, reductos capitis affecerunt supplicio. Est autem hoc loco Tænarus regio quædam Laconicæ, cuius incolæ Tænaritæ appellantur.

Tam perit, q̄ extrema faba.

Festus Pompeius ostendit prouerbio dici solere, Tā perit, q̄ extrema faba, Propterea, quod extremæ fabæ plerūq; aut proterātur, aut decerpantur à prætereuntibus. Quadrabit igitur in hominem, seu rem omnibus omnium iniurijs expositam. Veluti si quis dicat Theologiam tam perire, q̄ extremā fabam, quod passim ab indoctissimis Sophistis tractando corrumpatur.

Ilias malorum.

Circunfertur de calamitatibus maximis simul & plurimis. Hinc natum, quod in Iliade Homericæ nullum mali genus non recēsetur. Vnde ex hac docti putant Tragœdiarum argumenta fuisse sumpta, sicut ex Odyssea Comœdiarum. Est autem opus verbum viginti quatuor voluminibus vix absolutum. Vnde & quamvis orationē plus satis prolixā, Iliade longiorem vocant.

Lerna malorum.

De malis item plurimis simul in vnum congestis, & accumulatis. Parcemiā Strabo commemorat, libro Geographiæ octauo, scribēs Lernam lacū fuisse quempiam, Argiuorū, ac

p. ij.

Myceneorū agro communem, in quem quū passim ab omnibus purgamenta deportarentur, vulgo natum prouerbiū, Lerna malorum. In hoc lacu poëte fingunt hydram illam septem capitum cōstitisse, quā Hercules igni Græco confecerit. Itaq; quoties hominem significamus vehementer infamem, atq; omni turpitudinis genere cōtaminatū, aut cœctum hominum pestilentium, quass'q; sentinam & colluuiem facinorosum, recte dicemus, Lerna malorum.

Sybaritica calamitas.

Quadrabit adagium in eos, qui neglectu decorum, aut ob intemperantem luxum subuertuntur. Stephanus narrat quemadmodū Sybaritæ perierint ad hunc modum. Oraculum huiusmodi acceperant, Felix omnino felix Sybarita futurus, Dum rebus lætis venerabere numina Diuūm. At simulatq; illis mortalis homo anteferetur, Tū veniet, bellumq; tibi atq; domestica turba.

Mare malorum.

Dici solitū de calamitatib<sup>9</sup> immēsis, & omnigenis. Inde sumptum, quòd mare res quæsdā est infinita: vel quòd infinitis erūnis abundat, qui in eo versantur.

Malorum thesaurus.

Ad eundem modum inuenitur, tum apud Euripidem in Ione, Me miserā (inquit) vt in



gens pāditur Thesaurus, ac penus malorum. Extat *inter Græcicas sententias huiusmodi* senarius, Thesaurus est mulier malorum, si mala est. Vnde est & illud crebrius in arcanis literis, Thesaurizant sibi malum, id est, colligunt, accersunt, quasi q; reponunt. Siquidē Thesaurum proprie vocamus, rerum vtiliū vim, pariter reconditarum.

*Cyrbes malorum.*

De vehementer improbis, & omni facinororum genere cōtaminatis. Hinc ortum, quōd apud Athenienses tabulæ quædam erāt quadræ, in quibus leges descriptæ proponebantur, præterea variæ delinquentiū pœnæ, quas Cyrbes appellabant. Simile est illi, Ilias malorum.

*Malorum panegyris.*

De malis agminatim ingruentibus, & inuicem sibi succedentibus. Panegyris etiā apud Græcos dicebatur solennis ille populī conuētus, ad ludos festos celebrādos, voce hinc cōposita, quōd festis diebus vniuersi conuenirēt. Homerus Iliados T, Cum perpetuo (inquit) tenore malum malo succedit.

*Nephasi dies.*

Nephasi dies olim vocabātur inauspicati, & quibus publica non licebat agere. Vnde receptum, vt homines inuisos, ac detestandos, nepastos appellarent.

## Niobes mala.

De maximis & acerbissimis malis dicebatur. Hanc enim Niobem fabulæ narrant, post occisos liberos, quos permultos habebat, præ dolore in saxū conuersam fuisse, illud inuenientes immodico dolore diriguisse.

## Antiopæ luctus.

Dici cōsuevit, vbi quis immerens calamitatibus affligitur, deinde malis eximitur. Nātū ab Antiopæ fabula. Hæc Nyctei filia fuisse narratur; quam quum esset à ciue quodam vitata, pater grauius irascens, ad fratrem mittit, vt de ea supplicium sumeret. At ille, quod vterum ferre videret, misertus pepercerat. Itaq; peperit Zethū & Amphionē, quos ille in montem abiecit. Erat autē huic vxor, nomine Dirce, quæ simulatq; sensit virum suum Lycum, Antiopæ captum amore, puellam in montem abductam, tauri certuicibus alligat, suspensis à cornibus tedis ardentibus, parans illam hoc exitij genere conficere. Verum ad vociferationem Antiopæ cōcursum est, cum à vicinis rusticis, tū ab Amphione, Zethoq; qui matrem agnitam eripiūt, & à Dirce pænas sumunt.

## Lepus apparens, infortunatum facit iter.

Torqueri potest ad interuentum cuiuspiam, qui videatur incommodum aliquod allaturus.

rus. Hinc natum, quòd vulgo etiam his temporibus occursum leporis, omen esse parum felix, iter ingressis.

Commune naufragium.

Commune naufragiũ, omnibus solatium. Multo facilius fertur malum quod nobis est cum omnibus, aut cum multis commune.

### M A N S V E T V D O.

Mactata hostia lenior. Apio mollior aut mitior.

Auricula infima mollior. Mitior columba.

Sedens columba. Cera tractabilior.

Spongia mollior.

Explicatio.

Mactata hostia lenior.

Prouerbiali figura dixit Horatius in Odis, Mactata veniet lenior hostia. Dici solet de spontaneis, ac mansuetis. Súptũ est à sacrificijs in quibus explorabatur hostia, ducto per frontem cultro, id'q; mactare vocabant.

Auricula infima mollior.

Hyperbole est prouerbialis, in homines minime iracundos, lentiq; ingenio p̄ditos. Trãlata metaphora ab ea auriculæ parte: qua nõ est aliud in humano corpore mollius, aut flexibilius, lentiusq;: vt quæ nec osse rigeat, neq; carthilagine dure scat, neq; nervis intendatur.

p. iiii.

Huic prouerbio simillimū est illud, Oleo trāquillior: quod quidem sumptum est à liquoris illius natura, quo nihil magis tacitū, magisq; lene. Plautus in Pœnulo. Ita hanc canē faciam tibi oleo trāquilliozem. Est autem vſqueadeo trāquilla olei natura, vt mare quoq; rem omnium ſæuiſſimam tranquillet: atq; ob id vrinātes oleum ore ſpargere, quod mitiget elementi naturā aſperam, lucēmq; deportet. Author eſt Plinius libro ſecundo.

## Sedens columba.

Hoc dici ſolet de ſupramodum manſuetis, ac ſimplicibus. Nam columbæ quum auolāt, fallūt cæteras pernitate volatus. Quum ſedent, nihil mitius, aut ſimplicius. Neq; quicquid habēt, quo ſe tueantur aduerſus miluios & accipitres, præter alarum velocitatem.

## Spongia mollior.

In homines māſuetos, læniq; præditos natura conuenit. Sic enim aſſentator quiſpiam loquitur apud Comicum quempiam, citante Plutarcho in cōmentario de discrimine adulatoris, & amici. Nicomache me iſti militi opponas velim, Niſi pepona loris (quantus eſt) effecero, Niſi ſpongia illi molliorem quolibet Reddidero vultum. Hūc ſenſum habet & illud, Cinedo mollior. Plautus i Aulularia. Ita fuſtibus ſum mollior magis, q̄ vllus Cinedus. Nā priſci, ſaltatores & pantomimos, Cio



nedos vocabāt, quòd cum gesticulatione capnerent.

Apio mollior, aut mitior.

Similis est figura cū superiore, eundémq; habet sensum. Est autem Apius Græcis Raphanus, aut pyri genus.

Mitior columba.

In illum quadrat, qui natura māsuetus sit. Cui adagio locū fecit colūbina simplicitas, ac mansuetudo: quæ etiam laudatur in diuinis literis.

Cera tractabilior.

De vehemēter docili dicebatur: aut de ingenio facili, tractabiliq; & in quēvis habitū sequaci. Horatius. Cereus in vitiū flecti, monitoribus asper. Persius satyra quinta. Artificémq; tuo ducit pollice vultū. Rursum Horatius. Argilla quidvis imitabitur vda. Est autem hoc ceræ peculiare, vt manibus contrētata mollescat: & hinc variæ rerū formæ solent affingi.

#### ASPERITAS, MOROSITAS.

Scytharum oratio.	surgit, & vallib <sup>9</sup> depressitur.
Scabrosior Leberide.	
Totus echin <sup>9</sup> asper.	Etiam quercus Bacchatur.
Durus alloquijs.	
Echino asperior.	Agamēnonis hostia.
Corithus & collibus	Ne moue festucam.

A lasso rixa quaeritur. In durum & implacabilem.  
Inexorabilis.

Elucidatio.

Scytharum oratio.

Aspera & nihil humanitatis habēs oratio, solet Scythica, siue Scytharum oratio dici. Illius enim gentis feritas apud Græcos cessit in prouerbiū, vt quicquid agreste, quicquid barbarum, ac sæuum vellent intelligi, id Scythicum appellarent. Quidam autem inde natum putant adagiū: quod Scythæ Dario regi nihil aliud respōderint, q̄ vt ploraret. quæ quidem ipsa etiam vox in prouerbiū abiit, vt plorare iubeamus, quos contemnimus.

Scabrosior Leberide.

In eum quadrat, qui sit vehemēter asper, & insuauis. Nam Leberis Græcis dicitur exitium illud vel serpentum, vel piscium exuentium senectam, quod & Syphar vocatur. Id autem asperrimum esse constat, nimirum ob summam siccitatem.

Totus Echinus asper.

In morosos & iniucundis moribus competit. Echinus piscis, & item Erinacius vndique spinis obseptus est, vt nusquam impune possis attingere. Est & hominum huiusmodi genus, cum quibus nulla ratione possis agere citra litem. Aristophanes in Pace. Ex scabro in leuem nunq̄ vertetur Echinus.

*Durus alloquijs.*

Homo inexorabilis dici solet durus alloquijs, siue immobilis alloquio. Ductum à cetera, quæ tractando mollescit.

*Echino asperior.*

Competit in hominē intractabilem & in suauibus morib⁹. Metaphora sumpta ab animante, cuius duplex est genus, terrestre spinis obsitum, & maritimū pinnata vndiq; tetradine, ac spinis obductū, quibus se pedum vice voluit: testis Plinius, Aristoteles libro de generatione animantium quinto, tradit Echium ipsum quidem pusillum esse, cæterū spinas habere, & longas, & acutas.

*Corinthus & collibus surgit, & vallibus deprimitur.*

Id adagium, vbinam possit esse vsui, non satis Erasmus (vt iquit) videt, nisi si quis detorqueat ad hominē intractabilē, aspero ingenio, & sibi ipsi inæqualē, parūq; secū cōstantē. Hinc ductū, q̄ (vt scribit Strabo) Corinthiorū regio nō fuerit admodū ferax, eo quòd inæqualis esset, & aspera, ac petricosa: ob quā causam hic senarius prouerbio est iactatus: Alibi tumet Corinthus, alibi caua est.

*Etiā quercus Bacchatur.*

Sensus puerbij græci sic habet. Etiā quercus Mænas facta est. In eos quadrat, qui vix delinūtur. Ductū ab Orphei fabula: quæ quō

dem fabulati sunt quercus sua cithara demul-  
sisse. Mænades autem sunt mulieres afflatæ  
Baccho.

Agamemnonis hostia.

Dicebatur quondam in duros & persuasum  
difficiles. Inde natum, quòd Agamemnone  
rem diuinam in Troia facturo, bos effugerit:  
vixq; multo negotio cõprehensus, reductus  
est. Quadrabit & in eos, qui nolentes & ada-  
cti quippiam agunt. Olim in sacris spectaba-  
tur, vt hostia lenis, ac volens adstaret. Q; si  
refracto fune profugisset, infaustũ omen ha-  
bebatur.

Ne moue festucam.

Iocus prouerbialis, vbi quis omnis strepi-  
tus impatiens est. Quosdam enim videre li-  
cet vsque adeò morosos, vt quicquid agas of-  
fendatur, etiam si stipulã duntaxat moueas.

A lasso rixa quæritur.

Seneca libro de ira tertio prouerbium hu-  
iusmodi refert, A lasso rixa quæritur: aut las-  
sus rixam quærit. Quod in quẽ sensum anti-  
quitus fuerit vsurpatum, non satis liquet. Q;  
si cõiecturas (inquit Erasmus) sequi licet, ap-  
paret dictũ in quosdam morosiores, & ad ri-  
xandum procliuiores, non quòd offendatur,  
sed quòd alioqui animo male affecti sunt: vt  
sunt difficiles, ac submorosi, quibus fortuna  
aduersa est.



Inexorabilis.

In durum & inexorabilem competet illud  
ex Odyssææ ↓. At tibi perpetuo cor saxo dur-  
ius omni est.

In durum & implacabilem.

In hominem impendio rigidum & impla-  
cabilem torquebitur Homericū illud, At tibi  
non unquam placanda in pectore mens est.

O C C A S I O.

Nosce tempus.	ræ.
Ansam quarere, & cō- similes metaphore.	Gladium dedisti, qui se occideret.
Eximere à manu ma- nubrium.	Nūc tuum ferrum in igni est.
Fenestram aperire, & cōsimiles metapho	Nō semper erit æstas.

Expositio.

Nosce tempus.

Hoc celebratur in primis inter septem sa-  
pientū apophthegmata: ac (vt alia pleraq;)   
 pluribus authoribus adscribitur, à nullo non  
 usurpatū: quod quidem docet cunctis in ne-  
 gocijs, plurimū habere momēti, temporis &  
 oportunitatis obseruationē. Hesiodi autem  
 carmina latina facta, rem eandē complecten-  
 tia sic habēt, Obseruato modum: nam rebus  
 in omnibus illud Optimū erit, si quis tempus

spectauerit aptū. Huc allusit Theocritus in  
 Idyllio Δ, Verū (inquit) alia aestiuo, atque hy-  
 berno tempore fiunt. Ipse etiam Isocrates ad  
 Dæmonicū scribit, Iucundum in omni re esse  
 nunq̄, quicquid intempestiuū sit. Tantam au-  
 tē vim habet oportunitas, vt ex honesto in-  
 honestum; ex damno lucrum; ex voluptate  
 molestiam; ex beneficio maleficium faciat; &  
 contrā, breuitérq; rerum omniū naturā per-  
 mutet. Hæc in aggrediundo, conficiendoque  
 negotio præcipuum habet momentū, vt nō  
 donasse, tametsi apud Græcos mas est hic  
 deus, appellaturq; καιρός, quo nomine & τῆς  
 pus & oportunitas & occasio significantur.  
 Occasionis autem simulachrum ad hunc mo-  
 dum fingebat antiquitas. Volubili rotæ pen-  
 natis insistens pedibus, vertigine, q̄ citatissī-  
 ma semet in orbem circūagit: priore capitis  
 parte hirsuta, posteriore glabra, vt priore fa-  
 cile prehēdi queat, posteriore nequaq̄. Vnde  
 dictum est, Occasionē arripere. Ad quod eru-  
 dite simul & elegāter allusum est illo versicu-  
 lo, Fronte capillata, post hæc occasio calua.  
 Erasmus in huius adagij enarratione adscri-  
 bit super hac re Posidippi Græci, & Ausonij  
 latini elegātissima epigrammata, quæ ex in-  
 stituto omitto.

Ansam quærere, & cōsimiles metaphore.

Ansa est, qua quippiam prehēditur, ac tenetur. Hinc ducta metaphora varias adagiorum formas præbuit: signatq; ansam quærere, occasionē captare: & præbere ansam, occasionem dare. Vnde qui nocendi occasionē quærit, ille nocēdi ansam quærere dicitur: veluti qui peccandi occasionem præbet, is peccandi ansam dare dicitur. Cōsimili figura possumus dicere, locum quærere, & locum dare, vt ille quærit locum peccato: ille dat locū studio. Eodē pertinet, In easdem ansas incidere: & ansam arripere: & ansam prætere: ansam negligere: & ansam auferre, & si quæ sunt alia, Epictetus in Enchiridio suo scripsit, vnicuiq; rei binas esse ansas: alterā qua teneri possit: alteram qua non possit. Arripiedum igitur vnūquodq; ea qua teneri possit, id est, bona vndique excerpenda: mala toleranda.

Eximere è manu manubrium,

Figura prouerbiali dixit Plautus, Eximere è manu manubrium, pro eo, quod est, iam paranti facere quippiam, extorquere peragēdi occasionē, siue facultatem. Locus est in Euclione, Capiō fustem, obtrunco gallū, furē manifestariū. Credo ego ædepol illi mercedē gallo pollicitos coquos Si id palām fecisset: eximi è manu manubriū. Ab eo translātū est, cui iā vibrato gladio percussuro, repente ca

pulus excutitur è manibus.

Fenestram aperire, & consimiles  
metaphoræ.

Aperire fenestram pro eo accipitur, quod est occasionē, ac velut ansam ministrare. Inde qui ad nequitiam occasionē dederit, fenestram ad nequitiam aperuisse dicitur. Aperire ianuam, & aperire viam, & præstruere viam, eundem habent sensum.

Gladium dedisti, qui se occideret.

Plautus. Gladium dedisti, qui se occideret, id est, ministrasti materiam, & adiumentum ad perniciem. Veluti si quis amanti adulescenti pecuniam det in manum. Aut iuveni temerario mandet magistratum. Aut mulieri permittat, quod lubeat eundi licentiam.

Nunc tuum ferrum in igni est.

Eius ferrum in igni esse dicebant, cuius negotium iam ageretur. Præmollitur enim ferrum igni ad cudendum. Ita Seneca in ludico libello, quem scripsit de morte Claudij imperatoris, Hercules enim qui videret ferrum suum in igni esse, modo huc, modo illuc cursabat: & aiebat. Noli mihi inuidere, mea res agitur: deinde si quid volueris, inuicem faciam, manus manum lauat. Allusit eò, quod Hercules quoque ex homine factus esset deus: id quod ambiebat Claudius.

Non semper erit æstas.



pterea, quod Pythagoras aiebat id, quod esset colore candido, ad boni naturam pertinere, quod atro mali. Vnde & felicia, alba dicimus: infames nigros. Horatius. Hic niger est, hunc tu Romane caueto. Idem in sermonibus. Sani, an creta, an carbone notandi. Ad hanc formam pertinet etiam illud, Vnione signare, pro eo, quod est, inter felicia, prosperaque numerare. Ductum a veterum superstitione, qui vnum quenque anni diem, missis totidem in urnam, aut (vt apud Scythas) in pharetram calculis signabant. Quem arbitrabantur prosperum abisse, candido calculo, aut creta: quem egrae felicem, vnione: Contra, quem inauspicatum, nigro lapillo notabant. Persius. Hunc Macrone diem numera meliore lapillo.

Ni pater esses.

Hoc vulgo dici consuevit, quoties honoris, aut metus causa conuictum reticebant, & conuictum dum relinquebant. Plene sic enunciabitur. Ni esses pater, te sapere dicere haud bene. Itaque quoties senis, aut potentis, aut alioqui venerandi sententiam nobis haudquam probari significabimus, cui tamen honoris causa nolimus refragari, veluti si quis opinionem Aristotelis apud Peripateticos, recte damnare vellet, loquetur ad hunc modum, Habet haec sententiam grauisimum authorem, Fortassis enim fas non est ab Aristotele dissentire. Alioqui, nisi pater

esset, hoc est, nisi authoritati deferrē, habeo quo refellam.

Calculo mordere.

Calculo mordet, qui suffragio lædit, aut vlciscitur hominem. Aristophanes, Spectant id vnum, vt mordeant suffragio. Siquidem hac via potissimum plæbeij vindicabant, siquid essent offensi, refragabantur in concione, quū calculis ferrētur suffragia: proinde mordebāt, non dente, quod tutum non erat, sed calculo,

Non probantis.

Vbi rem quidē fatebimur honestam factū: verū diuersa placere ijs, quorum libido plus valet, q̄ æquitatis ratio: Siue quū quis tyrannico more sequitur, non quod dicet æquitas, sed quod animo collubitū sit: Siue quū vnus aliquis à cæteris omnibus dissentit, vsurpabimus Homericū carmen, quod Iliados Homericae libro primo legitur. At reliquæ (inquit) Danaū placet hæc sententia turbæ, Sacrificio vt habeat honos, ac splēdida dona Accipiāt: at idem hoc Agamemnoni nō ita visum est. Quī male dimittit, ac dicta fera i super addit.

Obelo notare.

Obelo notare, est veru prænnotato quasi iugulare, ac damnare. Translatū ab Aristarcho, qui Homeri carmina in corpus redegit, atq; in libros digessit, versus nothos, hoc est, adulterinos, & subdititios, qui non viderentur sa-

perere venam illam Homericā, obeliscis, id est, minutis veribus prænotatis damnans. Contra, qui viderentur insignes, ac genuini, asteriscis, id est, stellulis illustrabat. Ex quo postea deflexum est, ut stellis, siue stellulis prænotare dicantur, qui quippiam velut animaduertendum insigniunt.

Thita præfigere.

Thita præfigere pro eo capitur, quod est dānare. Persius. Et potis es vitio nigrū præfigere Thita. Hinc sumprū. Olim (teste Ascensio Pediano) in iudicijs sortes, quæ mittebantur in vnam, triplicem notā habere solebāt. Ac ☉ quidem damnationis fuit symbolū: T, absolutionis. Λ, ampliacionis: id est, quoties significabāt sibi parum adhuc liquere, ac de nouo causam agi oportere.

In absurde loquutum.

Vbi quis videbitur absurdū quippiam dixisse: siue quū verbum aliquod videbitur per imprudentiam elapsum, quod satius erat reticuisse, vsurpabimus Homericū illud ex Odyssæe libro primo. Dentis claustra tui quæ vox elapsa reliquit! Aulus Gellius noctium Atticarum libro sexto, capite secundo laudat hunc versum, qui pulchre admoneat parce loquendum esse, quod natura linguam vallo dentiū cinxerit & septo labiorum, quum aures patulas dederit.

qq. ij.

## APPROBANDI.

Albū calculū addere. Omne tulit pūctum.  
 Premere pollicē: Cō- Omnium calculis.  
 uertere pollicem. Vno ore.  
 Pedibus in sentētiam Ne Iuppiter quidem  
 discedere. omnibus placet.  
 Momo satisfacere, & Si tibi amicū, nec  
 similia. mihi inimicū.

## Expositio.

Album calculum addere.

Album calculū addere non raro legitur pro approbare. Inde sumptum, quōd antiquitus missis in urnam calculis, ita ferebantur à iudicibus sententiæ, vt albis absoluerēt, nigris dānarent. Qui si forte fortuna fuissent equales, tamen liberabatur reus.

Premere pollicē: Cōuertere pollicē.

Antiquitus in pollice fauoris erat, studijq; significatio. Qui faueret, pollicē premebat, qui minus faueret, pollicem cōuertebat. Qui gestus in prouerbiū abierūt, vt iam preme re pollicem dicatur, qui quoquo pacto fauet: Cōuertere, qui male vult. Iuuenalis. Cōuerso pollice vulgī, Quēlibet occidūt populariter. Horatius, vtroq; pollice dixit, pro summo fauore, Cōsentire (inquit) suis studijs, q credide rit te: Fautor vtroq; tuū laudabit pollice ludū.

Pedibus in sententiā discedere.



Pedibus in sententiam discedere, est sententiam comprobare: vt in tuam sententiam pedibus discedo: id est, tuam sententiam cōprobo. Idem signat, Tuę sententię subscribo: tuo iudicio subscribo: voluntati tuę subscribo: Tuę sententię suffragor. cuius contrarium est, tuę sententię refragor.

Momo satisfacere.

Momo satisfacere, est seipsum, vel re quāpiam omnibus numeris irreprehensibilem vel maximo calumniatori exhibere. Vt, inculpator est huius viri vita, q̄ vt vel Momus ipse possit carpere. Hęc faciem ne Momus quidē possit reprehendere. Sūptum à Momo, quem Hesiodus ait i Theogonia, Nocte matre, Sōno patre progenitum. Huic deo mos est, ipsū quidem nihil operis ædere, sed aliorum deorum opera curiosis oculis contemplari, & si quid est omissum, aut perperam factum, id summa libertate carpere. Nam μῶμος græce, reprehensionem signat. Ad hęc formam pertinet illud Ouidianū de forma Adonidis, Laudaret faciem liuor quoq;. Breuiter omnes id genus hyperbolę prouerbiales sunt. Velut Terentianum illud, Ipsa salus si cupiat, seruate domum hęc non possit, De familia deplorata dictum. Item de loco vehementer munito, Hanc arcem ne Mars quidem ipse expugnet. De homine præfracto, ac pertinaci dis

qq. iij.

citur & hoc, Huius animum ne Vertumnus quidem ipse verterit. De foemina supramodū virosa, Huius foeminæ libidinem ne Priapus quidem ipse satiarit. De re neutiq̄ probabili, Istud ne Pitho quidem ipsa persuaserit. De re tacitu difficili, Hoc ne Harpocrates quidem ipse, aut Angerona continere queat. In tanto rerū strepitu, ne Somnus quidem ipse, somnium cæperit. De homine præter modū suspicaci & diffidēti dicitur, Ille ne Fidei quidē ipsū fidem habeat. Hic vel Argum fallat, dicitur de astutissimo. Hic miserior est, q̄ vt ei vel ipsa inuidere possit inuidencia &c.

Omne tulit punctum: Omnium calculis.

Omne pūctum tulisse dicitur, qui omnium sententia comprobatus est. Translatum à cōsuetudine comitorum, vbi tabella circumferri consuevit, in qua puncto appposito significabant, cui candidatorum suffragarentur. Eundem ad modum, qui omnium sententia laudatur, is omnium calculis laudari dicitur. Sumptum à iudiciorum sortibus, de quibus in adagio, Album calculū addere, dictum est.

Vno ore.

Vno ore pro summo consensu apud authores frequens est. Terentius, Vno ore omnes omnia bona dicere. Vno igitur omnium ore laudari dicitur, quem omnes laudent.

Ne Iuppiter quidē omnibus placet.

Prouerbiū signat, neminem inueniri, qui  
satisfaciat omnibus. Nam alijs alia probātur.  
Et, Tres mihi conuine propè dissentire vidē-  
tur Poscentes vario multum diuersa palato.  
Theognis. Neq; Iuppiter ipse, Siue pluat, seu  
non, vniciq; placet.

Si tibi amicum, nec mihi inimicum.

Plato in Theetæo. Si istud (inquit) tibi ami-  
cum Theodore, nec mihi est inimicū, quem  
admodum prouerbio dicunt: Hoc est, si tibi  
res placet, mihi nō displicet. Vtemur prouer-  
bio, quoties significabimus nos alienæ volun-  
tati obsequi.

#### IUDICANDI.

In quinq; iudicū ge-	Tenedius homo.
nibus situm est.	Tenedius patronus.
Panidis suffragium.	Manum ferulæ subdu-
Sus tubam audiuit.	ximus.
Auris Bataua.	Nouit quid album,
Quod iudex auro, id	quid nigrum.
aurum homini.	Purpura iuxta purpu-
Lydius lapis, siue He-	ram dijudicanda.
raclius lapis.	Amuffis alba.
Gnomon & regula.	Nullus delectus.
Emunctę naris, Muc-	Lesbia regula.
cosis naribus.	

Explanatio.

In quinque iudicium genibus situm est.

In quinque iudicium genibus situm est: hoc est in alieno arbitrio, siue iudicio res est posita. Nam antiquitus quinque iudicibus datum erat negocium, ut de comicorum fabulis pronunciarēt. Allusio est ad illud Homero frequens, In genibus sunt hæc sita diuūm. quo quidem utimur, quā significamus non esse nostræ facultatis præstare rei exitū; verū hūc superis, & fortunæ in manu esse.

Panidis suffragium.

In eos torquebatur, qui stulte, atque ierudite iudicarēt. Aiūt Panidē hūc Chalcidīs regem fuisse, qui Hesiodū, Homero prætulit, perinde quasi dicas, Midæ suffragiū, quod is quoque Panis agrestem cantionem anteposuerit Apollinis musicæ. In genere adagium cōueniet in iudicia vulgi, cui ferè semper pessima pro optimis placuerunt.

Sus tubam audiuit.

In eos quadrabit, qui res quidem egregias audiunt: verū eas, neque intelligūt, neque mirantur. Aut in eos, qui ijs, quæ audiūt, neque gaudent, neque commouentur. Equi, tubarū clangore ad bellum concitantur. Suem abigat citius, quā animet ad pugnam. Extat apud Suidam huiusmodi senarius. Asinus lyram, Sus audiit stolidus tubam.



## Auris Bataua.

Auris Bataua, pro agresti, ineleganti tetrica; apud Martialem legitur: Id'que epigrammarum libro sexto. Cui quantam fidem habere debeas, vide apud Erasmus, in huius adagionis enarratione. Vbi adagij originem discere poteris.

Quod iudex auro, id aurum homini.

Chilonis sententia ex multis est ista, In sacris coticulis aurum exploratur, euidentis praebens specimen. In auro vero proborum pariter & improborum ingenium deprehenditur. Verissima est ista sententia: hominis enim morum qualitatem diuitiae ostendunt. Illis nempe bonus utitur: malus abutitur.

Lydius lapis, siue Heraclius lapis.

In eos dicitur qui vehementer acri, exactoque iudicio sunt. Lydius enim, seu Heraclius lapis, cuiusmodi sit aurum atque argentum, manifestare perhibet, ut testis est Theophrastus, libro de lapidum natura: ex cuius verbis (ut docet Erasmus) satis liquet Lydium, siue Heraclium lapidem esse, quem latini indicem vocant: quo quidem aurum explorari consuevit.

Gnomon & regula.

Quod est in re quapiam praecipuum, & ad quod unum reliqua omnia conferuntur, id regula & gnomon vocabatur. Lucianus in Harmonide. Quod est caput omnis virtutis, gno-

mon (vt aiunt) & recta regula. Idē in Sectis.  
Hanc regulam & amullim certissimam rerū  
eiusmodi.

Emunctæ naris. Mucosis naribus.

Emunctæ naris dicitur, q̄ sit acris, exactoq;  
iudicio, quasi purgatis naribus, mucosque  
mūctis. Cōtrā, Mucosis, siue obesis naribus  
dicuntur, qui sint stupidiores.

Tenedius homo.

Plutarchus in adagionū collectaneis, ait  
dici solitū de homine tetrico, formidabiliq;  
aspectu. Vide originē in adagio, Tenedia bis  
pennis, Item apud Erasmus in huius adagij  
interpretatione.

Tenedius patronus

Eodem ē fonte profectū est & istud, diciq;  
solitum de eo, qui compendio causam expe-  
dit litisq; nodum ocyus soluit. Ductum q̄ a  
Tenedia securi, de qua iam dictum est.

Manum ferulæ subduximus.

Et nos manum ferulæ subduximus, id est,  
Nos quoque literas didicimus, & præcepto-  
rum opera sumus vsi. Nam antiquitus lite-  
ratores discipulorū manus ferula cædebant.  
Vnde manum ferulæ subduxisse dicuntur, qui  
desierunt in ludo literario versari, neque iam  
pueri docendi, sed utcunq; docti sunt.

Novit quid album, quid nigrum.

Duplicem in sententiā accipi potest, Aut

nouit discrimen recti, prauiq;: Aut nouit id, quod nemo vel indoctus ignorat. Nam euidentius est albi, nigriq; discrimen, q̄ vt quisq; non videat. Videtur esse tractū à priscis illis mortalibus, qui duos tantū naturales colores nouerant, album & nigrum.

Purpura iuxta purpuram diiudicanda.

Certissimum iudicium ex collatione nascitur. Vnde emptores mercaturi purpuram, ne fallantur alteram adhibent purpuram. Adagio fuerit locus, quoties negabimus infantiam, aut inscitiam indoctorum plenè deprehendi, nisi cum eloquentium & eruditorum scriptis conferantur.

Amussis alba.

Alba amussi, id est, nullo delectu, ac citra discrimen. Hinc sumptum, quòd amussis fabricorum funiculus non oblitus nullum discrimen facit: solet autem oblini, vt discrimen faciat. Effertur à nōnullis expresse magis adagium, hoc modo, In albo lapide alba linea. Diciturque vel in eos, qui nullo sunt iudicio: vel in stupidos, vel in eos, qui incertis probant, aut significant incerta.

Nullus delectus.

Nullum delectum significantes, hunc verficulum usurpant. Par honor, ignauoq; viro, & virtute valenti. Quo licebit vti si quando

significabimus nihil esse discriminis inter eruditum & impostorem: inter bene merentem, & male merentem: inter probum & improbum. Verba sūt Achillis apud Homerū stomachantis, quod sui ratio nō esset habita ab Agamēnone, quum esset omnium multo fortissimus.

Lesbia regula.

Lesbia regula, dicitur quoties præposita re, non ad rationem factū, sed ratio ad factū accommodatur. Et quū lex moribus applicat, non mores ad legem emendantur. Aut quoties princeps se populi moribus accommodat: & præceptor discipulorum moribus obsequitur, quū contra cōueniat plebem ad principis arbitriū vitā instituere. Itidem & discipulos ad præceptoris voluntatem mores formare. Huius adagij mentionem facit Aristoteles quinto moralium libro. Siquidē (inquit) infinitæ rei, infinita item regula. Quæadmodum plumbea Lesbiae ædificationis regula. Ad lapidis enim figuram, transmouetur, neque manet regula.

ALIA ALIIS PLACENT.

Felix Corinthus, at sententiæ  
ego sim Teneates. Suum cuique pulchrum.  
Quot homines, tot

Expositio.

Felix Corinthus, at ego sim Teneates.



Hoc vtemur, quoties in cōtentione duorum, non inficiabimur alterum per se præstantius: verū alterum magis arridere, placereq; animo nostro. Veluti si qs dicat, Fateor præceptorem vestrum doctissimū, sim tamen non sibi discipulus, vsurpet adagiū, Felix Corinthus, at ego sim Teneates. Tenea vicus quidam haud procul à Corintho nemorosus, & amoenus. Porro Corinthiorū opulentia insignis fuit.

Quot homines, tot sententiæ.

Terentiana est sententia, Quot homines, tot sententiæ. Cui similis est apud eundem & illa, Suus cuiq; mos est. Persius itē. Mille hominum species, & rerum discolor vsus. Velle suū cuique est: nec voto viuitur vno. Horatius. Tres mihi conuiuæ propè dissentire videntur, Poscētes vario multū diuersa palato. Adagiū sensum Euripides in Phœnissis latius explicuit, Cunctis (inquit) idem si pulchrū & egregiū foret: Nulla esset anceps hominibus contentio. At nunc simile nil: nil idē mortalibus, Nisi verba forsā inter istos cōcinūt: At re tamen, factisq; conuenit nihil.

Suum cuiq; pulchrum.

In eos, quibus sua, qualiacūq; sunt, tamen studio quodā magis, q̄ iudicio placēt. Huius adagiū mentio iam facta est, id' que sub titulo Philautia.

ERASMI ADAGIORVM  
ABERRANDI.

Quis aberret à ianua? Toto cælo erras.  
Tota erras via.

Enodatio.

Quis aberret à ianua?

Dicit solitū, vbi quis penitus aberrat à vero, totòq; fallitur iudicio. Vnde sumptum sit adagium, Erasmus nō plenè pronuntiat, sed ad doctorū iudicium refert, idq; post longā disceptationem. Vide ipsum Erasmum.

Tota erras via.

Prouerbiū est in eum, qui vehemēter aberrat. Translatū à viatoribus, qui nōnunq̄ ita solent aberrare à via, vt non sine dispendio quidem, tamen quò tendebant, perueniant: nōnunq̄ sic aberrant, vt longe diuertant. Vnde & exorbitare dicūtur, qui à vero aberrāt. Celebre habetur & illud apophthegma. Bene currunt, sed extra viam.

Toto cælo erras.

Eiusdem est sensus cū superiore. Metaphora ducta, vel à Phaëtontis, aut Cereris fabula: Vel à nauigātibus, qui cæli, syderūq; obseruatione, cursum moderātur: proinde naucleri quū vehemēter aberrant, in cæli parte longe diuersa, cynosuram imaginantur nōnunq̄, totòq; aberrant cursu. Tamen hic cæsum pro regione accipi potest: Vt apud Ho-

ratium. Cælum, non animū mutant, qui trās  
mare currunt.

OBSECVNDANTIS.

Ad digituli crepítum. Machæra.  
Lex & regio. Quum vterq; conces-  
dit alteri.

Explanatio.

Ad digituli crepítum.

Ad digituli crepítū obsecūdare dicis, qui  
facile obsequitur, obtéperátq;. Videtur autē  
hic gestus fuisse dominorū aliquid facile con-  
cedentium. Simile est illud de nutu & renu-  
tu Iouis, quod ex Homero citat Plinius in  
epistolis. Et nutu dicuntur efficere, qui minis-  
mo negotio rem conficiunt. Item ad omnes  
nutus obsequi, qui prompte morigerantur.  
Potest adagium (vt docet Erasmus) & in eos  
torqueri, qui arrogantius, fastuosiusq; iubent  
quippiam. Sumiturq; à gestu dominorum,  
seruis humiliter aliquod ministeriū innuētiū.

Lex & regio.

Admonet prouerbiū, seruiendū & obse-  
cundandū esse moribus regionis, in qua ver-  
feris. Zenodotus adscribit, vnicuiq; gēti, suas  
quasdam esse leges, & instituta viuendi. Quin  
hodie non patiora ingeniorū & morum dis-  
crimina. Ad ea, quoad fieri potest, accōmo-

dare sese, polypum'q; piscem imitari non minima prudentiæ pars est.

Non statuar læna in Machæra.

Prouerbiū meretriciū, quū negat scortū sui copiam facturū sese. Nā in capulis militarium gladiatorū, elephantes, ac leones imponi solent. At hi procūbentes inscalpuntur, siue ne lædant manum vtentis gladio: siue ne defringantur facile, si in pedes erecti fingerentur. Potest ad verecundiorē vsū detorqueri, vt si quis negans se per omnia morem gesturū, inseruiturū'q; pro libidine, dicat, Non statuar læna in Machæra.

Quum vterq; concedit alteri.

Quū omīssa contētiōne, vterq; alteri concedit, vsurpabitur illud ex Homeri Iliados libro tertio. Quin magis alteri in his rebus cedamus vterq; Tu mihi, cōtrā ego deīde tibi.

### CORRECTIO DICTI.

Corrigentis, quod dictum est ab alio.

Correctio dicti.

Expositio.

Corrigentis, quod dictū est ab alio. Vbi notabimus aliquē tanq̄ haud ex animi sententiā locutū, aut vbi quid dictum erit parū honestū, torquebimus illud ex Iliados 4. Sermonē hoc aliū potiorē adducere nosti.

Correctio dicti.



Dictum obscœnitus, & bonis viris reticēdū,  
aut absurdū dictū, hoc notabitur versiculo,  
qui est Iliados ɛ. Sermonem, quem nemo vir  
vnq̄ promat ab ore, Qui modo cognorit cor  
data, & sana profari.

COMMODOVM INTER  
VERSV M.

Alij sementē faciunt, Mazam pinsuit à me  
alij metent. pistam.

Elucidatio.

Alij sementem faciunt, alij metent.

Hoc prouerbij citra metaphorā etiam ad  
hunc modum enunciant, hoc modo, Alij la-  
borarunt, alij perceperunt emolumentū. His  
simillimum est illud Fabij dictū apud Lium,  
Q uā arborem conseruisset, sub ea legere aliū  
fructum, id indignū esse dicere. His congruit  
& Hesiodium illud, Atq; metunt ventrem in  
propriū, sudorem alienum. Consimili figu-  
ra dictū est à Diocletiano nōdū Cæsare, Ego  
apros occido, sed alter fruitur pulpamento.

Mazam pinsuit à me pistam.

De ijs dici solitū, qui sibi alienæ industriæ,  
alienorūmq; laborū laudem vindicant: & ma-  
gnam gloriam alieno labore partam, verbis  
in se transmouent. Maza cibi genus ex lacte  
& farina, fermè panis instar confectum.

rr. j.

Brasidas quidem vir bonus.

Multi'q; boni'q;

Explicatio.

Brasidas quidem vir bonus.

Brasidas vir bonus quidem ille, sed Lacedæmon multos habet præstantiores. In eos, qui se non modo primos, verumetiam solos existimant. Natum ex apophthegmate.

Multi'q; boni'q;

Adagiũ locum habebit, quoties aut testes, aut iudices, aut conuictores significamus idoneos, ac neutiq; reiiciendos. Translatum à ritu sacrorum, in quibus sacrificus rem diuinã facturus, dicebat, Quis hic? Dein qui aderãt, respondebant, Multi & boni. Atq; hæc partim ominis causã dicebantur. Oportebat enim in sacris bene ominata dicere, partim vt si quis esset sibi conscius admissi piaculi, discederet à mysterijs.

#### MVTANDAE SENTENTIAE.

Palinodiam canere.

commutandum.

Calculum reducere.

Imitabor Nepam.

Vetere vela. Funem

Reprehensio cogitatio-

reducere.

tionis.

Consilium in melius

## Enarratio.

## Palinodiam canere.

Palinodiā canere, est diuersum ab ijs, quæ prius dixeris dicere, atq; in contrarium vertere sententiam. Sumptum à Stesichori Lyrici poetæ factum: qui quum Helenam carmine vituperasset, oculis orbatus est. intelligēs autem Achille Helenæ iussu nunciante, cæcitatæ suæ causam, protinus palinodiam cecinit, Helenamq; prius vituperatam laudauit, atq; ita visum recepit. Palinodia autem vocabulum græcum, latine recantatio dicitur.

## Calculum reducere.

Calculum reducere, est mutare factum, cuius te poeniteat. Aut vertere consilium rei nõ satis commode institutæ. Translatum apparet, aut à ratiocinantibus, aut à ludo laterulario, In summa, prouerbij speciem habet, quæcunq; à calculis singuntur metaphore. Ut, Ad calculos vocare, pro eo, quod est, rationē inire & estimare. Et, Ad calculos reuerti, id est, redire ad rationē, ac respectū, cōsiliūmq;. Et, Mouere calculos, id est, proponere rationes. Et, Hic calculus accedat, id est, hoc momenti adiūgatur. Eadem ratione dicitur, Decedere calculum, & Detrahere calculum.

## Vertere vela. Funem reducere.

Vertere vela, est in diuersum mutare sentē

tiam, vitæq; institutum. Translata metapho-  
 ra à nauigantibus, qui cursus errorem veris-  
 velis corrigunt. Persius, Funem reducere di-  
 xit in quinta Satyra, pro eo, quod est, institu-  
 tum mutare in diuersum, Quæ dederam (in-  
 quit) supra, repeto, funemq; reduco.

Consilium in melius commutandū.

Siquando iubebimus mutare consilium,  
 vtpote scædum ac stultum: aut reprehende-  
 mus quippiam vt inconsulte factum, quadra-  
 bit illud Homericum, Quis tibi consiliū sub-  
 misit inutile tandem Diuorum: sanāmq; exe-  
 mit pectore mentem?

Imitabor Nepam.

Imitari Nepā dicitur, qui retrocedit, quiq;  
 consilium mutat. Prouerbialius erit, si tor-  
 queatur in eum, qui in deterius vsq; degene-  
 rat. Nam Nepa Afrorum sidus, appellatur cā-  
 cer: vel (vt quidam putant) scorpius, qui &  
 ipse retrogradus est.

Reprehensio cogitationis.

Quum ipsi reprehēdimus animi nostri cō-  
 siliū, aut cogitationem parū honestā, aut pa-  
 rū utilē, vsurpabimus illud ex Homero, Sed  
 mihi quur animus secū hæc ī pectore versat?

#### MVTATI INSTITVTI.

Nuces relinquere. Longū valere iussit.



Rudētes & remos cū Marítimus quum sis,  
 armis cōmutauit. ne velis fieri terre  
 Pro elegāti medico, stris.  
 malus poēta. Subito alius.  
 De calcaria in carbo- Vlysses pannos exuit,  
 nariam. Sui dissimilis.

A Dorio ad Phrygiū.

Explanatio.

Nuces relinquere.

Nuces relinquere, est omissis studijs, ac nu-  
 gis puerilibus ad grauiora magisq; seria con-  
 uerti. Trāslata metaphora, vel à vetusta nu-  
 ptiarum cerimonia, in quibus sponsus vxor-  
 em ducens, nuces spargebat, vtpote iam  
 pueritiæ renūcians. Vel à puerorum lusibus,  
 qui nucibus peraguntur. Nam talis, ac nuci-  
 bus olim lusitabant pueri, quemadmodum  
 & nostris temporibus. Proinde ad hanc pro-  
 uerbijs formā pertinebunt & illę figurę, Nunq̃  
 à nucibus recedere: Redire ad nuces: Nuces  
 obijcere: Nuces intermittere: Nucibus indul-  
 gere: Nuces repetere &c.

Longum valere iussit.

Rem à qua nos abdicamus, ei renūciare dis-  
 cimur, ac lōgum valere iubere. Sumpta me-  
 taphora ab ijs, qui discedūt diutius abfutur-  
 i, seu nunq̃ redituri.

Rudentes & remos cum armis  
 commutauit.

rr. iij.

Conueniet vbi quis artem, aut quæstum solitum relinquit, glorię cupiditate commotus. Veluti si quis è naua fieret miles: è negociatore sacerdos.

Pro eleganti medico, malus poëta dici cupis.

In eum dici solitum, qui non contentus artis suę professione, in qua locum mediocre obtinebat, pergit aliena profiteri, in quibus non perinde sit exercitatus, nec parem proinde gloriam reportaturus. Sumptum à Perianthro quopiam celebri medico, qui ad Poëtices studium conuersus, ineptos quosdam versiculos scribere cœpit.

De calcaria in carbonariam.

De calcaria in carbonariam decurrere dicitur, qui à re proposita ad aliud quippiam longe diuersum digreditur.

A Dorio ad Phrygium.

Adagio locus est, vbi quis à temperantiorum vita ad luxum conuertitur, Aut à fortuna mediocri ad maiorem strepitum. Sumptum à notis illis veterum harmoniarum generibus, in quibus Dorium moderatum erat. Lucianus in harmonide. Vniuscuiusque harmoniæ feruare proprietatem, Phrygię impetum, Lydię furorē, Doricę seueritatē, Ionicę iucunditatē.

Maritimus quum sis, ne velis fieri terrestris.

Admonet non mutādam conditionem, ne in melius quidem: verum vnicuiq; tuendum id vitæ genus, ad quod vel institutus à natura videtur: vel in quod casu incidit. Sumptū ex Apologo huiusmodi. Cancer quidam relicto mari, cepit in agro quodam pasci. Ibi forte conspectus à vulpe, protinus arreptus ac deuoratus est. Itaq; periturus sero deplorauit stultitiam suam, quod marini generis quum esset, ad terrestrium animantium partes deisciscere voluerit.

Subito alius.

In hominem repente mutatum conueniet Homericum illud, Hospes nunc alius mihi, q̄ dudum esse videris.

Vlysses pannos exuit.

Homericum est & istud, Vilibus at pannis mox est exutus Vlysses. Accommodare licebit ijs, qui genere vitæ subito commutato, è pauperibus diuites, è squalidis nitidi, è tristibus hilares existunt. Nā Vlysses apud Phæaces simulatq; pannis suis exutus, magnificis vestibus ornatus esset, repēte vilus est alius. Plutarchus torquet in adulatorē, qui Polypī more omnium studijs sese accommodat.

Sui dissimilis.

In sui dissimilem quadrabit illud ex Odysseæ p. quod de Pallade dixit Vlysses. Nunc alio, nunc rursus alio sis obuia vultu.

rr. iiii.

## FORTVNAE COMMVTATIO.

Testulae trāsmutatio.	Iterū tranquillitatem
Alia vita, alia diæta.	video.
Nunc pluit, & claro nūc Iuppiter æthe- re fulget.	Vbi nō sis qui fueris, non est, quur velis viuere.
Cū deo quisq; & gau- det & flet.	Ad pristina præsepia. A remo ad tribunal.
Ipsa dies quādoq; pa- rens, qñq; nouerca.	Dionysius Corinthi.
Omniū rerum vicissi- tudo est.	Nemo mortaliū om- nibus horis sapit.
Res ī foro nostro ver- titur.	Bona nemini hora est &c.
	Osculana pugna.

## Explanatio.

## Testulae transmūtatio.

Dicitur de rebus repente in diuersum mutatis. Lucianus in Apologia. Deinde oblitus omniū, testula (vt aiunt) transmūtata, volens ipse semet in seruitutē vsque adeò manifestariam & insignem coniecit. Incertum (inquit Erasmus) vtrum sumpta sit metaphora à ludī genere quodā, quem ostracinda Græci vocant: Vide Erasmus.

## Alia vita, alia diæta.

In eos, qui cōmutata in melius fortuna, pariter & vitæ rationem, morēsque commutant. Translatum ab ijs, qui lautius incipiūt viue-



te, ubi res lautior obtigit.

Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter  
æthere fulget.

Proverbium significat, non omni die bene esse posse, sed isto bene, atque alio male. Aliquando res aduersas esse, aliquando secundas: quemadmodum cælum nunc serenum est, & placidum: nunc turbidum, ac tempestuosum.

Cum deo quisq; & gaudet & flet.

Versiculus est apud Sophoclem in Aiace flagellifero, quæ vertit Erasmus ad hunc modum: Deo volente, quisq; ridet atq; flet. Admonet autem rerum humanarum celerem esse commutationem, neq; in nobis situm, ut res perpetuo secundæ sint, verum utcumq; fortunæ lubrum fuerit, ita vel secundis rebus attolimur, vel aduersis affligimur.

Ipsa dies quandoq; parens, quandoq; nouerca.

Eundem sensum cum illo habet, Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter æthere fulget. Inde translatum, quod matres bene volunt liberis, nos ueræ oderunt priuignos.

Omniū rerum vicissitudo est.

Hæc Terentij sententia significat in rebus mortalium nihil esse perpetuum, nihil stabile: sed omnia velut æstuario quodam fluxu, refluxuq; decedere, atq; accedere. Atq; his vicibus fortune ab alijs ad alios transferuntur imperia,

opes, gloria, voluptas, eruditio: deniq; quicquid est, aut commodorū, aut incōmodorū.

Res in foro nostro vertitur.

A Plauto prouerbialiter dictum est, Vbi es gomet video rem verti in meo foro: id est, postea q̄ intelligo fortunas nostras cōmutari in diuersum. Traductū à mercatibus, in quibus rerum pretium, pro tempore sæpe numero commutatur.

Iterum tranquillitatem video.

Hoc prouerbio significamus è malis emergere, fortuna in melius cōmutata. Sumptū à nauigantibus, quibus conquiescente procella, grata solet esse tranquillitas.

Vbi non sis qui fueris, non est, quur velis viuere.

Sentētia est, quam Cicero in epistola quadā prouerbij vice citat. Quod quidē prouerbium sumptū est à cōmuni mortaliū affectu, qui nihil minus tolerandum putāt, q̄ vt inter eos neglecti, aut etiā notati viuāt, apud quos aliquando cū splendore, atq; autoritate sint versati. Aded vt exilium vbivis præoptēt potius, aut etiam è vita decedere, q̄ mutatæ fortunæ pudorem perpeti.

Ad pristina præsepia.

In eos dicebatur, qui è vita quapiā lautiore excussi, ad pristinā tenuitatē redigerentur, Aut contra de ijs, qui restituuntur in pristinā

fortunam, vnde exciderāt: Aut in eos, qui ad solitū contuberniū sese recipiūt. Translatū ab animātibus, quibus nota, familiariaq; præsepiā gratissima solent esse.

A remo ad tribunal.

In eum, qui repente ab infima conditione ad honestioris prouinciæ administrationem prouectus sit.

Dionysius Corinthi.

Prouerbialis allegoria, qua significamus aliquē è summa dignitate, atque imperio, ad priuatam, humilēmq; redactum fortunam: quemadmodū Dionysius Syracusarum tyrānus expulsus imperio, Corinthi pueros, literas, ac musicam mercede docuit.

Nemo mortaliū omnibus horis sapit.

Sensus vel citra interpretem liquet, nempe neminem esse, qui non aliqua parte vitæ desipiat, ac peccet. Porro stultitiæ comes est infelicitas, Aut certe si quod incidit infortunium, id stultitiæ solet imputari. Eodem pertinet & illud, Alius de alio iudicat dies: supremus de omnibus.

Bona nemini hora est, qn̄ alicui sit mala.

Ita fortuna temperauit res mortalium, vt quod huic lætū est, alij pariat dolorem: quod alij lucro est, alij damnū adferat. Nemo dicitur nisi malo alterius. Nemo vincit in bello, nisi exitio alterius.

Osculana pugna.

Dicitur, quoties victi vincunt. Inde natū,  
quòd Valerius Leuinius imperator, prius à  
Pyrrho victus, paulo post eūdem regem des-  
uicerit.

AMICITIA.

Amicorum cōmunia omnia.	farius, quàm ignis & aqua.
Amicitia stabilitū, felī- citas temperantiū.	Salem & mensam ne prætereas.
Ama tanq̄ osurus.	Intempestiua beneuo- lentiā nihil à simul-
Amantium iræ.	tate differt.
Mores amici noueris, non oderis.	Non sunt amici, amī- ci q̄ degūt procul.
Nouos parās amicos, ne obliuiscere vete- rum,	Multas amicitias silē- tium dīremit.
Nō potes Tethydem simul & Galatæam amare.	Abijt & taurus in syl- uam,
Vnus deus, & plures amici.	Vbi amici, ibi opes. Vsq; ad aras amicus.
Neq; nulli sis amicus, neque multis.	Fidus amicus. In ære meo est.
Amicitia æqualitas, Amicus alter ipse.	Conciliant homines mala.
Amico amicus.	Cum amico non cere- tandū æmulatione.
Amicus magis neces-	Queruli in amicitia.



Felicitas multos habet amicos.	Viri infortunati procul amici.
Feliciū multi cognati	Plures adorant solem oriētem, quā̄m occidentem.
Amicus certus in re incerta cernitur.	
Ollae amicitia.	

## Explicatio.

## Amicorum cōmunia omnia.

Prouerbiū & saluberrimū & celebratissimum, significans res amicorū cōmunas esse. Id quod & Euripides sentit in *Andromacha*, Nam verē (inquit) amicis proprium prorsus nihil, Sed inter ipsos cuncta sunt cōmunia. Terētius in *Adelphis*. Nam vetus quidē hoc verbū, Amicorū inter se cōmunia esse ōnia.

## Amicitia stabilium, felicitas temperantium.

Signat amicitia virtute, non pecunijs, aut forma conciliandā esse. Etenim si rebus caducis concilietur, caduca sit & ipsa necesse est. Nihil autem in rebus humanis stabile, præter vnam virtutē, quæ sola fortunæ ludibrijs obstoxia non est. Deinde felicitas hominis non est in facultatibus sita, quæ animi cupiditatē non explent, sed irritāt, verum in hoc, vt suā quisq; fortunam boni consulat.

Ama tanq̄ osurus, oderis tanq̄ amaturus.

Biantis fertur esse sententia: quæ quidem

authore Cicerone ad tollendam amicitiam valet, Quoniam enim modo (inquit) quisquam amicus esse poterit, cuius se putabit inimicum esse posse? Hanc Biantis sententiam refellit corrigitque Aristoteles in Rhetoricorum libris. Non est amandum (inquit) quasi sis osurus, quemadmodum aiunt: sed ita exercendum odium, tanquam sis aliquando amaturus. Et paulo inferius sic ait. Oportet amare, non quemadmodum aiunt, sed tanquam semper amaturus. Biantis sententiae respondet ille Mimus Publilianus, Ita amicum habetas, posse ut fieri inimicum putes. Et alius, Ita crede amico, ne sit inimico locus.

Amantium irae.

Vsurpatur, ubi qui non ex animo indignantur inuicem: Aut de iracundia ne utique duratura. Terentius in Andria, Amantium irae, amoris redintegratio est. Et iuxta Graecorum sententiam, Pusillo amantum durat ira tempore.

Mores amici noueris, non oderis.

Admonet in amicorum moribus quaedam vitia dissimulanda, sic ut intelligantur quidem, sed tamen tolerantur, ne seuerior & oculatio in obseruandis amici malis, subuertat amicitiam. Atque id praecipit locum habebit in leuioribus morbis, non in his quae ad famam, aut ingens periculum pertinent amicorum.

Nouos parans amicos, ne obliuiscere veterum.

Sensus liquet. Torqueri potest & ad mus-  
tata studia, ad quæ conuenit nonnunq̄ respicere,  
etiam postea quàm diuersæ te addixeris  
disciplinæ.

Non potes Tethydem simul & Ga-  
latæam amare.

Id est, non potes idem diuersa sequi, velut  
litteras & pecuniam: voluptatem & gloriam:  
mundum & CHRISTVM.

Vnus deus, & plures amici.

Admonet q̄ plurimos esse parandos amie-  
cos: quod ij, secūdum deum, plurimū opitu-  
lari possint. A vulgo, nō authoribus sumptū.

Neq; nulli sis amicus, neq; multis.

Diuersam à superiori sententiã habet He-  
siodi carmen istud, Nec multis, at nec nulli  
dicaris amicus. Signat autem prorsum citra  
vllius amici consuetudinem viuere, serinum,  
atque iniucundū esse, Rursum nec vehemen-  
ter nos amare posse simul multos, nec pluri-  
bus morem gerere.

Amicitia æqualitas. Amicus alter  
ipse.

Hoc ad Pythagorã referunt: quod signat  
amicitiã æqualitatē esse, & eandem animã,  
& amicum alterum ipsum. Neq; enim quicq̄  
non cōmune, vbi fortunarū æqualitas: neque  
dissentio, vbi idem animus: neq; diuortium,  
vbi coagmentatio duorum in vnum.

## Amico amicus.

Sumptum ex Terētiō in Phormione, vbi sic legitur, Solus est homo amico amicus. Quadrabit in eos, qui nullū officiū refugit. modo gratū faciāt amicis. Euripides in Medea. Beneuolā amicis rursus asperā hostibus.

Amicus magis necessarius, quā  
ignis & aqua.

Hyperbole prouerbialis, admonens neminem esse tam diuitē, aut potentē, quin opus habeat amicorū officijs. Quēadmodū enim citra ignem & aquam non cōstat hominū vita, ita nec sine cōsuetudine, atq; opera familiarū, quos ob idipsum Latini vocant necessarios. Innuit adagiū duo quædā maxima cōmoda colligi ex amicitia, voluptatē & vsum. Nilul est enim neq; iucundius igni, neq; vtilius aqua.

Salem & mensam ne prætereas.

Hoc est, ne negligas amiculorū consuetudinem, Aut ne violes amicitie iura. Nam his rebus olim cōciliabātur amici. Et familiares antiquitus mutua inter sese cōuiuia actitabāt.

Intempestiua beneuolentia nihil à similitate differt.

Græcorū Senariū prouerbialis sic habet traductus. Par odio importuna beneuolētia. In eos, qui dum officiosi student esse, nō habita tēporis ratione, nocent, aut molesti sunt



sedulitate. Veluti qui non apto tempore ob-  
iurgāt amicum, aut qui immodicis & intem-  
pestiuis laudibus conciliant homini inuidiā,  
Aut pecuniam suppeditant adolescenti, qua  
fiat deterior.

Nō sunt amici, amici q̄ procul degūt.

Paroemia signat vulgo fieri, vt simulatq; ē  
conspectu necessariorū seiuncti sumus, nescio  
quo modo obrepat obliuio quædam familia-  
rium: vt id iam omnibus in ore sit, Qui semo-  
tus sit ab oculis, eundem ab animo quoq; se-  
motum esse.

Multas amicitias silentium diremit.

Admonet adagiū, assiduo conuictu, ac fre-  
quentibus alloquijs, necessitudines & amicitia  
as ali, intermissione & absentia dissolui.

Abijt & taurus in syluam.

Allegoria subturpicula, significās diuortiū,  
ac neglectum veteris amicæ. In vsum verecū-  
diorem trahetur, hoc modo, Si per iocū ac-  
commodabitur ad eos, qui pristinos amicos  
negligere videntur, & à familiarium, congers-  
tonūmq; grege dissuescere: Aut in illos etiam,  
qui à solitis desciscunt studijs, diuersūmq; vi-  
tæ sequuntur institutum. A tauris sumptum,  
qui nonnunq̄ à vaccarum armentis secedūt,  
& aut reliquis aggregātur tauris, aut solita-  
rij per nemora vagantur, nullo foeminarum  
desyderio tacti.

ff. j.

Vbi amici ibi opes.

Plautus in Cruento, Vbi amici, ibidē opes.  
Sēsus est, potiores esse amicos, q̄ pecuniam;  
& ad vitæ præsidium plus habere momenti  
amicos citra pecuniam, q̄ absq; amicis opes.  
Hinc apud Scythas, is habebatur ditissimus,  
q̄ certissimos & optimos amicos possideret.

Vsq; ad aras amicus.

Quū Periclem amicus quispiam rogaret,  
vt in causā quadam, sua gratia falsum deierat  
ret, respondit, Oportet me commodare amicis,  
sed vsq; ad aras. Admonet prouerbiū  
nonnunq̄, quo consulamus amicorū commo-  
dis, eorūq; voluntati morem geramus, fas  
videri, paululum à recto deflectere. Verū eas  
tenus, ne propter hominem amicum numis-  
nis reuerentiam violemus. Olim furantes, a-  
ram manu contingebant.

Fidus amicus

Fidus amicus non est posthabēdus germa-  
no. Vnde Homer⁹. Siquis forsan amicus sit,  
gratūsq; bonūsq; Quandoquidem is non in-  
ferior vel fratre putandus.

In ære meo est.

Quem nobis officijs obstrictum significa-  
mus, ita vt iam totus, certōq; noster sit, eum  
in ære nostro esse dicimus. Nam antiquitus  
omnis pecuniā ærea erat, auri vsu nondū re-  
perto in feriendis numismatis.

Conciliant homines mala.

Admonet, ex hostibus nonnunquam amicos fieri, propter malum aliquod incidens utrisque commune. Huc quoque deflecti potest, ut dicamus indoctum fauere indocto, infantem infanti, nepotem nepoti. Neque enim solum bonarum rerum similitudo conglutinat necessitudinem: verum etiam ex malis communibus saepe numero mutua nascitur benevolentia. Amant ferè inter se, qui simul fecere naufragium: qui militarunt una: qui simul capti fuerunt ab hoste: denique qui corporis, aut animi morbis iisdem laborant.

Cum amico non certandum æmulatione.

Idem admonet & Homericum carmen istud. Quis namque benigno cum hospite pugnet? Locum etiam habuerit, ubi dicemus hospitis esse munus, cedere ijs, apud quos diuersatur, etiam si possit vincere. Vnde idem ait. Vir siquidem vecors est ille, nec unius assis, Quisquis ad euentum certaminis euocat illum, Quem per nos hospitio fruitur, tectoque iuuatur.

Queruli in amicitia.

Qui queruli sunt in amicos, non sunt ad amicitiam idonei. Connuere ad amicorum vitia, hæc res & iungit, iunctos & seruat amicos.

Felicitas multos habet amicos.

Sententia liquet. Adagium simillimum illi, Felicibus cognatus est, vel quilibet. Quandoquidem ubi opes, ibi amici. Vulgus enim

ff. ij.

(inquit Naso) amicitias vtilitate probat.

Felicitum multi cognati.

Superiori simillimum. Id hodiéq; vulgo dicunt, locupletum plurimos esse cognatos,

Amicus certus i re incerta cernitur.

Ennianus est senarius: quo significatú est, amici fidem in rebus aduersis explorari. Nã quod cum periculo coniunctum sit, id dubiú appellant, pro quo Ennius posuit incertum.

Ollæ amicitia.

Quadrabit in amicos istos vulgares, quos patina, non beneuolentia cõciliat. Hos arcanae literæ, mensæ amicos nominant.

Viri infortunati procul amici.

Non illi dissimile, Mendico ne parêtes quidem amici, de quo iam dictum.

Plures adorant solem orientem, quàm occidentem.

Hoc est iuueni magis adhæretur, quàm seni. Olim Ægyptij, Osyridis nomine, Græci Apollinis, Alij alijs atq; alijs nominibus solé orientem salutabãt religionis causa: sed pauciores occidentem.

## ADVLATIO.

Pithon formosus.

Cura esse, quod audis.

In ostio formosus.

Demulcere caput.

Refutãtis laudem immodicam.

Cauda blandiri.

Benignior pellace vulpe.



Letale mulsum.

χεκρόλογος.

lo pæam.

Ipse semet canit.

Pulchre dixit: Belle  
narras.

Expositio.

Pithon formosus.

Conueniet, vbi quis per adulationem falso  
laudatur. Pindarus in hymnis. Formosus Pi-  
thon semper apud pueros formosus. Súptū  
à pueris adulantibus simiæ, subinde dictanti-  
bus, Formosus Pithon.

In ostio formosus.

De ijs qui adamantur, vulgòq; gratiosi ha-  
bentur. Sumptum à veterum more, qui for-  
mosorū, aut amassorum nomina, arboribus,  
folijs, ac parietibus inscribebant.

Refutantis laudem immodicam.

Nullum ego sum numen: quid me immor-  
talibus æquas? Carmē est Homericum, quod  
Plutarchus monet semper habendum in prō-  
ptu, tanq̄ Pharmacum aduersus venenum ad-  
ulationis: aut vbi quis nos magnificentius,  
q̄ pro merito laudat.

Cura esse, quod audis.

Ex Horatio sumptum. Conuenit in princí-  
pes, & diuites, qui ita demū felices fuerint, si  
id studeāt esse, quod audiūt ab adulatoribus.

Demulcere caput,

Demulcere caput, allegorice sumitur pro  
blandiri. Sumptum ab adulantium gestu. In  
ff. iij.

eundem sensum vsurpauit Lucilius scabere caput: Hic vbi (inquit) me videt subblanditur, palpatur, caput scabit.

Cauda blandiri.

Cauda blandiri, est spe commodi cuiusdam adulari. A canibus sumptū, cauda pabuli gratia adblandientibus.

Benignior pellace vulpe.

Dici cōsuevit de eo, qui commodi sui causa simulat benevolentiam.

Letale mulsum.

In perniciosam adulationem dici solitum. Diogenes formosa scorta, vocabat letiferum mulsum. Poterit torqueri & in assentationē, in fœdas voluptates: breuiter quicquid ita incundum est, vt idem sit perniciosum. Eodem sensu dicimus, Melle litum gladium, & Mellitum venenum.

χερσόλογος.

In eū cōuenit, qui quidem probe loquitur, sed improbe facit: q̄ videlicet per blādiloquentiā, ac benedicentiā seducit corda innocētū.

Io p̄æan.

Acclamatio prouerbialis, qua vtuntur re gnauiter & feliciter peracta: cui non dissimile videtur illud apud Latinos, Macte virtute. Vt de adagij originem apud Erasmū. Ouidius, Dicite io p̄æan, & io bis dicite p̄æan: Decidit in casses p̄æda petita meos.

*Ipse semet canit.*

Hoc est, ipse cuiusmodi sit, factis ipsis declarat. Hinc sumptū, quod tibicines olim laudes fortium virorum decantabant. Adagium in vtrālibet partem poterit applicari, bonam, vel malam. In bonam: Nihil huic opus tibicine, q̄ suis egregie gestis, sat illustris est. In malam: Nihil opus huius vitam infectari, satis per se foedam, atq; infamem.

*Pulchre dixti. Belle narras.*

Ironicae sunt locutiones, passim in comœdijs obviae, de re dictu vehementer absurda.

### A M O R.

Cestū habet Veneris.	Adamantis tenere.
Cauius amor.	Paruus semper tuus
Ex aspectu nascitur amor.	pullus.
	Aureæ compedes.

*Explanatio.*

*Cestum habet Veneris.*

Cestū Veneris habere dicitur, q̄ nouis modis quemlibet in amorē sui pellicit. Sūptū ex Homericæ Iliados 3. Quo loco Iuno cū suo Ioue concubitura, Venerem adit, atq; ab ea cingulum, gratiarum & amorum conciliatorum commodato petit.

*Cauius amor.*

De foedo amore dicebatur: aut vbi quis ea  
fl. iij.

desyderaret, quæ neq; fas esset concupiscere,  
neq; liceret assequi. Biblis Caunū fratrem im-  
potenter adamauit, à quo quum esset repul-  
sa, sibi necem consciuit.

Ex aspectu nascitur amor.

Amor ex videndo nascitur mortalibus. Se-  
narius est prouerbialis, admonēs, oculos amo-  
rem potissimum cōciliare. Non enim amatur  
incognitū: ex conuictu oritur amor mutuus.  
Et oculi præcipue sunt ad amādum illices. In  
his enim peculiaris animi sedes. Et in his aiūt  
poëtæ Cupidinē excubātem sua iacula mitte-  
re. Maro indicauit adagium, Vt vidi (inquit)  
vt peris, vt me malus abstulit error. Quapro-  
pter piorū hominū est meminisse, haudquaquam  
esse tutū videre, quod non licet cōcupiscere.

Adamantis tenere.

In eū qui tenere diligit quempiam, vel ada-  
mat magis, ita vt non patiatur, vel leuissimis  
incommodis à quoq; affici, torquebitur illud  
Homicum, Nō secus atq; genitrix Muscam  
arceat puero somno officiosa cubanti.

Paruus semper tuus pullus.

Vsurpatur, vbi quis ob stature breuitatem,  
diu puer videri cupit. Et in hos cōueniet, qui  
tametsi natiu grandiores, tamen verborū des-  
licijs affectāt videri iuuentuli. Aut quum ob  
amorem, Cascus Cascam puppam vocat: &  
ipse vicissim puppus audit.



## Aureæ compedes.

Per aureas compedes, seruitus splendida & amabilis intelligitur: qualis est Aulicorum vita. Diogenes in epistola quadã scribit Ari<sup>o</sup> stippum, in aula regia teneri aureis compedi bus, ne posset auolare. Itidem amicã formo<sup>s</sup> sam, vocant aureas compedes.

## P Y T H A G O R A E S Y M B O L A .

Ne gustaris, quibus nigra est cauda.

Hoc est, ne cõmerciũ habeas cum impro<sup>b</sup>is, & ijs, qui sunt nigris, ac infamibus mori<sup>b</sup>us. Quidam referunt adagiũ ad septiam pi<sup>s</sup>cem, qui atramento, quod in cauda gestat, semet occultit.

Stateram ne transilias.

Hoc est, Ne qd facias præter ius & æquũ. Statera olim æquitatis symbolum erat.

Chœnici ne insideas.

Id est (interprete diuo Hieronymo) de vi<sup>s</sup>ctu ne fueris sollicitus in diem crastinum. Est enim Chœnix dimensum, & cibus diurnus. Plutarchus longe diuersius interpretatur, nẽs pe non indulgendũ ocio, sed industria prospiciendũ victum, ne desit in posterum. A Plu<sup>t</sup>tarchi interpretamẽto nõ abhorret illud Pau<sup>l</sup>l<sup>i</sup> apostoli, Qui non laborat, non manducet.

Ne cuius porrigas dexteram.

Ne temere quemlibet in familiaritatē admittas, sed deligas, quem diligas.

Arctum anulum ne gestato.

Id est, Ne vixeris anxie: Et ne temet in seruitutē coniscias, aut in eiusmodi vitæ institutū, vnde te nō queas extricare. Angustus nāq; anulus quodāmodo vice vinculorum existit.

Ignem ne gladio fodito.

Id est, ira percitum ne laceffas, quin magis concedere conuenit, & blandis verbis tumidum animū placare. Laërtius exponit, potētium & ferocium iracundiam, non esse conuictijs prouocandam. Propterea quòd flamma, quo magis exagitur, hoc magis atque magis inualefcit.

Cor ne edito.

Id est, ne curis tuum ipsius animū excrucies, aut ne sollicitudinibus vitā reddas breuiorem. Cor, fons est omnium sensuum, vitę & sanguinis.

A fabis abstineto.

Hoc est, abstine à tractādīs reipublicæ muneribus. Antiquus in creandis magistratibus, suffragia per fabas vice calculorū ferebātur.

Cibum in matellam ne immittas.

Ne sermonem vrbānum immittas in animum hominis improbi. Oratio, cibus animi: qui corrūpitur & putrescit, si in animū insyncerum inciderit. Horatius. Syncerum est nisi

vas, quodcunq; infundis, acescit.

Ad finem ubi perueneris, ne velis  
reuerſi.

Quum aderit fatalis dies, videris 'que vite  
finem adesse, æquo animo feras, neque turpi  
vite cupiditate exanimeris.

Per publicam viam ne ambules.

Ne vulgi sequaris errores. Nunquam enim  
tam bene cum rebus humanis actum est, vt  
optima plurimis placuerint. Quidam sic esse  
runt, Viam regiam declinato, per semitas in-  
greditor.

Tollenti onus auxiliare, deponenti  
nequaq̃.

Ad virtutem incedenti auge præcepta, tra-  
dentem se ocio relinque.

Ollæ vestigium in cinere turbato.

Nullum euidentis iracundiæ vestigium relin-  
que. Monet, omnem præteritorum malorum  
memoriam penitus tollendam esse.

Vnguium criniumq; præsegmina ne  
commingito.

Hoc est, affines, cognatosque humiles ne  
spernito, ne contumelijs insectator.

Extra publicam viam ne deflectas.

Monet loquendum vt plures, sapiendum vt  
pauci. Quædã rursus esse, in quibus cū vul-  
go conuenire vtile sit.

Quæ vncis sunt vnguibus ne nutrias.

Monet, rapaces fugiēdos, velut principes rerum populi deuoratores.

Aduersus solem ne loquitor.

Id est manifestis ne repugnes. Quod maxime manifestum est, id sole clarius dicunt.

Gladium acutum auertas.

Erasmus opinatur monere, à periculosis negocijs abstinendum.

Aduersus solem ne meijto.

Ne quid contra verecundiam agas.

Hirūdines sub eodē tecto ne habeas.

Abstine à commercio garrulorum, & surronum, hæc est diui Hieronymi interpretatio. Verum (vt alijs placet) hoc dicto Pythagoras monet, conuictorem ingrātū, parūmq; firmū ablegandum. Vide Erasmm.

Stragula semper conuoluta habeto.

Commendat verecundiā, etiam his in rebus, quibus cogimur naturæ necessitati satisfacere. Inelegans enim, & inurbanū habetur, si quis stragula lecti non componat.

In anulo, dei figuram ne gestato.

Fortassis admonet, non passim admiscendam dei mentionem.

Sellam oleo ne absterferis.

Erasmus arbitratur significari, nō esse abutendum rebus optimis ad ea, quibus neq; dignæ videntur, neq; vtilis.

Coronam ne carpito.



Diuus Hieronymus interpretatur, vrbū leges obseruādas esse, non violandas, neque reprehendendas.

Quæ deciderint ne tollito.

Admonet, vt assuescamus moderatius cibum sumere.

A gallo candido abstineas.

Mensi sacer gallus, vtpote horarum nuncius, ideo ab hoc abstinendū monet.

Panem ne frangito.

Admonet, non esse dirimendam amicitia. Antiquitus amicitia pane conciliabatur. Non igitur conuenire frangi id, per quod amici cōglutinarentur.

Salem apponito.

Hoc est, Iustitiam & æquitatem negotio adhibe. Quicquid sal occupauerit, seruat; & ex rebus purissimis cōstat, aqua & mari.

In via ne seces ligna.

Hoc est, ne discrucia & abbreviā vitā curis, & anxijs cogitationibus.

Ne libaris dijs ex vitibus non amputatis.

Significat nihil gratum superis esse, quod non sit purum, purgatūque.

Ne sacrificio sine farina.

Morum mansuetudinē commendat.

Adorato circumactus.

Quid significet non explicat Erasmus.

Adoraturi sedeant.

Significat vota certa concipere oportere,  
& in his quæ sunt optima, perseuerare.

Surgens è lecto, vestigiū corporis  
confundito.

Videtur idem significare cū superiore, De  
fragulis compliscandis.

A piscibus abstineto.

Pythagoras (si Plutarcho credimus) non  
probat piscium esum, partim quòd res cum  
iniustitia coniuncta videretur, persequi, occi-  
dere, vorare animal, quod ipsa natura nullo  
pacto lædat hominē, aut lædere possit. Dein-  
de quòd non ad necessitatē, sed ad luxum, su-  
peruacancamq; gulæ voluptatē pertineat pis-  
cium esus. Aliam causam adducit alius quise-  
piā, propter quam Pythagoras esum pisciū  
interdixerit, nempe quòd pisces quodāmo-  
dò Pythagoricæ disciplinæ contubernales vi-  
deantur, id que propter silentium: ita vt etiā  
in prouerbium abierit, Magis mutus, q̄ piscis.

### TEMPERANTIA.

Zenone moderatior.

Expositio.

Zenone moderatior

Qui sit temperatissimus, Zenone temper-  
atior, siue moderatior dicitur. Sumptum à  
Zenone philosopho, qui perhibetur, tum in

victu, tū in voluptatibus venereis fuisse vſ-  
 que adeò patiens, ac parcus, vt crudis dūnta-  
 xat veſceretur, ac pallio prætenui tegetetur.  
 Vnde & Philemon in comœdia taxat homi-  
 nem, qui poſt panē, obſoni loco, carycis vte-  
 retur, aquam vini loco biberet, ac diſcipulos  
 eſuriam doceret.

INTEMPERANTIA, LIBIDO.

Myconius vicinus.	Corinthiari.
Vnico digitulo ſcalpît caput.	Lydus in meridie. Lydus cauponatur.
Tibicinis vitā viuîs.	Pepones.
Samiorum flores.	Adonidis hortî.
Voluptas ſœda,	Agathonia cantio.
Melle temetiſum p- ungis.	Phicidiſſare. Sinopiſſas.
Samiorum laura.	Caprarius in æſtu.
Sardanapalus.	Lentiſcum mandere.
Vale charum lumen.	Peniciſſare.
Leſbiari.	

Explanatio.

Myconius vicinus.

In eum, qui haud vocatus ad conuiuium  
 accedit. Hoc ſiquidem nomine Myconios no-  
 tauit antiquitas, quòd liguritores eſſent, &  
 alienæ appetentes menſæ.

Vnico digitulo ſcalpît caput.

Molles, atque effœminati, vnico digitulo

caput scalpere dicuntur, nimirum solliciti, ne comam studiose compositam perturbent. Id primū dictum putant à Caluo poëta in Pompeium: Hinc in omnes parum viros transfertur. Iuuenalis satyra nona. Qui digito scalpunt vno caput. Molles & impudicos ex eius modi gestu notat.

Tibicinis vitam viuīs.

In eam iaciebatur, qui laute quidē, sed alieno viueret sumptu. Tibicines enim quoniā in sacris olim adhibebantur, adesse solent & in cœnis illis pontificalibus, idq; immunes.

Samiorum flores.

Samiorū flores decerpere dicebatur, qui extremā voluptatem decerperet. Hoc nomine dicebatur locus quidam, in quo mulieres cum viris conuiuū agitabant, omniq; genere voluptatū affatim sese explebant. Quibus delicijs effœminati, postea subacti sūt à Persis, & in seruitutem acti. Aptè igitur quadrabit in ciuitatem, domū, deniq; hominem voluptatibus perditè addictum.

Voluptas fœda.

In voluptatem inhonestā, aut scortum ad perniciem iuuenum omnibus instructū artibus, quadrabit Homericū illud de Circe. Si quidem omnes Fecerit illa suēsve, luposve, trucesve leones.

Melle temetipsum perungis.



In eum conuenit, qui molliter, suauiterq;  
vitam agat.

Samiorum laura.

Dicebatur in turpibus addictos voluptati-  
bus. Laura apud Samios angiportu quoddam  
erat, in quo cupediae, popinariaeque lautitiae ve-  
ditabantur.

Sardanapalus.

Mollis, atque effeminatus solet Sardanapa-  
lus cognominari. Sumptum à Sardanapalo  
Assyriorum rege, delicijs usque ad effemina-  
to, ut inter eunuchos & puellas ipse puellari  
cultu desidere sit solitus. Cuius sepulchro epi-  
taphium eiusmodi literis Assyrijs insculptum  
tradunt. Ede, bibe, utere venere, nam caetera  
sunt nihili.

Vale charum lumen.

Dici solitum, ubi rei cuiuspiam vehementer  
gratae sit iactura. Diuus Ambrosius refert ad  
huiuscemodi fabulam. Theotimo cuiuspiam quum  
gravi morbo oculorum laboraret, medici in-  
terminati fuerant, ne cum uxore rem haberet,  
si faceret, prorsus caecitatem imminere. Verum  
is libidinis impatiens, non potuit sibi tempe-  
rare, quin uxorem amplecteretur. Itaque quum  
iam medio veneris calore ferueret, & in mens-  
tem venisset medicorum interdictum, Vale  
(inquit) amicum lumen: Nimirum intelligens  
se voluptatem eam perbreuem oculorum

tt. j.

dispendio emisse.

**Lesbiari.**

Lesbiari antiquis polluere significabat. Aut turpitudinem, quæ per os peragitur, fellationis, aut irrumationis, primum à Lesbijis autoribus fuisse profectam, & apud illos primū omnium sceminam tale quiddam passam esse.

**Corinthiari.**

Corinthiari vulgato ioco dicebantur, qui scortationibus, ac lustris indulgerent, qui venocinium exercerent. Sumptum à meretricibus Corinthiensibus.

**Lydus in meridie.**

In hominem insatiatæ, aut etiam intemperatiuæ libidinis dicebatur. Narrant enim Lydos aded libidine perditos fuisse, vt non tantum noctu vacarent voluptati Venereæ, verum etiam ipso meridie lasciuirent, manibus fœdū opus peragētes. Vnde & Lydiari pro Lydorum more vitam agere vsurpatum.

**Lydus cauponatur.**

In effœminatos, & voluptatibus addictos dicebatur. Hinc sumptū, Cyrus rex deuictis Lydis, imperauit vt cauponiam exercerent, neq; tractarēt arma, sed veste ad terram vsq; demissa vterentur, quæ olim mollitiem indicabat, vt ad eum modum velut in sceminas transformati, ad rebellionem fierent inutiles.

**Pepones.**

Pepones, prouerbiali cōuitio dicuntur ho-  
mines molles & effœminati, parūq; viri. Ho-  
merus Iliados β. O pepones, mala probra,  
Achiuæ nō enim Achiui. Similitudo sumpta  
ab eo fructu, qui simulatq; maturuit, dulcis  
quidem est, verum flaccidus & inutilis.

Adonidis horti.

De rebus leuiculis dicebatur, parūmq; fru-  
giferis, & ad breuem, præsentiēmq; modo vo-  
luptatem idoneis. Tradunt Adonidis hortos  
olim in delicijs fuisse, lactucis potissimum, ac  
fœniculis frequentes, in quibus semina haud  
aliter, atq; in testa deponi consueuerint, eōq;  
rem in prouerbiū abiisse, contra futiles, ac  
nugones homines, & voluptatib<sup>9</sup> ineptis na-  
tos, cuiusmodi sunt cantores, sophistæ, poëte  
lasciui, cupediarij, atq; id genus alij. Erant au-  
tem hi horti Veneri sacri, idq; propter Ado-  
nidem eius amatum, primo etatis flore præ-  
reptum, atq; in florem conuersum.

Agathonia cantio.

Dicetur de oratione blanda magis, q̄ frugis-  
fera. Agathon tibicen quispiam erat, cantiles-  
narum suauitate maiorem in modum aures  
deliniens. Nec huius mores dissimiles musi-  
cæ fuisse perhibentur. Laborauit enim mol-  
litiei infamia.

Phicidissare.

Phicidissare vulgo dicebantur, qui puero-  
tt. ij.

rum obscœnis amoribus dediti essent.

**Sinopissas.**

Sinopissas, id est, lasciuus. A Sinope scorto quopiam nobili, celebratæq; lasciuia, cui no<sup>m</sup>en hinc inditum videtur, quòd noxijs esset oculis. Fuit & Sinope Æsopi filia, cui nihil charius fuit virginitate.

**Caprarius in æstu.**

In hominem intempestiuæ libidinis. Simile limum illi, Lydus in meridie. Nam his horis caprarij, dū seductis gregibus, latitant in vni<sup>u</sup>bra, lasciuire soliti scribuntur. Poterit ad quãuis voluptatem accommodari non in tempore adhibitam.

**Lentiscum mandere.**

Lentiscum mādere, siue arrodere dicūtur, qui nimio comendi corporis studio superflui<sup>u</sup>nt. Nam ex lentisco dentifricium fieri consuevit. Is est puluisculus quidam candidandis dentibus comparatus. Fiebāt & dentiscalpia ex lentisco, hoc est, cuspides quẽdam purgandis dentibus accommodæ.

**Penicissare.**

Perinde valet, quasi dicas, fucū facere. Nā πενικισσάριον Græcis comã non genuinã, sed apposititiã significat, quã quidã galericulū vocāt.

S V M P T V O S A.

**Hipparchi murus.**



## Explanatio.

## Hipparchi murus.

Dicebatur de re, quæ magnis constaret impensis: Hinc natum, quòd Hipparchus Pististrati filius Academiam muro sepsit. Atq; huius rei nomine, magnâ pecuniæ vim ab Atheniensibus exegit.

## FRUGALITAS.

Phormionis thori.	Xenocratis caseolus.
Vita doliaris.	Defraudare genitum.
Si caseum haberem,	Curare cuticulam.
non desyderarẽ opus	Pontificalis cœna.
sonium.	

## Expositio.

## Phormionis thori.

De stratis sordidis, ac frugalibus minimèq; delicatis. Qualia sunt cubilia militaria: & quale sibi apud Homerum parat Ulysses, ex arborum congestis frondibus, ac ramis humi substratis. Phormio, dux quispiam militum fuit in perferendis militiæ incommodis miræ patientiæ.

## Vita doliaris.

Vita doliaris prouerbio dicitur vita frugalis, parca, ab omni strepitu, atq; ambitione remota: breuiter talis, qualè Diogenes Cynic⁹ egisse legitur, vnico cõtentus pallio, baculo quo

tt. iij.

canes abigeret, dolio de palo suspēso pro do-  
micilio libenter vtens: crudis herbis & aqua  
simplici victitās, pane excauato pro catino,  
manu caua, poculi vice solit<sup>9</sup> vti: idq; à pue-  
ro quodam didicisse se prædicabat: quem for-  
tè ad eū modū aquā hauriētem viderat. &c.

Si caseum haberem, non desyde-  
rarem opsonium.

Dicendum, vbi quis minimis, vilissimisq;  
contentus est.

Xenocratis caseolus.

De cibo, qui perq̄ diu durat, priusq̄ absuma-  
tur. Apposite dicitur in sordidos quosdam,  
quibus hic mos, omnem penum eouq; serua-  
re, quoad fuerit corruptus, perinde quasi ne-  
fas sit, rebus synceris & integris frui. Sumptū  
à Xenocrate philosopho: quem tradunt sæ-  
penumero opsonia iam rancida facta abieci-  
sse: neq; rarenter euenisse, vt quum cadum ali-  
quem relinere vellet, iam vinum reperiret in  
acorē versum. Ad alia poterit referri adagiū,  
puta ad vestem, ad librū, ad pecuniolam, aut  
simile quippiam, quo sic parce, circūspectēq;  
quispiam vtitur, vt q̄diutissime duret.

Defraudare genium.

Pro eo accipitur, quod est, negare naturā,  
quod appetit: Quemadmodū Indulgere ge-  
nio, pro eo, quod est, animo obsequi.

Curare cuticulam.

Est voluptati indulgere, Nam qui voluptatibus magis quàm famæ student, vnum hoc curant, vt cutis sùma niteat, eaq; gratia lautioribus epulis, balneis, vnguentis, somno, conuiujs, alijsq; id genus delicijs vacant.

Pontificalis cœna.

Prelautas, sumptuosas, opiparasq; cœnas, prouerbio pontificales appellabant. Inde natum apparet, quòd solemnes, sacræq; cœnæ exquisitissimis epulis soleant instrui. Plautus in Menechmis consimili figura Cereales cœnas dixit.

### LUXVS ET MOLLITIES.

Pergræcari.

Semper Leontini iuxta pocula.

Thericlei amicus.

Thessalorum alæ.

Sapiëntia vino obumbratur.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Asini mandibula.

Decempes vmbra.

Ventres.

Venter auribus caret.

Abronis vita.

Sybaritica mensa. Syracusana mensa.

Vixit dū vixit, benè.

Teneri calidis balneis

Ex ãphitheto bibisti.

Maschalam tollere.

Vinum, senem etiam vel nolentē, saltare compellit.

Vinum caret clauo.

Coronam quidem gestans, cæterum sibi perditus.

tt. iiii.

## Enarratio.

## Pergræcari

Pergræcari apud Plautū accipitur pro eo, quod est, genialem agere vitam. Dies (inquit Plautus) noctesq; bibite, pergræcamini. Græci male audiunt passim apud poëtas, & item apud Ciceronē, quasi voluptatibus addicti, & effœminati delicijs: ad hæc quasi lubrica fide.

## Semper Leontini iuxta pocula.

In voluptarios: aut in eos, qui semper iisdē studijs sunt addicti. Leontini Siciliae populi sunt, quos ubi Phalaris expugnasset, nequando rebellionem pararent, ademptis armis, ad cōpotationes, & voluptates reiecit. Atq; hinc natum adagium.

## Thericlei amicus.

Hoc est ac si ducas, poculi amicus. Dicitur in bibosos. Thericles primus excogitauit poculum. Dicitur est autem inuentum inueteris vocabulo. Siquidem Græci vitreum poculum Thericleum vocant.

## Thessalorum alæ.

Prouerbiali ioco quondā dicebatur, in vestes manicatas: quo genere per luxum, ac delicias utebantur Thessali.

## Sapientia vino obumbratur.

Plinius. Vinum ieiunos bibere nouitio inuento utilissimū est. Curas, vigoremq; animi impedit: ad procinthus tendentibus, somno



non accommodatū, ac securitatibus, tamque dudum hoc fuit, quod Homerica illa Helena ante cibū ministravit, sic quoque in proverbium cessit, Sapientiam vino obumbrari. Hæc ille. In proverbis item ecclesiasticis duo referuntur, quæ sapientem etiam dementent, vinum & mulieres.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Dicuntur hæc apud Terentiū in Eunuchō sub persona Chremetis adolescentis rustici, qui sobrius oderat meretrices, post idē potus nō abhorret. Signant verba, cibum & potū irritamenta esse libidinis. Eleganter autē Ceretē pro cibo, Bacchum pro vino, Venerem pro libidine dixit, cōtinenter in figura persistens.

*Asini mandibula.*

Cōuenit in edaces, alioqui stolidos & ignavos. Cuiusmodi pingit Horatius, Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.

*Decempes umbra.*

Decempes umbra est, id est, cœnandi tempus. Veteres umbris notabāt horas diei. Lucianus in Gallo. Assidue obseruans quot pedes haberet linea.

*Ventres.*

Homines edaces, vētri atque abdomini seruiētes, appellabantur ventres. Lucilius, Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.

Venter auribus caret.

Signat adagium, vbi de pastu agitur, non admitti honestas rationes. Hinc senarius graecus traductus sic habet, Cōtra famem etenim nulla contradictio est.

Abronis vita.

De molliter, ac deliciose viuētibus. Sumptum à moribus Abronis cuiuspiam notæ luxuriæ.

Sybaritica mēsa. Syracusana mēsa.

Dicebatur de cōuiuio nimium apparato. Natum à gētis eius moribus: quæ fuit luxu, delicijsq; adeò notabilis, vt quicquid effæminatum, quicquid molle accurata, atq; ambitiosa luxuriâ paratū esset, id vulgo Sybariticum diceretur. Huc pertinet & prouerbiū, Syracusana mensa, de prelauta, atq; opipara. Syracusani enī vt erāt olim opibus florētissimi, ita voluptatibus, ac delicijs additissimi.

Vixit dum vixit, benè.

Est apud Terentiū in Ecyra. Conuenit autem in eos, qui molliter, ac suauiter viuunt: atq; ita faciunt sumptus, vt non multum inuent hæredem. Est autem amphibolia in verbo viuete, quod interdum simpliciter viuere est: interdum genialiter vitam agere: vt apud Catullum, Viuamus mea Lesbia, atque amemus.

Teneri calidis balneis.

In molles, & luxu diffluētes dicebatur. Nā

antiquitus calida balnea deliciarum nomine  
taxata fuisse, vel Homerus testatur Odyssææ  
, inter voluptariæ vitæ delicias eas comme-  
morans, At (inquit) semper cordi nobis, epu-  
læ'q; chori'que, Cantûsque, & variæ vestes,  
& balnea calda, Concubitus'que.

Ex amphitheto bibiffi.

Dicebatur in eum, qui meracius, ac largi-  
us potaret. Amphithetû erat poculi genus,  
ita factum, vt quavis ex parte positû stare,  
nullum'q; certum haberet fundum.

Maschalam tollere.

Maschalam tollere dicebatur, qui avidius  
biberet. Sumptum à gestu bibonû inter ebi-  
bendum cyathos, gulam, ac mentum intens-  
dentium, & altius erigentium cubitos.

Vinum, senem etiã vel nolentem,  
saltare compellit.

Admonet nihil esse tam ineptû, neq; alie-  
num, ad quod non incitet ebrietas.

Vinum caret clauo.

Hoc ideo dicitur, propterea quòd ebrie-  
tas nihil consulte, neque moderate, vel dicit,  
vel facit. Obruitur enim ratio, quæ clauo vice  
sobrios moderatur, ac gubernat.

Coronam quidem gestans, cæterum  
siti perditus.

In temulentû & lurconem aptè torquebi-  
tur: qui'q; obligurita re redact' sit ad inopiã.

Natum à moribus Connæ cuiusdam: qui pri-  
mū erat tibicen, vinosus, atq; in conuiujs as-  
sidue coronatus potabat. Nam priscis mos  
erat in cōpotationibus coronas gestare. De-  
inde è tibieine factus est Olympionices, atq;  
in Olympijs sæpe victor coronā tulit. Alioqui  
pauperrimus, neq; tantillo ditior factus suis  
victorijs. Nihil enim habuisse fertur, præter  
oleastrum.

## L A V T I T I A E.

Iouis cerebrum.	Anima & vita.
Deorum cibus.	Coturnissare.
De lautitijs.	Lydorum Carycæ.
Mellis medulla.	Qui possum ab hoc
Optimū condimentū	epulo abesse?
fames.	Thasium infundis.

## Flucidatio.

## Iouis cerebrum.

De cibo vehemēter opiparo, ac suavi. Aut  
de molliter, delicatēq; viuētib; . Opiparæ  
epulæ apud Persas, Iouis ac regis cerebrum  
appellabantur.

## Deorum cibus.

De prælautis epulis dicebatur. Poëtæ fins-  
gunt deos nectare, atque ambrosia victitare,  
nec ob id vnq̄ senescere.

## De lautitijs.

In cibos prælautos quadrabit Homericū



illud, Quælia pupurei comedunt opsonia reges. Venustius fiet, si trahetur ad orationem supramodum elegantem, quasi dignam deorum auribus.

Mellis medulla.

De re maiorē in modum suauī dicebatur. Vnde & Ennius apud M. Tullium quendam Suadæ medullam appellat, ob singularē suauiloquentiam.

Optimum condimentum fames.

Socrates hoc dicto irridebat luxum Atheniensem, qui varijs cupedijs, & operosis condituris conarētur efficere, vt cibus saperet palato, quū id optime præstet fames, condimentū, vt optimū, ita vilissimū. Nihil enim suauius editur, q̄ quod ab esuriēte editur.

Anima & vita.

De re supramodum suauī. Hesiodus pecuniam, animā mortalibus esse dicit. Et Aristoteles pecunias velut alteram hominis animā esse scripsit. Nihil autem est vita, neq; iucundius, neq; charius.

Coturnissare.

Coturnissare prouerbio dicebatur, qui pinguibus coturnicibus, aut turdis vescerentur: aut qui riderent lasciuie parūq; decōre. Quasdrabit igitur vel i liguritores & cupedijs ad dictos, vel in lasciuus ludentes.

Lydorum Carycæ.

Lydorū Carycas antiquitus appellabant, quicquid esset opiparum, & varijs conditum cupedijs. Nam Caryca cibi genus Lydijs, ex multiugis lautitijs & sanguine confectum.

Qui possum ab hoc epulo abesse?

De re vehementer suavi, atq; expetenda: quod genus est festum aliquod conuiuium. Allusum ad eam fabulā, qua tradunt Palladem iracunde tulisse, quod quum reliqui dii adhibiti essent ab Oeneo ad sacrum epulum, sola fuisset præterita, solāq; domi sederit, secum stomachans, quod nihil ex illo nidore sentiret.

Thasium infundis.

Dici solitum videtur, vbi quis vinum non aqua, sed alio quopiā efficaciore vino dilueret. Nam Thasia vina, laudatissima olim sunt habita.

## FAMES.

Fames & mora, bilem	venter.
in nasum conciunt.	Ventre pleno, melior
Miserrimū fame mori.	consultatio.
Molestus interpellator	Etiam Bætylum de uorares.

Explanatio.

Fames & mora, bilem in nasum conciunt.

Plautus in Amphitrione. Vetus adagium

est (iquit) Fames & mora, bilem in nasum cō-  
 ciunt: Id est, latrante stomacho, omnis mora  
 bilem mouet. Ducta metaphora ab animans  
 tibus, iram narium flatu significantibus. Vnde  
 de fabula de tauris ignem spirantibus. Quin  
 hominibus etiam nonnullis ex naribus indici-  
 um iracundiæ. Vnde & corrugare nares di-  
 cuntur, quæ offendunt. Potest trahi longius  
 adagium, nempe ad quemlibet vehementius  
 aliquid cupientem, cui omnis mora quantū-  
 vis pusilla, longissima videtur. Hinc exijt Mi-  
 mus ille, Etiā celeritas in desyderio mora est.  
 Miserrimum fame mori.

Sententiā etiam veteribus celebrata, teste  
 Platone, miserrimū mortis genus, fame mo-  
 ri. Hinc Homerus *Odyssææ* μ, Dura (inquit)  
 quidem miseris mors est mortalibus omnis.  
 At perijisse fame, res vna miserrima lōge est.  
 Accommodari poterit in sordidos quosdam,  
 qui quo parcant numis, defraudant genium  
 suum.

Molestus interpellator venter.

Venter improbus interpellator, non finit  
 vnq̄ quempiam obliuisci sui. Id ad egestatem  
 torqueri poterit: quæ mortales ad omnia, tū  
 facienda, tum ferenda compellere solet. Sic  
 autem Vlysses apud Homerū loquitur, Non  
 est improbior res altera vētre molesto: Quis  
 pe vel inuitum meminisse sui iubet, & si Valo

de animo crucieris, & angat pectora mœror.

Ventre pleno melior consultatio.

Quum fames interpellat, non vacat deli-  
berare: propterea, quod consultatio moram  
desyderat, & animi tranquillitatem: at fames  
billem acuit.

Eriam Bætylum deuorares.

In voracem & omnia concoquētem. Nam  
Bætylus dicitur saxum illud fascijs obuinctū,  
quod pro Ioue deuorauit Saturnus.

### FESTINATIO.

Nauibus atq; quadri- gis.	Ocyor accipitre. Pegaso velocior.
Citis quadrigis. Iouis quadrigis.	Salaminia nauis. Parit puella, etiam si male adsit viro.
Talaria induere.	Ignem palma.
Citius, quàm aspara- gi coquuntur.	Ne nimium calidū hoc sit modo.
Celerius q̄ Butes.	Priusq̄ gallus iterum cecinerit.
Simul & dictum & fa- ctum.	A subeunte portum nauis.
Duobus pedibus fu- gere.	Matura satio sepe des- cipit, sera semp ma- la est.
In foribus adesse.	
Velis, equisq;.	
Remis, velisq;.	
Vir fugiens haud mo- ratur lyrae strepitū.	Sacra celerius absol- uenda.



Explicatio.

Nauibus, atq; quadrigis.

Quod summo studio, summâq; festinatione fit, id nauibus, atq; quadrigis fieri dicitur.

Citis quadrigis. Iouis quadrigis.

Citis quadrigis fugere, & Iouis quadrigis fugere, accipitur pro eo, quod est, ocyssime fugere, apud Plautum, ab Homero trãslatum: qui dijs quadrigas affingit, quibus quò lubitum sit, repente rapiantur, ex Olympo in terras, è terris in cælum.

Talaria induere.

Talaria induere pro eo sumitur, quod est, fugam adornare, quasi q; velle quòpiam auolare. Sumptum ab Homero, qui Mercurium auolaturũ aliquò, frequẽter adornat talarib<sup>9</sup>.

Citius, q̃ asparagi coquantur.

De re vehementer properata. Hinc sũptũ, quũ Augustus festinatæ rei velocitatem exprimere vellet, dicebat, Velocius, q̃ asparagi coquantur. Confine illi, Aphyia ad ignem.

Celerius, q̃ Bures.

Hoc adagio significabant aliquid q̃primũ absolui, compediòq; explicari. Quemadmodum solent ij, qui paucis verbis, & ijs trunco pronuntiatis, longam sententiam significant. Hinc natũ. Athenis inter picturas Stoæ porticus, depictus erat Bures quidã, atq; ita pictus, vt summa capitis pars cum oculis duntaxat

taxat videreſ, videlicet, vt ſpectator imaginareſ reliquū corpus tegi mōtis obiectu, in quo ingrediebāſ. In eius igitur pictura quoniā nō multū opere ſūperat pictor, prouerbio iactanti conſueuit de hiſ, quæ facile perficiuntur.

Simul & dictum & factum.

Vbi quis citra morā id re præſtat, quod verbis pollicetur, Latini cum dicto dicūt, pro eo quod eſt, ſtatim poſteaquē dixeris. Virgilius, Et dicto citius tumida equora placat. Homerus Iliados τ. Mox ſimulac dictum eſt verbum, res ipſa peracta eſt.

Duobus pedibus fugere.

Duobus pedibus fugere, eſt ſūma celeritate fugere. Prouerbiū videtur ductū ab iſs, qui feſtināt curſu: vt nō diſſimile illi videat, Amababubus manibus, quo ſedulitatē, celeritatēmq; peragendi negocij ſignificant. Vel ductum eſt prouerbiū à nauigantibus, perinde quaſi dicas, Duobus clauis. Nam gubernaculum, nauis pedem appellant; quod eo nanis quū huc atq; illuc vertitur, velut ingredi videatur.

In foribus adeſſe.

In foribus adeſſe dicitur, quod inſtat, iamq; in proximo eſt. Nota eſt allegoria.

Velis, equiſq;.

Hoc prouerbio ſignificāt extremum conatum ad fugiēdum, aut aſſequendum magis, quā efficiendum. Vnde, velis, equiſq; fugere diſ

EPITOME 350  
citur, qui extremo conatu, summâq; festinas-  
tione fugit. Notissima est metaphora.

Remis, velisq;.

Huic simillimum est, Remis, velisq;. Inde  
translatum, quod quum nauis simul & remis-  
gio & velo impellitur, summus est nautarum  
conatus. Eodem sensu dicimus, Manibus, pe-  
dibusq;. Nā per man<sup>9</sup> declaratur industria cō-  
ficiēdi negocij; per pedes maturādi celeritas.

Vir fugiēs haud morā lyræ strepitū.

Sensus est senarij Græci, prouerbialisq; in  
eos, qui in rebus periculosis ac serijs, prope-  
rādi studio negligunt leuiores. Nā qui fugit in  
bello, non putat sibi liberum ac vacuum, vt  
cantorem aliquem auscultet.

Ocyor accipitre.

Hac hyperbole admirādam celeritatem si-  
gnificant. Venustius fiet, si ad famam, aut in-  
genium, aut nunciū, aut eiusmodi quippiam  
torqueatur.

Pegaso velocior.

Hyperbole prouerbialis de præuolocibus.  
Nota fabula de equo alato.

Salaminia nauis.

De præuolocibus distitatu est. Celebratur  
enim vel in primis nauale bellū aduersus Xer-  
xem gestum apud Salaminem: siue quod ex  
triremibus, altera Salamina vocari cōsuevit,  
altera πέραιος.

vv. ij.

Parit puella, etiã si male adsit viro.

Dici conueniet, quoties res facile conficitur ex sententiã, etiam si negligenter & ignauster gesta fuerit. Veluti puella propter etatis felicitatem facile gerit vterum, etiam si cum viro non admodum viro rem habuerit. Non item anus, immò bis virum requirit ætas affecta mulieris. Egregium ingeniũ, etiam sub malo, & indiligente præceptore bonas literas assequitur. Contrã, si discipulus crasso fuerit ingenio, præceptor etiam optimus oleũ perdit & operam.

Ignem palma.

Dici solitum, si quando protinus aliquid intellectum esset à quopiam: vt si scõmate dicto, statim sentiat aliquis in se dictum. Sumptũ videtur ab ijs, qui per lusum ignem ad mouent manibus alienis.

Ne nimium calidum hoc sit modo.

Verba sunt Terētij in Eunueho: q̄q̄ anceps est lectio. Potest enim vtrunq; legi & calidum & callidũ, vt prius illud ad festinatũ consiliũ, alterũ ad nimis astutum referatur. Siquidem vtraq; parum feliciter euenire solent: vel quæ nimium calent, id est, quæ præcipitantiùs instituntur; vel quæ nimium audacib⁹ aguntur dolis.

Priusq̄ gallus iterum cecinerit.

Priusq̄ gallus iterum cecinerit, id est, admodum mane, & antelucano. A prisca consuetu



dine sumptū, qua noctis deliquium & accessum diei gallicatu metiebantur, gnomonibus horarijs nondū repertis. Gallus autem tribus interuallis canit, prænuncians diem.

A subeunte portum nauī.

A subetinte, subaudi, naue lucrum capias. Admonet adagium celeritatem ad quæstum plurimum valere: Et in negociatorem, illud in primis competere, Somnus abesto. Sūptū à mercatorum diligentia, qui merces statim emunt ab ipsīs nautis in portum appellentibus. Tum enim & minoris emuntur, & maiori distrahuntur lucro.

Matura satio sæpe decipit, sacra semper mala est.

Adagium sumptum ex Columella de re rustica. Admonet autem in omni negotio maturandū esse, neq; paulo satius esse, occupare tempus legitimum, q̄ serius aggredi. Veluti si quis admoneat, vt puer tenera adhuc ætate, præceptoribus cōmittatur erudiendus. Cōsulcius enim anteuertere, q̄ prouectiorib⁹ annis, tum demum incipere.

Sacra celerius absoluenda.

In rebus diuinis attentum esse cōuenit magis, q̄ diuturnū, ne vilescant assiduitate. Contra morem quorundā sacerdotum, qui nimiū immorātur sacro, precibusq; quas vocant horarias. Homerus *Odyssææ* l. Neq; par est In  
v. ij.

## ERASMI ADAGIORVM

diuorum epulo sedisse diutius, immo Surge  
re mature decet.

FESTINATIO PRAE  
PROPERA.

Qui nimiū properat, Muscum demetere.  
serius absoluit. Sicutus omphiacizat.  
Canis festinans cecos Præmouere venatū.  
parit catulos. Odi puerulos præco  
Ante victoriam enco- ci sapientia.  
mium canis.

## Expositio.

Qui nimiū properat, serius absoluit.  
Est apud Platonem. Admonet autem insti  
tuendæ rei nō tam celeritatē, q̄ curā adhiben  
dam esse: ne postea sit in mora, quod in ope  
ris ingressu fuerit erratum. Obnoxij sunt huic  
proverbio quidam, qui compēdij causa, græc  
canica literatura præterita, protinus ad philo  
sophiæ studiū insiliūt: ac dū stultè captāt cō  
pendiū, in maximum incidunt dispendiū &c.

Canis festinans cecos parit catulos.

In eos iaciebatur, qui nimio festinandi stu  
dio, rem parū absolutam edūt. Ut si quis ope  
ris parum climati præcipitet editionem. Hinc  
natum, quod canis, quia celerius pariat, catu  
tulos cecos velut adhuc immaturos edūt.

Ante victoriam encomium canis.

In eum, qui præpropere gloriatur, re nondū confecta. Nam apud Græcos, qui rem strenue gessissent in bello, oratione quapiam aut carmine laudabantur. Quæ laudatio proprie Encomium dicitur.

Muscum demetere.

Dici solitum, vbi quis tener adhuc & intempestius durius tractaretur: aut emolumentū tolleretur, priusq̄ opportunū esset. Translatum ab ijs, qui statim, vt ager obduci cœperit herba, demetunt, nec sinunt adolefcere gramen.

Siculus omphacizat.

Vua acerba & immatura, Græcis omphax vocatur. Vnde adagiū in eos dicebatur, qui quātumlibet vilia tollerent furto. Ductum à furacitate Siculorū. Aptè & in illos dicitur, qui ob immodicam, & præproperā auiditatem, quo pusillum lucelli faciant sibi, damnū ingens alijs inferunt.

Præmouere venatum.

Præmouere venatum, siue præturbare ferā dicitur, qui nō satis dissimulat, quod molitur. Quemadmodum vsu venit, vt fera tumultu excitata intellectis insidijs, subducatur sese.

Odi puerulos præcoci sapientia.

Vulgo inualuit opinio, vt credāt puerulos maturius sapientes, aut non fore vitales, aut dementes futuros, simulatq; ad ætatem maturam peruenerint.

vv. iiii.

ERASMI ADAGIORVM  
TARDITATIS ET CVN-  
CTATIONIS.

Nemo nos insequit̃.	Laconicæ lunæ.
Romanus sedendo vincit.	Machinas post bellū adferre.
Festina lente.	Coruus aquat.
Pedetentim.	Post festum venisti.
Manu serendum, non Thylaco.	Diu delibera.
Placide bos.	Annus est.
Caudæ pilos equinæ paulatim vellere.	Hercules hospitatur.
Tacito pede.	Expecta bos aliquan- do herbam.
Celerius elephāti pa- riunt.	Expecta anus.
Acessæi luna.	Hyperberetæa.
	Summis ingredi pes- dibus.

Explanatio.

Nemo nos insequitur.

Hoc prouerbio etiam hodie tritū manet: quo quidē significant, liberū esse diutius in te quapiā imorari. Nemo nos (inquiūt) ipellit. Romanus sedendo vincit.

In eos, qui tranquilli, atq; ociosi, tamē quæ volunt efficiunt: aut qui non viribus, sed arte rem gerunt. Natū (vt videtur) ex historia Fabij cunctatoris: qui Hannibalem iuueniliter exultantē, sua patiētia fregit, de quo Ennius, Vnus (inquit) qui nobis cūctādo restituit rē.



## Festina lentè.

Hoc prouerbio licebit uti, vel quum admo-  
 nebimus, diutius deliberandum, priusquam aggre-  
 diare *negocium*: postea quam statueris, tum velo-  
 citer peragendum. Salustius, Antequam incipias,  
 consulto: ubi consulueris, mature facto opus  
 est. Alter usurpandi modus fuerit, quum admo-  
 nebimus affectus animi, rationis velut habe-  
 nis reprimendos esse. Tertius utendi modus  
 fuerit, quum admonebimus, in omni negotio  
 vitanda precipitem celeritatem. Huiusmodi fe-  
 stinationis comites esse solent, error & poenit-  
 entia. Vnde versiculus graecus celebratur, qui  
 traductus sic habet, Multis malorum est causa  
 precipitantia. Cato dicere solebat, Sat cito,  
 si sat bene.

## Pedetentim.

Dicitur, ubi quis non precipitanter, atque in-  
 considerate, sed sensim, atque cunctanter aggre-  
 ditur negotium, atque arte rem gerit, magis quam  
 impetu. Ab his ductum, qui *cautim*, ac praetere-  
 ritates per glaciem, locumve lubricum ingrediuntur.

## Manu ferendum, non Thylaco.

Signat modum in omni re seruandum, & pe-  
 detentim ab alijs ad alia transeundum. Ductum  
 ab agricolis, qui quum ferunt, non semel effun-  
 dunt ipso vase, sed manu, rara spargunt semi-  
 na, ut vniuerso aruo occupando sufficiant. Ad  
 eundem modum ita dispensanda est benignitas

tas, vt multis suppeditare possis. Ita moderā  
 dus est labor in literis, vt ad alia quoq; vitæ  
 munia suppetat animi vigor.

Placide bos.

Cōgruet in illos, qui placide & paulatim,  
 citraq; tumultum, sed tamen assiduitate rem  
 faciunt. Equorum laus est velocitas. Bo  
 ues nō valent celeritate, sed viribus & assidui  
 tate possent, non impetu. Proinde in pugna  
 stataria, vel leonibus formidādum animal, &  
 ad exhauriendos ingentes labores appositū.  
 Eodē prinet illud, Bos lassus forti<sup>9</sup> figit pedē.

Caudæ pilos equinæ paulatim vellere.

Caudæ pilos equinæ paulatim vellit, qui  
 quod viribus, atq; impetu fieri nequit, id tē  
 pore, atq; assiduitate conficit. Natum ē factō  
 quodam ducis Sertorij. Hic enim quum suis  
 copijs, ex barbara turba cōflatis, rationibus  
 persuadere non posset, in re militari plus ha  
 bere momenti consilium, q̄ vires temerarias,  
 postea q̄ illi parum feliciter pugnassent, duos  
 proponit equos, alterum macilentū, atq; in  
 ualidum; alterū vegetum, cauda pilosa. Atq;  
 inualido illi iuuenem adhibet prægrandi cor  
 pore, & admirandis viribus. Contrā, vegeto  
 illi, pusillum & imbecillum admouet homin  
 tionem. Hic singulos pilos paulatim vellēs,  
 breui spacio totā depilauit caudā. Iuuenis ē  
 diuerso caudā omnem simul manibus vtrifq;

comprehensam, vi atq; impetu conatur euellere. Qui quū frustra sudaret, risui fuit circūstantibus. Sub hæc assurgēs Sertorius, cuius cōsilio, iussūq; hæc fuerāt acta, Videtis (inqt) cōmilitones, quāto plus possit īgeniū q̄vires.  
 Tacito pede.

Dicitur tacito pede, seu lento pede, quum cautiū ac pedetētim ad rem accedimus. Aliquando vsurpatur pro furtim, ac clanculum.  
 Celerius elephanti pariunt.

Hīs verbis licebit significare cunctationē immodicam, & quorūdam nimis lenta molimina. Hinc natū, quod (vt tradunt) elephantum grauidam esse decem annos. Apud Latinos parturire dicuntur, qui moluntur, animoq; destinant aliquid, vt, Quando tandem paries, quod tot iam annos parturis, vt nec elephanti diutius?

Acessæi luna.

Dictum in cōperendinatos, qui nouam subinde causam cōminiscuntur, quo negociū proferāt. A nauæ cuiusdā moribus ortum, cui Accessæo fuerit nomen. Is quū esset ignauus, ita prorogare consuevit nauigationem, vt se diceret lunam magis oportunam expectare. Nam Græci, præcipuēq; ex his Lacedæmonij, quicquid essent rerum auspicatori, superstitione lunam obseruabant.

Læconicæ lunæ.

Laconicas lunas, subaudiendum, caufaris, aut eiusmodi quippiam. Dicitur de promissis, aut pactis incertis atq; infirmis. Nam vt aiunt Lacones, si quādo pactū auxilium poscerentur, lunas caufabantur, atq; hoc praetextu suffugiebāt, quod vt testatur Lucianus, legem tulisset Lycurgus, ne praelium inirent, nisi plenilunio. In cæteris itē negocijs auspiciandis, lunæ rationes supersticiosius obseruabant, atq; hinc occasio prouerbij.

Machinas post bellum adferre.

Machinas post bellum adferre dicebātur, qui pacto negotio, sero adhiberēt apparatus.

Coruus aquat.

Dicit solitum, vbi quis nō citra negociū citraq; ingenium consequeretur ea, quæ cuperet. Aut vbi quis rem nouis artibus tentaret efficere. Ductum ab Apologo, de coruo congestis lapillis aquā ex imò fundo in summā vastis oram euocante. Sed probabilius videtur, vt adagium referatur ad fabulam, quam ex Ouidij fastis citat Erasmus, quam ex instituto omitto. Erasmo autē videtur magis prouerbium conuenire in cessatorem.

Post festum venisti.

Dicitur in eos, qui negotio cuiquam egregio non interfuerunt, propterea quòd serius iam re peracta accesserint.

Diu delibera.



Admonet, non statim aggrediundū negotium. In quam sententiā fertur Græcum catamen, quod traductum sic habet. Consultato diu, multo vt præcellere possis. Lente siquidem consultandum, at vbi statueris, mature quod opus facto faciundū est. Qui secus facit, huic sæpe euenire solet, vt festinās in principio, serius perueniat ad finem.

Annus est.

Tempus prælongum significamus, quū dicimus, Annus est, Seculum est.

Hercules hospitatur.

Dicitur vbi quis diutius in conuiuio cōmorari videretur: propterea quòd qui recessissent Herculem hospitio, conuiuioque, ijs multū temporis erat opperiendū, donec ille satur esset. Nam famelicū cōmouere parum erat tutū. Nec facile saturabatur, edax adedò, vt legatur solidos etiam boues vno deuorasse conuiuio.

Expecta bos aliquando herbam.

Dicendum, vbi quid sero cōtingit. Finitimum illi, Et adhuc tua mellis in herba est.

Expecta anus.

Expecta anus meū filium, te suauiaturū. Confine superiori. dicitur enim, quū sera spes ostenditur.

Hyperberetæa.

Hyperberetæa dicebantur olim admodū

ferotina, quæq; vix tādē aduenirēt. Apud Macedones extrem<sup>9</sup> anni mēsis Hyperberetæos appellabatur. Vnde quæ in longū proferebātur, Hyperberetæa dicebantur: perinde quasi apud Latinos dicas decembria: & Hyperberetæi, comperendinators.

Summis ingredi pedibus.

Qui clanculum, aut cautim, ac pedetētim (quod aiunt) conantur aliquid, summis pedibus ingredi dicuntur. Idem significant illa, Suspenso gradu, & Suspēsis pedibus. Traductum à gestu eorum, qui sic ingrediuntur, vt strepitū pedum nemo sentiat: aut qui vix diffisi, cautim & leuiter figunt vestigia.

#### SALVBRITAS.

Crotone salubrius.      Sanior es pisce.  
Cucurbita sanior.      Tria saluberrima.  
Valere Pancratice.

Expositio.

Crotone salubrius.

Dicitur de re neutiq; noxia, sed vndequaq; salutifera. Ab animante sumpta parocemia. Est enim Croton muscæ genus, placidū & innoxium, neq; suctu, neq; alia quapiam re molestum. Strabo tradit hinc ortum prouerbium, quòd Crotoniatarū locus lōge saluberrimus olim fuerit iudicat<sup>9</sup>, vel hoc argumēto, quòd breui temporis spatio q̄ plurimos produxerit,

tum athletas, tum philosophos: hoc est, corporibus pariter, atque animo præstantes viros. Inter athletas præcipuū Milonem: inter philosophos Pythagoram.

Cucurbita sanior.

In eum, qui sit admodum sanus. Vel quòd cucurbita non facile læditur aëris vitio, propter crustum, quo tegitur. Vel quòd ea varijs remedijs efficax esse perhibeatur, vt indicat Dioscorides libro secundo.

Valere Pancratice.

Valere Pancratice, est firma esse valetudine. Nam in Pancratistis robur corporis potissimū spectabatur. Idem signat, Valere athletice, Valere pugilice, Valere basilice. Græci basilice, pro magnifice, prouerbio dicunt.

Sanior es pisce.

De admodum sano Iuuenalis dixit Sanior es pisce. Nam ad eum modū, hodièq; vulgo loquuntur, Tā sanus es, q̄ piscis. Id inde sumptū, quòd creditū est, pisces non sentire morbos. Cui tamen sententię refragat Aristoteles.

Tria saluberrima.

Tria saluberrima sūt, vesci citra saturitatē: nō pigere laboris: naturæ semen conseruare.

INSALUBRITAS.

Qui mori nolit añ tps Herculana scabies.  
Herculanus morbus. Ipsa senectus morbus est.

## Explicatio.

Qui mori nolit ante tempus.

Athenæus in sermonibus cōiuiualibus de Sybaritis huiusmodi refert prouerbiū. Qui non velit apud Sybaritas ante diem fatalem mori, eum haud oportere solem conspicerē, nec occidētē, nec orientē. Hoc ideo vulgo iactatum scribit, quod Sybaritarū ciuitas in humili loco, ac velut in conualle sita fuerit, vt æstatis tēpore, mane pariter ac vesperi, frigus immensum sentirent, meridie intolerandū ardorem.

## Herculanus morbus.

Herculanū morbum esse existimat Dixerat chus, quem alij sacrum, alij comitiale appellāt. Est autem ex eorum numero, quibus nulla medicorum ope succurri potest: propterea quod diuinitus immitti creditur, eoque cognomen additum sacro. In hunc aiūt Herculem incidisse, vel propter immensos labores: vel immittente Iunone.

## Herculana scabies.

Suidas interpretatur, de scabie iucūda, facileq; sanabili, aut quæ desyderet Herculana, id est, calida belnea. Narrant enim Herculi laboribus illis ingentibus fatigato, Palladem crebro balnea feruētia suppeditasse. Erasmus opinatur adagium dici posse, vel in eos, qui multo studio, aliōve labore valetudinē offē-



derunt, vt aliquo laxamento fit opus. Vel in  
eos, qui blandis adulationibus delinuti, veluti  
iucunda quadam scabie pruriunt.

*Ipsa senectus morbus est.*

Terētius in Phormione, Ipsa senectus mor-  
bus est, prouerbialiter dictū videtur. Nam in  
senibus quāuis absit morbus, ipsa senectū per se  
mala valetudo est. Vnde illud frequens apud  
Homerū, Molesta senectus: Et Iliados θ, Viri-  
bus (inquit) effoetū iā te premit aspra senectū.  
Virgilius, Subeūt morbi, tristisq; senectū. Ho-  
ratius in arte poëtica. Multa ferunt anni ve-  
nientes commoda secū: Multa recedētes adis-  
munt. Iuuenalis, Circūsilī agmine factō Mor-  
borū omne genus. *Ista senectutis incommo-  
da Erasmus eleganti complexus est libello, in  
quem noster extat commentarius.*

## DIUTURNVM.

**Et nati natorum.**

**Explanatio.**

**Et nati natorum.**

Prouerbialis figura, qua longam rei cuius-  
piam propagationem significamus. Sumpta  
est è carmine Homérico, quod Virgilius ita  
reddidit. Et nati natorum, & qui nascentur ab  
illis. Aristophanes in Auibus, Dabimus nobis  
ipsis, natis, ac natorum natis.

xx, j.

## HÆREDIPE TAE.

Si vultur es, cadauer Eidem inhiantes tes-  
pecta. flamento.

Enarratio.

Si vultur es, cadauer expecta.

Captatores testamentorum, & hæredipetæ, vulgata metaphora vultures appellatur: quòd senibus orbis, ceu cadaueribus inhient. Nam huic aui propriū, cadaueribus tantū vi uere. Vnde & natura tātū illi sagacitatis addidit (authore Plinio) vt biduo, aut triduo presuolet illuc, vbi cadauera sint futura. Dictū est autē Senecæ, Si vultur es, cadauer expecta.

Eidem inhiantes testamento.

In hæredipetas eundem senem, velut idem cadauer certatim captātes, scitè torquetur Homericum ex Iliados ꝛ carmen, de Græcis, ac Troianis, de Patrocli cadauere dimicantibus, qđ traductū sic habet. Sic illi exiguo discrimine vtriq; cadauer Hinc atq; inde trahūt.

SENIVM PRAEMATVRVM,  
AVT MORS.

Ergini cani.

Præmatura mors.

Explicatio.

Ergini cani.

Dicitur de canicie præpropere, id est, quæ

ante diem legitimum accidit. Erginus filius fuit Clymenis, vnus ex Argonautis, qui adulescēs præter ætatis rationem canus fuisse fertur. Festiuus fiet, si per ironiam dicetur in senes iam canos, qui tamē iuuenes etiamdum haberi velint, causantes eam caniciem nō ex annis, sed è curis, aut aliūde præmaturā accedisse. Poterit torqueri & in illos, qui etate iuuenes, iam tum ingenio, moribúsq; senem agunt, & quibus rerum prudentia velox. Ante pilos venit, vt inquit Persius.

Præmatura mors.

In eū, qui præmatura morte discesserit, susperstitibus parentibus, accommodatur illud Homericum, ex Iliados 9, Neq; nutricādi grata parentibus ille Reddidit officia, sed ei breue contigit æuum.

LONGÆVITAS.

Nestorea senecta	Alterū pedem in cym
Vltra pensum viuít.	ba Charótis habere
Vltra linum.	Viro seni maxillæ, bas
Cornicibus viuacior.	culus.
Hesiodí senecta.	Mature fias senex.
Tithoni senecta.	Sexagenarios de pon
Phœnice viuacior.	te eijcere.
Sibylla viuacior.	Mors optima rapit,
Facies tua computat	deterima reliquit.
annos.	Senex bos non lugeť.
	xx. ij.

Viuū cadauer. Viuū Limen senectæ.  
 sepulchrum. Senescit bos.  
 Effocta senecta.

Explanatio.

Nestorea senecta.

Nestorea senecta pro longæua, viuaciq; senecta vsurpatur. Hinc ductum, quod Nestori tres ætates attribuerit Homerus.

Vltra pensum viuuit.

Ille dicitur vltra pēsūm viuere, qui vltra talem diem viuat. Alluditur ad Parcarum furfos, quibus æuum mortalium euolui fabulatur poëtæ, Theologi quoq; metam vitæ fatalem, periodum appellant, quam prætercurrere nulli fas sit.

Vltra linum.

Idem cū superiori signat. Lucianus in Ioue redarguto. Neq; enim quicq; ita fieri poterit, præter Parcarum legem, & vltra linum. Vltra linum dixit, pro eo, quod est, extrà decretum fatale. Confine illi, Vltra fufum.

Cornicibus viuacior.

Dicitur de vehemēter annosis. Hyperbole sumpta est à cornicis prodigiosa viuacitate. Ætates animalium varias complectitur Hesiodus his versibus. Ter tria secla hominis trāsmittit garrula cornix: Quattuor at peragit cornicis tempora ceruus: Ceruinam ætatem coruus ter præterit ater: Coruinos annos



nonies agit Indica phœnix: Atqui crispico-  
mæ, soboles Iouis alma tonantis, Egredimur  
decies phœnicia secula, nymphæ.

Hesiodi senectæ.

Longæua, viua xq; senectæ, Hesiodi senectæ  
vocabatur. Sumptum ab Hesiodo, quem lō-  
gæuum fuisse referunt.

Tithoni senectæ.

Idem cum proximo signat. Sūptum à Ti-  
thono, quem fabulæ tradunt ab Aurora ada-  
matum, in cælum sublatus fuisse, atq; illius  
succo perfusum ad tātā peruenisse senectus-  
tē, vt tādē optauerit, vt in cicadā verteretur.

Phœnice viuacior.

In maxime annosū quadrat. De phœnicis  
viuacitate dictum est, Id q; in adagio Cornici-  
bus viuacior.

Sibylla viuacior.

In maxime viuacem. Propertius, At me nō  
ætās mutabit tota Sibyllæ. Sibyllæ etatē pro-  
q̄tumvis longa posuit. Hanc Virgilius Æneis-  
dos sexto, lōgæuam sacerdotem vocat. An-  
nosissima enim fuisse fertur.

Facies tua computat annos.

Dictum est Iuuenalis, in vetulam iam exo-  
letam quidem, & ad Veneris lusus prorsum  
intempestiuam, sed quæ verborum nequitiss  
puellam etiamdum ageret. Facies igitur tua  
computat annos, id est, frōtis rugæ, numerū

xx. iij.

annorum tuorum præferūt, q̄q̄ libido nondū  
in te consenuit.

Alterum pedem in cymba Char-  
rontis habere.

Extremæ, decrepitęq; senectæ homines dic-  
cūtur habere alterum pedem in cymba Char-  
rontis: qui & hodie vulgo alterum pedem in  
sepulchro habere dicuntur.

Viro seni maxillæ, baculus.

Maxilla senibus scipionis est vice, Dicitur solitū  
de ijs, qui ob defectas ætatis vires lau-  
tiore pariter & copiosiore victu cogūtur vti,  
quo quod senectæ deterit, vtcunq; sarciant ci-  
bo. Est & hodie senile verbum, Ego me den-  
tibus meis sustento.

Mature fias senex.

Mature fias senex, si diu velis esse senex.  
Monet prouerbiū, vt integra adhuc ætare,  
desistamus à laboribus iuuenilibus, ac vales-  
tudinis curam agere incipiamus, si velimus  
esse viuaci, ac diuturna senectæ. Nā senectus  
tis fors, ocium & quies.

Sexagenarios de ponte eiicere.

Significat, natu maiores, perinde quasi de-  
liros, & ad omne vitę munus inutiles, in ocium  
relicere, atq; ab omni functione negotiorum  
relegare. Hinc natū, quod olim iuuentus Ro-  
mana, quo sola ferret suffragia, senes inualis-  
cos de pontibus præcipites dederit. Nam de

ponte suffragia ferri iam coeperāt. Omitto 3<sup>a</sup> liā (quam refert Erasmus) adagij originem.

*Mors optima rapit, deterrima relinquit.*

*Videte licet quosdā prorsus inutiles Titho niā ætatem viuere, paucissimos egregio præditos ingenio, ad senectæ limen peruenire. In quam sententiam est Homericū illud ex Iliados ω, Sustulit hos Mauors: reliqua at mala probra relicta, Mendaces, saltatores, primi q; choreis Ducendis agnis, atq; hædis diripiendis Strenui.*

*Senex bos non lugetur.*

*Bos senex vacat luctu domesticorum: Hoc est, senum mors, quod tempestiua videatur, non lugetur ab amicis. Mortem iuuenū complorant ij quoq; ad quos nihil attinet.*

*Viuum cadauer. Viuum sepulchrū.*

*In eos dicetur, qui sic viuūt, vt nihil vita dignū agant. Lucianus senem decrepitum, viuum quoddam sepulchrū appellat. Huc pertinet etiam illud Mimi cuiusdam, Similis sepulchris nil nisi nomen retineo.*

*Effæta senectæ.*

*Homerus Odyssææ Δ, Nam iam nō neruis carnes atq; ossa coherent. dictum est de mortuis. Tamen ad hominem ob longæuitatem iam defectum viribus licebit accommodare, aut in eum qui consterneretur animo.*

xx. liij.

## Limen senectæ.

Senectæ limen antiquitus appellabāt, velut extremum autumnū ætatis humanæ, quum iam appetit hyems decrepitę senectę. Sūptū est ex Homero, vt Iliados χ. Quem fors Iup<sup>er</sup> piter ipse senectæ ī limine diris Cōficiet fatis.

## Senescit bos.

Bos cōsenescit, at opera multa sunt bouis. Dicitur, quū ob ætatis imbecillitatem aliquis inutilis redditur ad obeundum munus. Nam diuitum vulgus haud aliter ministris vtitur, q̄ equis & canib<sup>9</sup>, aut paulo etiā inhumanius. Dū vsui sunt, alliciūt; vbi senuerint, reijciūt.

## IUVENTA.

Iuuēta viribus pollet. Iuuenari.

## Expositio.

Iuuenta viribus pollet.

Significat, ad vires plurimum momēti adferre etatem iuuētam. In quā sentētiā est Homericum illud ex Iliados μ, Flos quoq; adest æui, cuius tunc maxima vis est.

## Iuuenari.

Iuuenari dixit Horatius, tum noue, tū pro-  
nerbiallyter, in arte poëtica, pro eo, quod est, iuuenū more iactātius, incōsideratius, inconsultius agere; aut siquid aliud ei etati peculiarē re videtur. Venustius fuerit, siquis orationem floridam, phaleratāq; dicat Iuuenari.



VITA HOMINIS MISERA,  
ET BREVIS.

Homo bulla. Fictilis homo.  
Spithama vitæ. Stupa seniculus.  
Temporis punctum. Vita mortaliū brevis.  
Optimum non nasci. Ephemerī vita.

Explanatio.

Homo bulla.

Prouerbiū admonet, humana vita nihil esse fragilius, nihil fugacius, nihil inanius. Bulla est tumor ille inanis, qui visitur in aquis, momēto tēporis enascēs simul & euanescēs.

Spithama vitæ.

Spithama vitæ, id est, modus vitæ perpusillus. Mutuo sumptum à rerum mēsoribus, apud quos Spithama, seu palmus, digitos duodecim cōtinet, quantū fermè longissimo digitorum porrectu complecti licet.

Temporis punctum.

Simili figura dixit Terentius. Tum tēporis ad hoc punctum mihi est, id est, spacium breuissimū. Apud Mathematicos punctū, in diuisibilis quædam pars est lineæ.

Optimum non nasci.

Marcus Tullius libro de cōsolatione. Non nasci, longe optimū, nec in hos scopulos incidere vitæ: proximū autem, si natus sis, q̄primū mori, & tanq̄ ex incendio effugere vito.

sentiam fortunæ. Lactantius citat in hanc sententiam duos senarios græcos, qui latini facti sic habent, Haud vnq̄ in auras prodijisse potissimū est, Aboleri vbi sis natus ilico, proximum est. Multorum Græcorū authorum in hanc sententiam carmina Erasmus adscribit, quæ ex instituto omitto. Signat sententia mortem vita potiozem, Idq; propter ipsius vitæ varias calamitates & pericula. In qua opinione Thraces vidētur fuisse, quibus mos erat in lucem æditos lachrymis prosequi, mortuos conuiujs & tripudijs.

Fictilis homo.

Homo fictilis, id est, mollis, imbecillis, fragilis. Ductum à vasis testaceis, quæ facile cōminuuntur. Finitimū superiori, Homo bulla.

Stupa seniculus.

Dicitur de sene viribus effæto. Sumptum à ligno, quod iam exaruit, exuccūmq; redditum est, & marcidum, in stipulæ morem.

Vita mortalium breuis.

Qui monebit dandam operā, vt apud posteros honestæ vitæ memoriā relinquamus, quæ perpetuo viuat. nam hanc vitā angustis circūscriptā esse terminis, accōmodabit Hormericum illud, Ast hominis breuibus spatijs constringitur æuum.

Ephemeræ vita.

De ijs, qui statim emoriuntur, aut pereūt.

Sumptum ab animantibus, quæ sic appellantur, quòd vltra diem non viuant.

## P R V D E N T I A S E N I L I S.

Multorū Iouis festorū glandes comedit. tum excitat pulueris.

Annosa vulpes haud capitur laqueo. Ætate prudentiores reddimur.

En̄ ausculata, cui quatuor sunt aures. Senum prudentia.

Annus subsultans multa addiscens. Senesco semper multa addiscens.

## Explicatio.

Multorum Iouis festorum glandes comedit.

Quadrat in senem, longòq; plurimarū rerum vsu doctum. Perinde valet quasi dicas, Multas vixit Olympiadas. Quercus autem Ioui sacra.

Annosa vulpes haud capitur laqueo.

Dicitur in eum, qui longa ætate, multaq; rerum experiētia callidior est, quàm vt arte, dolis que capi queat.

Eum ausculata, cui quatuor sūt aures.

Significat viro prudenti, res q̄ plurimas, tum audiendas esse, tum vsu vitæ periclitandas. Lacedæmonij Apollinis simulachrū ita solebant fingere, vt quatuor haberet aures. Monet etiam prouerbium, illos esse audientes, qui diuturno compluriū rerum vsu, præ

ERASMI ADAGIORVM

cæteris sapiunt, ita vt ferè faciūt senes. Hinc ortum, quòd vulgo creditum sit antiquitus, nulla oracula fuisse certiora, quàm Apollinis.

Anus subsultans multum excitat.  
puluereis.

In eos dici solitū, qui ob rerum experientiam, multū negociorum aggredierentur.

Ætate prudentiores reddimur.

Si quando negabimus nobis eadē probati iam natu grandioribus, quæ quondam ob ætatis incitiam arriserunt, sed vsu rerū auctā prudentiam, cōueniet Homericū illud, Eram adhuc puer, ast vbi iam sum Grandior, & redit me aliorum oratio doctum: Ipsèq; grandescit mi animus.

Senum prudentia.

De senibus quidē, attamen ob rerū peritiam non inidoneis ad negociū aliquod conficiendū, dicitur Homericum illud, Ætas casta quidem, sed non inidonea bello.

Senesco semper multa addiscens.

Significat, vsu vitæ, multa rerum experientia parari prudentiā. Cum ea conuenit, quæ citatur apud Gellium, sententia. Vius me genuit, peperit mater memoria.

PRVDENTIA.

A fronte simul, & oculo. Alter Ianus.

capitio oculatus. Acetum habet in pe-



ctore. prædiscere.

Perendinum ventum Amyris insanit.

Explanatio.

A fronte simul & occipitio oculat<sup>9</sup>.

Q nū indicabimus admirabilem rerū omniū cognitionē, aut singularem prudentiā, quæ constat, non præsentium modo scientiā, sed & memoria præteritorū, & futurorū prospiciētiā, Homericum ex Iliados primo versum vsurpabimus. Qui scit præterita, ac præsentia, postq; futura. Virgilius vertit sic. Quæ sint, quæ fuerint: quæ mox vêtura trahātur.

Alter Ianus.

Quadrabit, vel in prouidum, ac circūspectum: vel in ancipitem & perfidū. Persius. O Iane à tergo cui nulla ciconia pinxit. Sumptū à Iano bifronte, cuius notissima est fabula.

Acetum habet in pectore.

Ille qui sapit, dicitur habere acetum in pectore. Nam vt salsa, itidem & acida palatum iuuant, acuiuntq; & irritant stomachum. Horatius in sermonibus, acetū pro mordaci dicitur cacitate dixit. Adagium cōtrariū illi, Salsitudo non inest illi, quod quidem torquetur in infacetos & fatuos & stupidos. Sal enim primū, maximēq; cōmune cōdimentū videtur.

Perendinum ventum prædiscere.

Perendinū ventum prædiscere, & præscire dicuntur, qui coniecturis quod multo post

euēturum sit, colligunt. Sumptum à nautis,  
aut à negociatoribus.

Amyris insanit.

Ista allegoria rectè vtemur, vbi quis sub  
infantiæ prætextu, rebus suis consulit. Aut vbi  
quis solus periculum prospiciens in tempore  
sibi cauet, credit<sup>9</sup> interim vulgo desipere, de  
inde rerum euentus docet, illum vnū sapiūse  
se. Vt hæc sit vox velut opprobrantis socor<sup>9</sup>  
diã ijs, qui sibi nõ prospexerint mature, neq;  
sapere cœperint, nisi accepto vulnere. Vide  
originem apud Erasinum.

## ALIIS SAPERE.

Alijs prospiciens, nõ recta consilia ægro<sup>9</sup>  
sibi. tis damus.

Facile quñ valemus, Quarta luna nati.

Explanatio.

Alijs prospiciens, non sibi.

Si libebit in quempiã iocari, qui quñ artē  
diuinãdi professus, alijs sua mala prædixerit,  
ipse suū malum nõ potuerit præuidere, aptè  
accommodabitur illud Homericum. At non  
augurijs fatum sibi depulit atrum.

Facile quum valemus, recta consi  
lia ægrotis damus.

Sententia extat apud Terentiū in Andria,  
quæ significat, in admonendo sapere omnes,  
verum vbi peccant, ipsos nõ videre propria.

Ducta est ab hominū cōmunibus moribus. Omnes enim ægrotantibus rectè præcipiunt, quid fugiendū, quid agendū, & obiurgāt nō nunq̄, quòd salutis causa non obtēperēt bene monentibus. Ipsi, postea q̄ in morbū incidērit, nō succurrūt illa præclara monita, sed alijs itē monitoribus & obiugatoribus est opus.

#### Quarta luna nati.

Quarta luna nati dicuntur, qui parum feliciter nati sūt. Propterea q̄ Hercules hac luna natus feratur; cuius omnis vita voluptatū omnīū expers, ac laborū plena fuit. Dicitur post & in eos, qui laboribus sibi neutiq̄ frugiferis fatigantur. Herculis videlicet exemplo, qui iuuandis alijs sudauit, sibi inutilis.

#### CAUSA INDEFENSA.

Heteromolia causa. Haud impune vindes  
Deserta causa. miam facies.

Ne de lite pronūcies.

#### Declaratio.

#### Heteromolia causa.

Heteromolia causa dicitur apud Græcos, quæ ab altera dūtaxat agit parte, nullo præseente, qui cōtradicat. Usurpabit elegāter, ubi quis damnat absentē. Veluti quū defunctorū libros carpimus, rectè Heteromoliā causam quis dixerit.

#### Deserta causa.

Causa dicitur deserta, quum nemo repugnât. Translatū à iudicijs, vbi nonnunq̄ altera pars cedēs tradit causam aduersario. Itaq; deserta causa vincere, est vincere nullo cōtrā pugnante.

Ne de lite pronuncies.

Ne iudex fueris, partes nī audiuēris ambas. Carmen est prouerbiale à Luciano citatum libello de calumniā: quod quidē admonet, non temere pronuciandū de quopiam, nisi re vltro, citroq; diligenter cognita.

Haud impune vindemiam facies.

In eum competet, qui nullo seruāte decerpit vvas. Cōfine illi, Dulce pomum, quū abest custos. Solent autem vitibus & pomarijs adhiberi custodes, præsertim autumno, quū iam maturi foetus furem inuitant.

### SOLLICITUDO.

Tentali lapis.

bus.

Tergora tuetur.

Similes videntur cas-

Mens est in tergoris

ptiuis ex Pylo.

Explicatio.

Tantali lapis.

Imminens capiti periculum, Tantali lapis vocatur. Sumptū à fabula Tantali, quē quidam fingunt apud inferos, etiam hoc supplicij genus pati, vt ingens saxum sic immineat capiti, vt iam iam casurum videatur.



## Tergora tuetur.

Hoc prouerbio significabant, quempiã præ se ferentem vultu, quod malū quippiã instare suspicaretur, id'q; coniecturis aliquibus colligeret. Veluti si quis conspectis bouum tergoribus, bellum futurum colligeret, quod his integantur clypei. Hinc forte natū, quod in clypeis, barbaricæ quæpiam, & horrendæ facies depingi, sculpi ve solent, Barbarorū, aut Cyclopum, aut beluarum.

## Mens est in tergoribus.

De sollicitis dici solitū, qui'q; malū aliquod imminens timere videntur. Sūpta metaphora, vel à loris, quibus cēdūtur serui. Nam hæc è bubulis tergoribus secantur: vel à clypeis, qui bubulo corio solent obduci. Proinde congruet, vel in eos, qui flagra metuunt: vel in hos, quos belli impēdentis metus habet sollicitos. Breuiter quacunq; in re sumus intenti, in ea dicimur esse.

## Similes videntur captiuis ex Pylo.

Dici solitū de ijs, qui vultu sunt miserādo, nempe pallidi, squallidi, macilenti. Pylus ciuitas quæpiã Laconicæ, quam obsessam Cleon expugnauit. Qui vero superfuerant à cæde, secū abduxit Athenas, extenuatos, cōfectos, pallidos, deformi specie, sicuti cōsētaneū accidisse, tum ob diutinā obsidionē, præsertim in insula deserta, quæ rerū necessariarū copiã ma

lignè suppeditabat, tū quòd post expugnatā  
urbē cōpluras dies ī vinculis habitī fuissent.

## CONSILIUM.

Res sacra consultor.

Suadeo, quod ipse facturus essem.

Elucidatio.

Res sacra consultor.

Adagiū signat, bene cōsulentē, plurimum  
vtilitatis adferre. Aut religiose, ac pure dādū  
cōsiliū ijs, quibus est opus. Effertur & ad hūc  
modū prouerbiū, Res sacra consilium.

Suadeo, quod ipse facturus essem.

Quum alteri damus consiliū, quo non gra-  
uemur ipsi vti in simili causa: cōuenit Hōmē-  
ricū illud, Sētio, suadebōq; tibi, quibus haud  
grauer vti Ipsa, mihi similis siquando occurrē-  
ret vsus. Verba sunt Calypsus.

## OMNIA.

Ioca, seriāq;.

Explanatio.

Ioca, seriāq;.

Quoties omnia nostra cum aliquo cōmu-  
nicamus, cū eo ioca, seriāq; cōferre dicimur.  
Tullius libro de finibus bonorum secūdo. At  
qui cum ioca, seriāq; (vt dicitur) qui cum occ-  
ulta omnia? Tecū optime: deinde etiā cū  
mediocri amico.

PRVDENTIA CONIUNCTA  
VIRIBVS.

Consilijs simul & facto valens. Prudētia coniūcta cū viribus.

Enarratio.

Consilijs simul & facto valens.

In hominē consilio pariter, ac viribus excellentem, cōueniet illud ex Odyssææ 3, Is cuiusmodi erat seu pugna, consilio ve.

Prudentia coniuncta cū viribus.

In eū, qui norit idem & alijs imperare quid sit agendū, & ipse persequi quum opus, quod alijs imperat, quadrabit illud ex Iliados libro tertio. Et iuxta doctor bon<sup>9</sup>, & certamine polens. Sunt enim, qui imperatorem agere norunt, at militem præstare non norunt.

INSTANS.

Ante pedes.

Explanatio.

Ante pedes.

Ante pedes esse dici, quod obuiū, quodq; vel præses adest, vel imminet Terētius. Istuc est sapere, Nō quod ante pedes modo est videre, sed etiā illa quæ futura sunt prospicere.

DECRETVM.

Murus aheneus.

yy. ij.

Explanatio.

Murus ahenus.

Murus ahenus apud Horatium in epistolis, vsurpatur pro certo, & immutabili animi decreto. Hic (inquit) murus ahenus esto, Nil conscire sibi, nulla pallefcere culpa. Vegetius grauem armaturam, murum ferreum exercitus appellat, veluti solidum & in expugnabile munimentum.

IN DEPREHENSOS.

Folio ficulno tenes an guillam.	Laque <sup>9</sup> laqueū cæpit Hinc illæ lachrymæ.
Medius teneris.	Vbi cognitū est, quod
Decipula murē cæpit	erat occultum.
In laqueos lupus.	Hæc Helena.
In area latitas.	Hydrus in dolio.
In easdē anfas venisti.	Tēpus omnia reuelat.

Explanatio.

Folio ficulno tenes anguillam.

Vsurpatur, vbi quis alioqui fugax & lubricus, arctiore nodo tenetur, q̄ vt possit elabi. Nam fici foliū scabrū est. vt cui nomen etiam inditū ab asperitate scripsit Plutarchus, atq; ob id ad retinendam anguillam natura lubricam, vel maxime idoneum.

Medius teneris.

De eo dicitur, qui sic tenetur, vt extricare



sefe nulla ratione possit. Trāslatum à palestribus, atq; athleticis, qui siquem mediū corripuerint, facile vincunt.

Decipula murem cæpit.

Dicitur de rectè, meritòq; deprehensis, & malo dignis.

In laqueos lupus.

In laqueos lupus, subaudiendum, incidit. Usurpatur quum improbus quispiam tādē in extremum adducitur discrimen.

In area latitas.

De eo, qui in eo versatur negocio, vt non possit non esse cōspicius. Aut qui sic latitat, vt à nemine tamen non conspiciatur. Nam in area nullæ sunt latebræ.

In easdem ansas venisti.

Quadrat in eū, qui sic irretitus est, vt quocūq; se vertat, teneatur, nec explicare sese possit.

Laqueus laqueum cæpit.

Dicitur, vbi malus malū obseruat. Veluti adulter adulterū: fur furē: perfidus perfidū: qđ interdū vsu venit, vt quum duo sibi vicissim insidias tendunt, vterq; deprehendat alterū.

Hinc illæ lachrymæ.

Dicitur de rei causa aliquādiu dissimulata, quæ verè tādē deprehēdatur. Veluti si quis dicat, Barbaros dānare græcas literas, ne scilicet ipsi parum docti videantur, commode

yy. iij.

subnectet, Hinc illæ lachrymæ, id est, hoc est  
quod eos male habet.

Vbi cognitum est, quod erat occultū.

Vbi res, quæ magno studio cælabatur, fuerit  
aliquo pacto deprehensa, quadrabit illud  
ex Odyssææ ꝑ, Siue illis deus hoc aliquis de  
prodidit index: Siue ipsi videre.

Hæc Helena.

Lucianus in Eunuchō. Hæc ipsa erat He-  
lena, pro qua digladiabantur, id est, hæc ipsa  
causa. Loquitur autem de duobus Peripate-  
ticis, mercedis ac lucri cupiditate turpiter ap-  
ud iudices contendentibus. Allusio est ad sin-  
gulare certamē, quod inter Menelaum & Pa-  
ridem factum describit Homerus.

Hydrus in dolio.

Vsurpare licet, quum quis occulta calamitate  
premitur, causa atq; authore non extante,  
Aut quū diuturni mali tādē author de-  
prehenditur. Hinc ortū narrat Antonius Sa-  
bellicus in epistola quadā familiari. Rusticus  
quidam quum sensisset minui vinum in dolio  
cōditū, admiratus quid esset rei, circūspicere  
cepit, nū qua rima extillaret liquor, vbi nihil  
eiusmodi comperisset, perguit vicinos in suspi-  
cionem apud sese vocare, ne sese absente vas  
relinerent, vinumq; potitarent. Obsignat itaq;  
diligenter dolium ad opus exiturus. At reuer-  
sus signis illēsis, vinum nihilominus imminui

videt. Tum vero fortunam agricolarū deplorare, quibus nō in vite solum, verumetiam in dolijs calamitas præsto esset. Ad extremum exhausto dolio, hydrus i imo repertus est, vini potor: quæ res in vulgi iocū abiit. Serpentes (vt admonet Plinius) q̄q̄ exiguo indigeāt potu, tamen vinum, quum est occasio, præcipue appetunt.

Tempus omnia reuelat.

Sētentia per se liquet, in quam Aulus Gellius noctium Atticarū libro vndecimo, capite item vndecimo, citat hos Sophoclis versus, Ob ista ne quid occulas, siquidē intuens Cūcta, audiēsq; cuncta proferet dies. Eiusdem in Aiace flagellifero carmina sic habēt traducta, Cuncta pariter immensus ordo temporū Occulta prodit, & idem prodita occulit.

#### METVS EX CONSCIËNTIA.

Fures clamorem.                      festinat,  
Lupus aquilā fugit.      Conscientia mille testes.  
Lupus ante clamorē      stes.

Expositio.

Fures clamorem.

Fures clamorem, subaudiendū, timent, aut senserūt. Quadrabit in eos, qui sibi cōscij metuūt, ne deprehendātur. Aut qui peracto maleficio, fugitāt, pauitātq;. Habet autem hoc cum omnis malefacti consciētia, tū præcipue

yy. iij.

furti, vt hominē trepidū reddat, ac lucifugā.

Lupus aquilam fugit.

Dicitur, vbi periculum imminēs euitari nō potest. Aquilam enim, alata quum sit, frustra lupus fugit.

Lupus ante clamorem festinat.

Dicitur, vbi quis admissi conscius, vltro tēmet, priusq; accusetur. Siquidē lupus, simul atq; prædā rapuit, mox pperat aufugere, ne coorto rusticorū clamore, veniat in periculū.

Conscientia mille testes.

Sententia signat, cōscientiam rem esse vnā omnium efficacissimā, aded, vt nulla tormēta melius prodant maleficiū, q̄ cōscientia: nullus carnifex seuerius puniat, q̄ hec. Vnde & illud, Heu q̄ difficile est crimen nō prodere vultu.

## VINCVLVM INSOLVBILE.

Vulcanium vinculū. Herculanus nodus.

Expositio.

Vulcanium vinculum.

Vsurpabat, vbi quis inextricabilibus modis esset illigatus: dicebatur nēpe Vulcanijs vinculis teneri. Sumpta denominatione ab adamantinis illis vinculis, quibus apud Homerū Vulcanus Venerem & Martē sic irretiuit, vt quo magis se conarentur explicare, hoc magis inuoluerentur.



Herculanus nodus.

Herculanus nodus pro vinculo arctissimo, atq; indissolubili legitur. Seneca ad Lucilliū, Vnus tibi nodus, sed Herculeus restat. Sic enim vocat syllogismū, qui vix dissolui posset. Quadrabit in eos, qui sunt arctissima necessitudine copulati. Vide vnde sit natum apud Erasmum.

VLTIMO MALEFACTI.

Canis vindictam.	Rhānusia Nemesis.
Ornatus ex tuis virtutibus.	Ad deorū aures peruenit.
Reperit deus nocentem.	Euenit malo male.
Sero Iuppiter diphtheram inspexit.	Salis onus vnde venerat, illuc abiit.
Sēper virgines furiae.	Habet & musca splenem.
Mali bibunt improbitatis fecem.	In tergo bouis desedit.
Sus acina dependes.	Stultus, qui patre caeso liberis pepercit.
Placiadae.	Nunc dii beati.
Habet.	Anus simia sero quidem.
Longae regū mantis.	Virum improbum vel mus mordeat.
Promeri canes.	In me hæc cudetur faba.
Ibyci grues.	
Dij lanceos habent pedes.	
Adraffia Nemesis.	

Flagitiorū turpis exi- tus.	Fumātem nasum vři ne tentaueris.
Malis ter mala.	Vidicta tarda, sed gra- uis.
Miseram messem me- tere.	Vitandæ potētum of- fensæ.
Canis peccatū sus de- pendit.	Aratro iacularis.
Ne spina quidem vul- nerabit bonos.	Dulce pomū, quū ab- est custos.
Sui cuique mores fin- gunt fortunam.	Sero molunt deorum molæ.

Explanatio.

Canis vindictam.

In eos, qui præter expectationem pœnas dant ijs, quos aliquando læserunt. Natum ab Euripidis Tragici poëtæ interitu. In Macedo-  
nia vicus quispiam est, qui Thracum dicitur, propterea quòd olim à Thracibus sit inhabi-  
tatus. Huc quum canis quidam Archelai re-  
gis aberrasset, Thraces de more suo macta-  
tum sacrificarunt, ac deuorarunt. Quod vbi  
comperisset Archelaus, Talentum eis multā  
dixit. Verum quum illi soluendo non essent,  
Euripidem subornarūt, qui regem exoraret,  
vt multam sibi remitteret, ita vt fecit. Postea  
vero quum Euripides in sylua quadam solus  
esset, & Archelaus à venatu reuerteretur, ca-  
nes Euripidem cinctum discerpserunt, deuo-  
raruntque. Existimatum est autem eos canes.

ex eo prognatos fuisse canem, quem Thraces  
sacrificarēt. Hinc adagium apud Macedonas  
increbuit, Canis vindictam, subaudiendum,  
passus est, aut aliud commodius.

Ornatus ex tuis virtutibus. \*

Adagium non multū abludit ab illo, Tuis  
te pingam coloribus, id est, talem te descri-  
bam qualis est. Terentius in Adelphis. Si re-  
gnum possiderem, ornatus esses ex tuis virtu-  
tib⁹, id est, haberes præmia tuis factis digna.  
Nam olim, reges honorem habebant ijs, qui  
facinus aliquod præclarum ædidissent.

Reperit deus nocentem.

Vsurpatur, quū tandem vltio cōtingit im-  
probis, quasi diuinitus immissa. Theocritus.  
Inuenit deus impium: habes quæ olim cus-  
piebas. Simile est Homericū illud Iliacos A,  
Quanq̄ etenim non punit Iuppiter ilico fontē,  
At faciet tādē, & luerint sua crimina magno.

Sero Iuppiter diphtheram inspexit.

In eos quoq; qui sero quidem, sed aliquā-  
do tamen pro malefactis dant poenas. Anti-  
quitas enim credidit Iouē omnia in sua diph-  
thera, hoc est, pelle caprina scribere, ac mul-  
ta quidem pro tempore dissimulare, verum  
aliquando de improbis poenas sumere. Belle  
quadrabit & in principes, qui diu dissimulata  
maleficia tandem puniunt.

Semper virgines furia.

Prouerbiū deterret à peccādo . Erīnes enim malefactorū vltices corrūpi nō queūt, quo minus pœnas sumāt de ijs, qui cōmeruerunt, atq; hac gratia dictæ virgines.

\* Malī bibunt improbitatis fecem.

Dici solitū, vbi pœna maleficis digna meritis contigisset. Videtur ab ijs translātū, qui vīno limpido epoto, tandem ad fecem vsque perueniunt. Ita voluptatē ex malefactis perceptam, dolor supplicij consequitur.

Sus acina dependes.

Hoc est, lues quod admīssisti: reddes quod abstulisti, nō sine fœnore. Q uadrabit, vbi pusillum cōmodi, magno dependitur malo. Apparet natū à rustico quopiam, qui verbis hīscē cōminatus sit sui pascenti racemos.

Placiadæ.

Plutarchus ostendit dici solitum de deprehēsis adulteris, & contumeliose (sicuti merentur) tractatis. Vicus est quidam Atticę regionis, cuius incolæ Placiadæ vocantur. Apud hos moris erat, vt qui fuisset in adulterio deprehensus, ignominiosas pœnas daret, impāctis in pudēdam corporis partem raphanis, qui apud illos miræ magnitudinis esse dicuntur. Quod si raphani forte nō fuissent ad manum, stelæo vtebantur, id est, ligonis ligno.

Habet.

Habet, prouerbialiter dicitur, quū obtigit



alicui, quod expetiuit: aut quo dignus. Habet, quod amet. Similes habent labra lactucas. Sumptum autumant ab aucupantibus, piscantibus, aut venantibus: quibus reuersis sic aiunt, Habésne aliquid?

Longæ regum manus.

Admonet prouerbiū, à regibus cauendū, quòd eis prælōga sint brachia. Nimirū, quod per suos (quibus brachiorum vice vtuntur) possint etiam procul distitos affligere. Ouidius. An nescis longas regibus esse manus? Potest & ad tempus referri: quòd reges etiā si diutius dissimulent, soleant tamen aliquando poenā sumere de ijs, quibus infensi fuerit.

Promeri canes.

